coll cplt

EX LIBRIS LUDOVICI RAJNER. EPISCOPI TIT. CIDYESSEN. E. M. STRIGONIEN. CANT. ET CANONICI
NEC TEMERE
ET VIRTUTE
NEC TIMIDE SED CONSILIO
1907

ACTA

SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXII.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1889-90.

9842

BX
8570
A3
V.22
1889-
90

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/actasanctaesedis0000vict

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FOROIULIEN. et NICIEN. seu AQUEN.

LEGATI

Sess. 7, cap. 7 De reform.

Die 15 Decembris 1888.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Sauvaire natus in villa Briançonnet apud s. Albanum in districtu *Grassensi*, cum bona sua in pias causas convertere decrevisset, adhuc in vivis 10,000 libellarum donavit parvo Seminario loci *Grasse*, cuius regimini plures annos ipse praefuerat, et praescripsit ut ex redditu totidem pensiones pro alumnorum educatione constituerentur, ita tamen ut favor iste concederetur possibiliter iuvenibus e Briançonnet... et in defectu illorum iuvenibus Sancti Albani...

Praeterea 50 chirographarias obligationes, vulgo *obligations Lombardes*, magno Seminario Foroiuliensi, cuius etiam aliquot annos moderator exititerat, dedit, hac lege, ut 1. Episcopus foroiuliensis traderet reditum 200 libellarum Paroeciae Briançonnet; 2. ut, quod superesset ex reditu obligationum, traderetur pro educatione unius, aut duorum iuvenum ex parvo Seminario grassensi; qui frui hoc favore continuabunt, quatenus ingrediantur Seminarium magnum.

Age vero, ex consistoriali decreto diei 12 Iunii 1886, districtus *Grassensis* divulsus fuit a Dioecesi foroiuliensi et incorporatus Dioecesi niciensi cum suo populo et omnibus « ecclesiasticis beneficiis, piis institutionibus adnexisque rebus ».

Inter diversas difficultates quae inde evenerunt, haec una fuit, de qua modo agimus. Siquidem niciensis Praesul petiit sibi restitui 50 singraphas quas sacerdos Sauvaire magno Seminario foroiuliensi legaverat; sed foroiuliensis Episcopus negavit.

Ad controversiam componendam niciensis Ordinarius die 28 Aprilis 1887 alteri parti proposuit arbitrum constitui; et ego, ait, facultatem tribuo Episcopo Fori Iulii eligendi in arbitrum sive Archiep. aquensem, aut Episcopum avignonensem, seu Ordinarium massiliensem.

Post ferme duos menses, ac praecise die 23 Iunii 1887, Episcopus foroiuliensis respondit, se, datâ sibi ab altera parte facultate utendo, arbitrum seligere Metropolitanum aquensem, atque addidit: crastina die eumdem consulam de hoc negocio.

Niciensis Praesul, qui in sacra visitatione suum novum districtum Grassensem tunc lustrabat, has litteras, ut ipse affirmat, non accepit nisi post tres vel quatuor dies, 26 scilicet aut 27 Iunii. Interim vero Metropolitanus antistes documenta ab Episcopo Fori Iulii relata cognovit, statimque, die 30, quin attenderet alterius partis argumenta, sententiam arbitralem tulit, quae continetur in quadam decretoria epistola ad ipsum Episcopum Fori Iulii directam. In qua, nonnullis consideratis, ita decernit: Episcopum foroiuliensem eas singraphas, quarum fructus aequet libellas 200 pro paroecia Briançonnet; et insuper duas ex dictis obligationibus, ut libellae 200 integrae permanere queant longum tempus a qualibet taxa per gubernium addatur; ceteras obligationes permanere debere, decrevit apud Ordinarium Fori Iulii favore seminariorum illius.

Hoc laudum nonnisi post 11 dies, et quidem per Episcopum Foro Iulii nunciatum fuit niciensi Episcopo, qui nonnisi cum magna admiratione rem ac notitiam accepit, adeoque incontinenti Vicario generali foroiuliensi rescribebat: haud ita resolvi quaestiones... sibique licitum esse protestari, nonobstante debita personis reverentia, quoniam forma procedendi nova et irregularis videtur.

Reclamavit deinde etiam ad Archiepiscopum, qui tamen a data sententia non recessit. Quapropter ad S. Sedem recurrit, quaestionem super laudi valore, tum quoad formam, tum quoad substantiam instituturus.

Disceptatio Synoptica

Defensio Episcopi niciensis. Huius advocatus animadvertit obvium in primis certumque in iurisprudentia esse, laudum habere vim sententiae iudicialis, et exinde veram ac propriam oriri exceptionem rei iudicatae; verum ut haec exceptio valeat, ostendi oportere, arbitralem sententiam legitime editam fuisse (1). At in themate ipse arbiter, quale aestimet suae sententiae robur, ita aperit: si placeat tibi convenire cum Episcopo foroiuliensi ad alium eligendum iudicem, bonum erit; quia ego opus aequitatis et conciliationis peregi.

Verum cum operis validitas non ex auctoris opinione, sed ex lege metienda sit, iam ex lege scimus arbitrum sine compromisso consistere non posse; quod si desit, concordiae quidem specimen, minime arbitrium perficitur. Ita sane Reiffenstuel *lib. 1 tit. 43 p. 1 n. 4:* « Qui sua sponte et absque praevio in ipsum facto compromisso discordantes inter se componit, et pacificat, recte dicitur compositor amicabilis, non vero arbiter vel arbitrator, idque defectu compromissi ». Atqui, ut scribit Devoti *Inst. can. lib. 3 tit. 17 p. 5:* « Compromissum est conventio, qua litigantes controversiam alicuius iudicio subiiciunt, spondentque se arbitri sententiae parituros ».

Unde sequitur quodlibet compromissum constare formâ Conventionis et peculiari substantia, et illud ab arbitro suscipi oportere.

Porro, quoad 1. formam compromissi, quamvis iuxta Schmalzgrueber, *tom. II part. 5 tit. 43 p. 2 num. 21*, variae sint compromittendi rationes, nempe aut voce aut nutibus aut epistolâ; aut per nudum pactum aut interveniente stipulatione; aut sine adiectione poenae, aut ea apposita cum iuramento vel sine illo; re tamen vera, compromissum tantum, quod scriptis adstipulatur necessariam

(1) Regole Venetiarum Laudi..... Vol. XVI, 104.

obligationem gignit. Ita *l. 4 p. 1 C. II, 56,* quam regulam iuris Romani probans Gregoriana Lex (vulgo *regolamento)* p. 1749, haec statuit: compromissum fit per publicum actum aut per privatam scripturam. Quod si defuit stipulatio, etiamsi partes in arbitrum constituendum consenserint, arbitri iudicium, specimen conciliationis, potius quam vera sententia arbitralis, dicendum est, iuxta tradita a Schmalzgrueber, *l. c.* « Si compromissio facta sit nudo pacto, in foro externo nulla oritur efficax obligatio vel actio. Imo etiam si intervenerit stipulatio, sed sine poena et iuramento adiecto.... non inde actio vel exceptio rei iudicatae nascitur post sententiam latam ab arbitro, *l. Ex sententia C. h. t.* etc. »

Hisce positis, patet inter Praesules Nicaeae et Fori Iulii nullum validum compromissum intervenisse, cum desit non modo stipulatio per publicam seu privatam scripturam, adiectio iuramenti et poenae, ac diei ad pronuntiandum praefinitio, sed et mutuus partium consensus. Sane Episcopo niciensi die 28 Aprilis 1887 generaliter et absque ulla ex tot conditionibus a iure requisitis arbitrium proponenti, Praesul foroiuliensis rescribit die 23 Iunii, se ad hunc effectum elegisse Archiepiscopum aquensem; nec res ultra processerant, quum Episcopus niciensis incredibili admiratione, paulo post de edita sententia nuntium accepit.

At, quod magis est, notetur, foroiuliensem Episcopum, acceptis die 28 Aprilis litteris, in quibus arbitratum fieri proponebatur, se primum adiisse massiliensem Praesulem, eumque de arbitratu sumendo rogasse; quod munus ab initio declinare ille visus est, sed dein prorsus acceptavit. Si ergo facultas arbitri designandi, quam habuit Praesul Foroiuliensis, ad efficacem illius electionem suffecisset, arbiter electus procul dubio fuisset massiliensis Episcopus, ac nulla proinde esset posterior aquensis Archiepiscopi nominatio.

Ceterum iuxta Gregorianam legem p. 1754 neque validum neque efficax erit compromissum nisi acceptetur ab arbitris. Acceptio arbitrorum resultat sive ex eorum subsigna-

tione, peracta in actu compromissi, sive ab alio actu, qui inseri debet... Porro in themate aquensis Antistes nullo modo hac vel simili alia ratione arbitratum suscepit.

Tandem compromissum debet accurate quaestiones describere arbitri iudicio subiiciendas, ita ut hic praefinitos sui muneris limites excedere nequeat. Ita Reiffenstuel, *lib. 1 tit. 43 p. 3 n. 59:* « Tanta est potestas arbitrorum quanta ipsis a partibus vel iudice in Compromisso attributa fuerit. » Atqui unus Episcopus foroiuliensis cum Archiepiscopo egit, eique quid sibi libebat exposuit; dum altera pars praepedita nec coram Arbitro stetit, nec scriptis ipsum adivit. Et re sane vera Archiepiscopus aquensis ita docet in decretoria epistola scripta: in arbitrum me eligere voluisti; ego libenter tuum excepi mandatum.

Nec dicatur, Episcopum niciensem per aliquot dies, post editum laudum, tacuisse et sic sententiam convaluisse, saltem per tacitam ratihabitionem. Nam si die 30 Iunii sententia fuit edita, die tantum 11 Iulii nuntiata fuit Ordinario niciensi; qui statim Vicario foroiuliensi scripsit, quaestiones non ita dirimi.... et nonbstante respectu personis debito, sibi licere protestationem emittere, quia nova atque irregularis visa fuerat procedendi norma. Et deinde 13 Iulii, scribens ad aquensem Archiepiscopum, omnia iudicii vitia recensuit. Quod si litteras his verbis absolvebat, ego me subiiciam quatenus, hisce nonobstantibus, oporteat; eodem tamen contextu habebat; supponat, oro, Amplitudo tua haec rationum momenta Consilio episcopali. Unde illud, *hisce nonobstantibus,* nihil aliud sibi vult, nisi « *ad te ipsum provoco; si valide iudicium reintegraveris, si hoc Episcopale Consilium sanciverit, succumbam.* » Imo cum nullam responsionem accepisset, alia epistola rogavit Archiepiscopum ut arbitrandi mandatum dimitteret. Ceterum per ratihabitionem compromissa tantum minus solemnia convalescere possunt, minime vero quae nullitate laborant, quaeque ideo quippe non existentia habentur; Rota, *cor. de Cursis, decis. 292, n. 4.*

Neque satis iuxta Schmalzgrueber *loc. cit. n. 26:* « Si partes nihil aliud in compromisso expresserint, forma in arbitrio servanda est fere eadem, quae in iudicio,... adeoque citari partes, contestari utrimque litem, iurari de calumnia et fieri alia debent, quae ad processum iudicialem pertinent. Ita omnes. » Imo et in arbitriis, nulla solemni servata forma editis, praesentia partium est omnino necessaria; Rota *coram Crescentio Sen. decis. II, De arbitris, n. 2, et in decis. 14, coram Buratto, num. 25.* Adeo ut, si altera partium, licet vocata, iudicio sistere negligat, speciali iure receptum est, arbitrum sententiam edentem, nullum ferre iudicium. Ita expresse Voet *ad ff. lib. 4 tit. 8 p. 15.* Atqui in controverso hoc laudo aquensi nulla fuit iuris regula adhibita, nullus ordo vel umbratilis figura iudicii. Post duos menses Praesul foroiuliensis nuntiat Episcopo niciensi se arbitratum acceptare, ac designare Archiepiscopum aquensem, postridie ipsi Archiepiscopo arbitrale officium committit, et vix elapsis 5 diebus, prodiit laudum: partes in iudicium non sunt vocatae, defensiones non expectatae, nec dies ad eas instruendas concessa, aut ad pronuntiandum statuta; sententiam conficit Archiepiscopus inaudito episcopali consilio, quod expressis verbis niciensis Praesul petierat, editum arbitrium Episcopo tantum foroiuliensi communicatur, illud inscribens « *lettre decision* »; ac demum pars quae arbitrum elegerat, quaestionem designaverat, defensionem constituerat, decisionem receperat, ipsamet post 11 dies alteri parti factum iudicium renunciat.

Obiectioni vero quae fit, nempe niciensem Praesulem, accepta notitia de arbitri electione, et potuisse et debuisse statim respondere, sibique providere, respondet patronus retorquendo argumentum. Sane, ait, foroiuliensem Episcopum qui rogatus de arbitro seligendo a die 28 Aprilis ad 23 Iunii responsionem distulit, haud merito posse exigere, ut nunciata arbitri electione, quinque diebus altera pars nedum responderet, sed et omnia absolveret. Allegata enim pro se Dioecesis negotia, alteri etiam parti non deerant.

Ultimum demum nullitatis vitium in eo collocat patronus quod Archiepiscopus ultra petita iudicaverit. Siquidem foroiuliensis Episcopus ex triginta quinque obligationibus duas tertias partes, sive saltem viginti petierat; et nihilominus arbiter iudicavit, universas debere petenti concedi. Porro limites compromissi iurisdictionem definiunt, nec arbiter potest illos excedere; Rota *decis. 14, in Annot. num. 46 cor. Buratto,* Schmalzgrueber, *loc. cit. n. 34,* ac DD. passim.

Quin dicatur cum foroiuliensi Episcopo, in huius controversiae solutione recurrendum esse ad decretum Consistoriale, quo novi fines statuebantur, et a quo exorantur Episcopi niciensis et foroiuliensis, ut moderarentur amice in bonum commune. Hinc pronunciandum est ex aequo et bono et non secundum ius strictum. Respondet enim orator Decretum consistoriale nullibi vetuisse de iustitia disputari imo haec habere *art. 8:* « Si quae vero supervenerit difficultas, ea iuxta canonicas leges deferenda erit ad A. S., cuius erit declarare aut emendare, aut cum civili auctoritate componere. »

Cum ergo nihil obstet quominus EE. PP. ad causae meritum iudicandum deveniant, iam ad hanc alteram orationis partem pertractandam patronus accedit, atque haec recolit.

Sacerdotem Sauvaire, qui pingui annuo censu iam cumulaverat parvum Seminarium loci *Grasse,* donavit insuper, iuxta verba ipsius foroiuliensis Praesulis, quinquaginta syngraphas favore iuvenum magni Seminarii foroiuliensis.

Porro ex hisce verbis patet legatum respicere quidem Seminarium foroiuliense; sed accidentaliter et indirecte; directe enim et realiter respicit alumnos, qui primum institutionis curriculum in parvo seminario loci *Grasse* obiverant. Porro huiusmodi alumni, qui prius foroiuliense seminarium ingrediebantur, post separationem loci Grasse a Dioecesi foroiuliensi factum est, ut necessario ad niciense Seminarium cum universis iuribus et redditibus transirent. Huiusmodi

esse notissimum dismembrationis effectum, S. Rota docuit *decis. 234 num. 6 part. IV tom. 1 rec.* « Dismembratio iurisdictionis..... operatur ut dicta loca et personae a quibus abdicata est iurisdictio, dicantur de territorio et subditi illius in quem iurisdictio, translata est. » Quod principium conceptis verbis ita sancivit Decretum consistoriale, *art. 3,* « Utriusque sexus fideles,.. cum suis circumsitis locis, ecclesiasticis beneficiis, piis institutis adnexisque rebus, Dioecesi niciensi incorporentur eique perpetuo subiiciantur. » Ergo etiam controversum legatum Sauvaire tamquam ius personarum, quae sub alia iurisdictione translatae sunt, transire cum personis debet ad novam iurisdictionis provinciam.

Quam evidentiam praesules aquensis et foroiuliensis non oppugnarunt.

Nihilominus, ait patronus, uterque eximius praesul principia, quae agnoscit, in casu applicari non posse contendit. Nam foroiuliensis Episcopus scribit: negotium eiusmodi iuridice tractari nequit, ideo convenit pronuntiare ex aequo et bono et non secundum ius strictum. Et Archiepiscopus aquensis ait: requirenda est indubia testatoris voluntas, minime vero summum ius.

Et subdit donatoris intentionem hanc certe fuisse, ut beneficiis complectendo pauperes quosdam iuvenes, beneficium quoque conferret Seminario foroiuliensi.

Sed respondet orator hanc voluntatis interpretationem nullius valoris esse; siquidem quod certe ac directe voluit fundator, hoc unum fuit, clericis sui nativi loci benefacere: cetera vero nonnisi indirecte et iuxta modum intenta, parvi esse facienda.

Et quia obiicitur secundo, ius strictum in themate non posse applicari; quia in magnum damnum, adeoque et in magnam iniuriam, vergeret Dioecesis foroiuliensis: - haec enim, districtu Grasse expoliata cum oppidis ac locis ditioribus, etiam hoc lucrum amitteret: - respondet patronus, in districtu loci Grasse octo esse paroecias adeo steriles ac frigidas ut novae Siberiae nomine veniant: divitem quidem

esse paroeciam loci Cannes; sed hanc 400 millibus libellarum esse oneratam; ac demum toti districtui, seu praecise parvo Seminario loci Grasse, nomen imminere 255 millibus libellarum.

Defensio Episcopi foroiuliensis. Arbitrorum duplex est genus, *necessariorum* seu *iuris, voluntariorum* seu *ex compromisso*. Priores ex praescripto legis a iudice vel a partibus constituendi sunt. Alii vero ex libera partium conventione seu compromisso ponuntur. Porro ex sententia arbitri necessarii appellari licet, minime vero a dicto arbitri voluntarii. Cfr. *L. 1 cap. De arb. L. Diem proferre p. Stari ff. De arb. et cap. Ab arbitris 11. De off. deleg. in VI.* Siquidem qui non necessitate, sed mera sua voluntate, omisso iudice competenti, in arbitrum compromittit, sibi imputet si laedatur.

Atqui niciensis Episcopus compromisit in Metropolitanum Aquensem veluti in arbitrum. Nec refert, plures nominavisse; nam cum optionem unum inter eos seligendi alteri parti reliquerit, et haec selegerit aquensem Antistitem, iam compromissum valet, ex textu claro *L. 17, ff. IV, 8.*

Neque subsumi potest formam substantialem quae in laudo edendo praescribitur esse violatam. Quippe quoniam licet arbiter, praesertim necessarius, procedere debeat servato in essentialibus iuris ordine; nihilominus non omnino, neque undique. Ita sane Reiffenstuel *ad tit. De arbr. n. 23:* « Quamvis arbitria sint redacta ad formam seu similitudinem iudiciorum ; id tamen non procedit quoad omnia, sed solum tunc ubi aliud non reperitur specialiter expressum. Ita Glossa in *cit. L. 1, ff.* et Abbas et alii passim ; id probantes ex pluribus differentiis quae dantur inter iudicem et arbitrum. »

Quod si obiiciatur, partem formae essentialem esse prorsus omissam, quia unus ex contendentibus non fuit auditus, responderi primum potest « moram suam cuilibet esse nocivam » et « damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare ». *Reg. 25 et 86 iur. in VI.* Quae regulae casui apprime aptari videntur.

Siquidem cum niciensis Praesul notitiam de electo arbitro habuisset sin minus die 27 Iunii, et altera pars eidem significavisset, ipse nihil egit, nec rationes proposuit, nec dilationem expoposcit, sed tantummodo die 11 Iulii, cum dati laudi communicationem iam esset recepturus ad scribendum manus ipse apposuit.

Quin retorqueri valide possit argumentum, veluti adversa pars facit. Quippe quia licet foroiuliensis Antistes a die 28 Aprilis, qua propositio de eligendis arbitris ipsi fiebat, ad diem 23 Iunii, qua committebat in arbitrum, negotii definitionem distulisset; nihilominus statim ab accepta propositione mutuas litteras dederat, qua cunctationem poscebat.

Quod itaque foroiuliensis Praesul ex parte sua et in re minus urgente patraverat, hoc etiam poterat, imo et debebat niciensis Antistes satagere pro suo graviori et urgentiori negotio. Siquidem definitiva arbitri constitutio maioris momenti erat quam remota rogatio de compromittendo in arbitrum. Quapropter sibi imputet si damnum ex sua negligentia est passus.

Verumtamen neque dici revera potest passum exitium ex omissa defensione niciensi Episcopo contigisse. Quandoquidem quaestionis status simplex omnino erat, et rite prorsus ab Episcopo Fori Iulii ad Archiepiscopum relatus.

Utique Episcopus foroiuliensis id praestitit, quod negligentia sua omisit Niciensis: verumtamen argumenta quae hic retulisset nihil ad effectum iuvissent. Siquidem Archiepiscopus postquam ea cognovit, minoris facienda putavit; et datis die 20 Iulii 1887 ad niciensem Praesulem litteris laudum, iam latum iterum sanxit.

Ex quo nedum firmatur, quod niciensis Episcopi propugnatio haud valuisset exitium a suo capite avertere; sed insuper evincitur quod Archiepiscopus ab omni partium studio fuerit immunis. Siquidem, veluti ipse docet, et expresse foroiuliensis Episcopus confirmat, ante sententiam duo Praesules ne semel quidem se inviserant. Sed praeterea ex hoc Archiepiscopi documento aperte insinuatur, ipsum non suo

nutu tantummodo, sed audito prius curiae consilio ad laudum edendum processisse. Ex quo etiam cadit altera obiectio de violata compromissi forma, quam adversa promovet. Nec demum coargui potest, arbitrum mandati fines excessisse, uni ex partibus tribuendo plus quam petierit. Respondet enim cum communi Reiffenstuel ad *tit. De arbitr. n. 64* quod « potest nihilominus arbiter cognoscere ac pronuntiare de illis, quae sunt necessario connexa seu cohaerentia cum causa principali, ita ut haec sine illis commode expediri non possit, quamvis in compromisso specialiter non sint expressa » tandem concludendum videretur laudum quoad formam subsistere; et proinde etiam eius dispositionem, quaelibet tandem foret, saltem de rigore Romani iuris, esse absolute observandam. Siquidem *L. Diem proferre 27 p. 1 ff. De receptis etc.*, haec iubet: « Stari debet sententiae arbitri, quam de se dixerit, sive aequa sive iniqua sit; et sibi imputet qui compromisit. »

Sed quum ex aequitate canonica contra iniustum laudum aut remedium competat *l. 2 rescinden. vendit.* aut exceptio doli, vel simile; iam videndum superest, utrum controversus arbitratus in merito subsistat.

Iamvero sustinet adversa pars, ex testamentariis tabulis apparere, legatum accidentaliter et secundario Seminarium foroiuliense, primum vero et necessario respicere alumnos Grassenses. Verum si littera et contextus fundationis intimius examinentur forte contrarium concludi potest, et invertenda proportio. Siquidem donatio 50 obligationum sub modo quidem et cum adiectis oneribus, verissime tamen facta est Episcopo et Seminario foroiuliensi.

Nec satis, nam si subsidium pro paroecia Briançonnet absolute et simpliciter a donatore iubebatur, non ita quoad pensiones pro alumnis Grassensibus; nam relate ad eos fundator praescribebat: sequentur frui hoc favore si magnum ingrediantur seminarium. Ergo si hoc non adeant, ne ius quidem ad beneficium obtinent, et legati reditus in hac parte liber seminario cedit. Unde et consequi videtur, contro-

versum legatum Grassenses alumnos, nonnisi hypothetice et accidentaliter respicere, dum directe ac proprie ad seminarium pertinet.

Nec potest tuto supponi, quod testator loquendo de magno seminario, de quocumque intellexerit; nam et contextus sermonis, et vitae conditio, et affectio sacerdotis Sauvaire prorsus suadent, ipsum ita loquendo non aliud intellexisse quam seminarium foroiuliense.

At insuper quum canonicus Sauvaire fuisset per longum tempus antiquus rector, seminarii magni Foriiulii, et ad hanc pertineret Dioecesim per sua innumera opera, et per cognitionem onerum, et necessitatum eiusdem Dioecesis, iam ex hac ipsa naturali affectionis necessitate, etiamsi deesset contextus, tamen supponi verosimillime potest generosum benefactorem voluisse prosequi favore propriam Dioecesim suumque Seminarium foroiuliense. Porro « non debet aliquis verba considerare, intellige nude et simpliciter, sed voluntatem et intentionem; quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni » *Ca. Humanae aures 22, q. 5.* De cetero in themate utrumque concurrere videtur et verborum sensus et intentio ac voluntas loquentis; quapropter nec esse ambigendi locus.

Utique adversa pars excipit dicendo, affectionem testatoris praecipuam fuisse pro suo loco et districtu natali. Verumtamen cum eis benefecerit, tam seorsim quam in hac ipsa pia 50 singrapharum donatione; hinc concinne magis credendum videtur in hac altera legati parte magnum seminarium respicere potissimum voluisse.

Quod confirmatur etiam ex alia ratione. Nam supponi rationabiliter haud potest, canonicum Sauvaire, qui adeo liberalis fuerat loco ipsique districtui in quo natus erat, qui ipsum parvum seminarium loci Grasse beneficiis complexum fuerat, nullo tamen specialis benevolentiae signo prosequutum fuisse magnum seminarium in quo educatus fuerat, ubi secundam nobilioremque vitam fuerat adeptus, quod omnes di-

ligere ac frequenti memoria solent recolere, cuius ipse insuper rector ac moderator plures annos extiterat.

Argumenta hucusque relata, conceptis verbis proposuit Episcopus foroiuliensis.

Quibus praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sustineantur sententia arbitramentalis aquensis Curiae, seu potius legatum de quo agitur adscribendum sit Seminario niciensi in casu.

Resolutio. Sacra C. Cong. re ponderata sub die 15 Decembris 1888, censuit respondere: *Traditis quindecim obligationibus Ordinario niciensi pro dotatione paroeciae Briançonnet, reliquae maneant penes Seminarium foroiuliense, cum onere solvendi quatuorcentum libellas annuas Seminario niciensi, quoties in eo aderunt alumni, unus vel plures e Seminario grassensi, iuxta mentem testatoris.*

INTERAMNEN.

QUARTAE FUNERARIAE

Die 16 Februarii 1889.

Sess. 25 cap. 3 De reform.

Compendium Facti. Antonius Cecca parochus S. Crucis Interamne, supplicibus litteris ad S. C. C. datis, exponebat, hac in civitate, ex immemorabili consuetudine, in funeribus defunctorum, qui ad Ecclesias deferuntur, ubi sepulcrum habent gentilitium, candelas latas pro altaribus pertinere ad ecclesias tumulantes; sed diriberi, inter ecclesiam tumulantem et paroeciam, ceram, quae defertur pro associatione defuncti ad Ecclesiam, et ponitur apud cadaver, ut accendatur tantum ad missam cantatam de requie et ad absolutionem. Accidit tamen variis abhinc annis, insciis parochis, aliquam divitem familiam disposuisse, ut quatuor aut plures

candelae, praeter illas destinatas pro associatione, accendantur circum cadaver, toto expositionis tempore in Ecclesia. Idque evenit anno 1886 in funere Dominici Montani Leoni, qui etsi oratoris paroecianus, delatus fuit ad Ecclesiam Cathedralem, in qua extat eius familiae sepulcrum gentilitium. Nam defuncti haeredes triginta candelis pro funere statutis, alias octo adiici, et ut accenderentur circa cadaver usque dum expositum permaneret in Ecclesia, voluerunt, parocho sciente.

Quando ventum est ad cerae divisionem, Capitulum tribuit oratori dimidium triginta candelarum, et alias octo adiectas, divisioni non subiecit, sed retinuit apud se, quasi ad funus hae non pertinerent, sed iure cederent Ecclesiae tumulanti, ex inolita consuetudine, ut ait capitulum.

Quapropter definiri in suum favorem petebat Parochus, quartam funeris etiam ad hos adiunctos cereos extendi. Renuente at vero capitulo, rescriptum fuit *placere de concordia*.

Et ad concordiae studium parochus, cum sciret aliquid utrinque esse cedendum, paratus erat ad renunciandas controversas cerae reliquias, tam praeteritas quam futuras, quoad usque ipse s. Crucis paroeciam moderaretur, dummodo invicem tamen parochiale ius a capitulo recognosceretur.

Ast capitulum paratum quidem erat ad acceptandam parochi cessionem, at vicissim nihil dare volebat; multumque sibi videbatur concessise, reservando alteri parti facultatem ius suum meliori tempore experiundi. Quod tamen parocho s. Crucis non placuit.

Disceptatio Synoptica

Defensio Parochi. Si res scripto communique iuri metiri quis vellet, parochi favore iudicandum certissime foret. Etenim decernit Tridentina Synodus *cap. 13 sess. 25 De reform.* « ut quibuscumque in locis iam ante annos 40

quarta, quae funeralis dicitur, cathedrali aut parochiali ecclesiae solita esset persolvi.... eadem posthac integro iure et eâdem portione, quae antea solebat, cathedrali seu parochiali ecclesiae persolvatur. »

Haec autem quarta seu portio canonica debetur de iis omnibus, quae ratione funeris praebentur ab haeredibus defuncti. Ita *cap. inter. cunctos 1 De privil. inter extrav. com.*, Sixtus IV *const. Regimini,* S. Pius V const. *Etsi mendicantium,* ac praesertim Benedictus XIII const. *Romanus Pontifex,* ubi haec praecise iubentur: « Praeterea motu, scientiâ et potestatis plenitudine sancimus et statuimus et mandamus, ut in Italia eique adiacentibus insulis, a die publicationis in futurum, parochis defunctorum qui in ecclesiis quorumcumque regularium praedictorum tumulantur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tumulantem associabitur, *nec non omnium intorticiorum et candelarum, quae in eadem ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur.* A praedicta tamen quarta exceptae intelligantur et sint candelae, quas sacerdotes etiam regulares vel piarum sodalitatum confratres funus associantes manualiter per viam accensas deferent. »

Et notandum, quod haec portio funeraria, quae parocho defuncti proprio ab ecclesia tumulante debetur, etsi quarta vocetur, quia ab initio, vel hodie adhuc, aliquibus in locis, quartam partem constituit eorum omnium, quae a defuncti haeredibus, occasione funeris offeruntur; nihilominus de legitima et rationabili consuetudine potest induci, ut sit tertia pars, vel etiam medietas. *Can. Antiquos 10 q. 1, cap. Explicari 9 De sepult.* cum communi. Unde seposito nomine, ad quartae quantitatem stabiliendam Ferraris *v. Quarta fun. n. 2* cum communi docet, attendendam esse cuiusque provinciae et loci legitimam et rationabilem consuetudinem.

Iamvero in proposito casu extra controversiam est, parocho defuncti proprio quartae ratione deberi medietatem can-

delarum et intorticiorum, quae deferuntur in cadaveris associatione et circa tumulum ardent dum exequiae persolvuntur. Quae vero eodem tempore accenduntur ad altaria, contra Benedictinae constitutionis praescripta, ex recepta consuetudine tumulanti ecclesiae ex integro cedunt absque ulla parochi participatione; nec super hoc disceptatur. Quae demum circa tumulum accenduntur medio tempore inter delationem et exequias, has sibi omnino vindicat cathedralis ecclesia tumulans, dum parochus defuncti proprius contendit quartae detractioni esse subiectas, sibique ex medietate deberi.

Modo ut ad argumenta veniamus quae in hac parva quaestione hinc inde militant, capitulum praeprimis recognoscit ius commune sibi esse contrarium; sed nonnullis adductis testibus propugnat ius commune contrariâ consuetudine esse prorsus elisum.

Testes autem qui capitulo favent hi sunt: quidam Possenti sacristiae cathedralis camerarius, tres eiusdem cathedralis famuli Petrus scilicet ac Ioannes Ghiggiotti, et Aloysius Davanti et mandatarii pii sodalitii *a Misericordia:* demum pro capitulo dimicant rectores ecclesiarum S. Petri et S. Francisci, quae in ea civitate unicae, praeter cathedralem, gentilitiis sepulcris honorantur: qui testes nonnullos casus citant ad roborandam consuetudinem.

Porro notat in suis litteris capitulum, si legitima consuetudine praescribi contra ius commune potuit, ut a quartae contributione subtraherentur candelae quae funeris occasione ad altaria tumulantis ecclesiae accenduntur, a pari, data legitima consuetudine, excipi a contributionis onere possunt intorticia, quae circa feretrum praedicto tempore ardent.

Eo vel magis quod consuetudo si multum semper valet, maximum tamen robur obtinet in negotiis ad funera pertinentibus; Reiffenstuel *l. 3 tit. 28 num. 47* S. C. C. in *Maceraten. 18 Iulii 1699* in *Camerinen. 18 Decembris 1819.*

Vicissim parochus s. Crucis pro se habet ius commune

superius enunciatum; cui non fuisse derogatum, nisi in ea parte quae respicit candelas ad altaria accensas, minime vero in reliquis, totis viribus sustinet.

Ad quem effectum in primis asseverat usum accendendi circa tumulum plura intorticia, tempore inter delationem et exequias medio, a paucis annis inolevisse, idque tribus documentis probat, idest parochi S. Cristophori, parochi SSñi Salvatoris et quatuor custodum sacristiarum S. Hieronymi, S. Iosephi et S. Ioannis Evangelistae, nec non et S. Crucis.

Quibus demum maximi roboris votum accedit ipsius Ordinarii; ubi inter alia haec considerat et firmat, nempe quod ex usu immemorabili apud cadaver, toto expositionis tempore in Ecclesia, una tantum accenditur candela ex illis quae circa feretrum accenduntur in associatione; et est una ex quatuor quae ad Sodalitium associans pertinent titulo crucis et feretri.... Fertur primo in funere comitis Ioannis Manassei anno 1860, haeredes defuncti misisse ad Ecclesiam praeter candelas pro associatione, alias candelas ut accenderentur toto expositionis cadaveris tempore. Et quoniam ecclesia parochialis erat insimul gentilitia et exponens omnia rite parochus sibi addixit. Post hoc factum, alii casus acciderunt, quibus familiae defuncti voluerunt ut accenderentur circa cadaver, expositionis tempore, nonnullae candelae, ultra illas constitutas pro associatione: et Ecclesiae tumulantes sibi addixerunt candelas illas dividendo cum respectivis parochis tantum candelas associationis.

Hoc stante, asserta in contrarium immemorabilis consuetudo ruere videtur. Nam res esset de factis quae a paucis ab hinc annis evenisse dicuntur.

Quae assertio, quum iuxta parochum S. Crucis facta sit a testibus pluribus qualificatis et non suspectis, praevalere omnino debet in concursu alterius attestationis, quae provenit vel a rectoribus aliarum duarum ecclesiarum tumulantium, - quorum quidem valde interest parochorum iura coarctari, - vel a famulis aut camerario sacristiae cathedralis,

qui tam ratione servitii, quam communis utilitatis causâ, capitulo sunt devicti.

Accedit quod ex praefatis rectoribus alter frater est illius Possenti, qui camerarium cathedralis sacristiae agit, et cum eo convivit; alter vero, nempe rector S. Petri licet hodie contra parochum testetur, nihilominus ab initio quaestionis palam professus est bonum ius ex parte parochi S. Crucis esse, veluti duo alii civitatis parochi, S. Nicolai et S. Thomae, in litteris ad acta relatis, se amussim audivisse fatentur.

Quod autem testes a se propositi validiores sint magisque praeferendi, actor parochus probat, recolendo hos inter nedum Ordinarium haberi, sed duos parochos, quorum alter s. Christophori nempe, qui senior est et praeclarissimus inter omnes dioecesis curiones. Ex saecularibus autem unum tantummodo exceptione aliqua posse repelli; nam aedituus modo est paroeciae S. Crucis; tres reliquos vero omni exceptione esse maiores.

Relate vero ad parochos animadvertit actor, eos tum quia qualificatos, tum quia in cathedrali ecclesia sepulcra gentilitia suorum filianorum non habent, fide dignos censeri debere.

Sed quod magis valet, hoc esse videtur, quod parochus considerat, nempe attestationes ex parte capituli vagas et incertas se prodere, nam nullum praecisum factum producunt.

At imo neque pro duabus aliis ecclesiis tumulantibus S. Petri et S. Francisci, pro quibus duo respectivi rectores testantur, suppetit maior numerus casuum; nam asseverat actor, unum tantum casum exhiberi ab eis posse.

Iamvero ad hoc ut inter particulares ecclesias praescribatur sive tota obligatio, sive quantitas quartae, requiri consuetudinem quadragenariam cum titulo, aut immemorabilem, docent Silvester, *Verb. Canonica portio, num. 2 et 4;* Barbosa *De off. et potest. Parochi, p. 3, c. 25, num. 16;* Samuel *De sepulturis tract. 1, Cont. 9, concl. 5;* Schmalzgrueber *h. t.* § *8 num. 10.*

Ferraris autem *loc. cit. num. 3;* haec habet: « Quarta funeralis seu portio canonica usque ad quartam exclusive potest praescribi spatio decem annorum, absque titulo : ad hoc autem ut praescribatur infra quartam vel ut nihil solvatur consuetudo 40 annorum cum titulo vel immemorabilis. » Et in notis quae ab aliena manu huic operi adiectae sunt, haec ulterius habentur: « Differt ecclesia cathedralis ab aliis ecclesiis quoad acquirendam praescriptione exemptionem a solutione quartae funerariae. Cathedralis enim ecclesia quadragenaria acquirit exemptionem a solutione quartae funerariae; ceterae vero ecclesiae indigent immemorabili vel centenaria ad hanc acquirendam exemptionem. Rota in *Barchinonen. Iurium parochialium 9 Iulii 1732 coram Aldovrando.* Quoad quantitatem quartae funerariae standum consuetudini. At notabile est quod si ea praetendatur infra medietatem, sufficit praescriptio decem annorum, si autem ultra medietatem praetendatur, necessaria est praescriptio quadraginta annorum. »

Itaque Ferraris distinguit, et vult, portionem quartae 10 annis praescribi, liberationem vero ab omnimoda quartae solutione 40 annorum consuetudine obtineri. - Verum singulare hoc est ; nam cum iura ecclesiarum, quaecumque illa sint, quadragenaria tantummodo praescriptione tollantur; et etiam portio quartae ius 10 annis adimi possit: nec satagit clarus auctor edicere ex quonam fonte suam sententiam promat; quapropter fidendum ei non videtur.

Ex quibus, ut concludatur, deducitur actori parocho favere commune ius, cui derogatum non fuisse contenditur, quippe quia res est de consuetudine non quadragenaria, nec legitime praescripta , sed ex paucis casibus , nec in eodem loco, nec contra eamdem ecclesiam procedentibus.

Haec omnia scripta et typis exarata iam erant, cum capituli nomine, eiusque causam tuiturus , patronus primum adstitit; at paulo post universum negotium compositum iri extemplo nunciatum est. Et revera actor parochus exemplar transactionis die 31 Decembris 1888 a partibus subscriptae ad S. C. C. transmisit, quae ita est:

Super controversia orta inter Parochum S. Crucis et Capitulum Cathedralis, causâ reliquiarum quatuor candelarum ex octo quae continuo arserunt circa feretrum Dominici Montani Leoni, pleno assensu conventum est, quod, salvis iuribus utriusque partis, quae unaquaeque sibi reservat experienda, quatenus opportunum credat, pro dimidio dividendae sint, idest duae tradendae sint Parocho S. Crucis, et duae Capitulo Cathedralis; et quod futuris temporibus, quoties iidem eveniant casus, donec quaestio resoluta fuerit, semper facienda erit divisio, iuxta praesentem concordiam.

Verum cum ex hoc actu, ob adiectam arbitrii clausulam nihil definitum videretur; universum negotium, sicut iam erat decretum, EE. PP. iudicio submitti visum est, ob id etiam ne diutius protraheretur discordia quae ex parva re nata, eo maiori scandalo fidelibus esse dicebatur.

Hinc propositum dirimendum

Dubium

An cathedralis ecclesia tumulans solvere debeat Parocho s. Crucis quarta funeraria de intorticiis, quae tempore inter delationem et exequias medio circa feretrum ardent in funeribus in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re disceptata sub die 16 Februarii 1889 censuit respondere: *Provisum per concordiam.*

Ex quibus colliges. I. Ex iure deberi Parochis defunctorum, qui in aliis ecclesiis tumulantur, quartam partem omnium intorticiorum, et candelarum quae accenduntur in die funeris circa cadaver vel etiam in altaribus.

II. Ex rationabili et legitima consuetudine locorum induci posse, ut portio funeraria quae parocho defuncti proprio debetur ab Ecclesia tumulante, sit tertia pars, aut etiam dimidium eorum omnium, quae a defuncti haeredibus offeruntur occasione funeris, dum ab initio fuit realiter quarta pars.

III. In themate deberi quartam funerariam Parocho s. Crucis, etiam super intorticia, quae a paucis annis accendi solent circa tumulum tempore medio inter delationem et exequias; quia in subiecta materia consuetudo quadragenaria tantum aut immemorabilis posset derogare iuri communi.

S. AGATHAE GOTHORUM

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 16 Februarii 1889.

Sess. 24 cap. 13 De ref.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus S. Agathae Gothorum supplicibus litteris haec ad S. C. C. deducebat, et ut definirentur poscebat: « In hac Santagathensi civitate plures extabant paroeciae, quae per capitulum eiusque dignitates regebantur. »

« Ad tollenda deinceps innumera incommoda Episcopus in s. Visitatione anno 1736, annuente universo capitulo, dictas paroecias ad duas reduxit, facta conventione ut dictae paroeciae alternatim conferrentur, una vice scilicet providente Episcopo, altera vice praesentante capitulo - *salvis tamen ac firmis remanentibus iuribus parochialibus, quae fuerunt et sunt penes Capitulum.* - »

« Hac clausula innixi canonici, inter alia, 1. plerumque a choro se abstinentes in cappa ad confessionale se conferunt, relinquentes chorum desertum et praetendentes punctaturae non subiici, utpote curati. »

« 2. Autumant confessionem auricularem sibi non ab Episcopo, sed a iure conferri, ac proinde non posse hac facultate privari. »

Disceptatio Synoptica.

QUAE FAVERE CANONICIS VIDENTUR. Porro canonici quoad ipsos attinet, porsus tuentur, se ab immemorabili curam

animarum habuisse. Archidiaconus enim gerebat curam paroeciae S. Agathae de Amarenis, primicerius curam paroeciarum S. Petri de Sterponibus et S. Bartholomaei de Ferrariis, thesaurarius curam paroeciarum Episcopatus et S. Mariae de Futinis, capitulum autem *in solidum* gerebat curam paroeciarum S. Ioannis in Curte et S. Nicolai ad Petras vivas. Hinc, nemo obtinere poterat canonicatum cathedralis nisi prius per examen probasset, se ad animarum curam gerendam esse idoneum iuxta decretum Episcopi Pelleo diei 12 Aprilis 1550, quod ita se habet: « Nemo deinceps admittatur ad canonicatum seu praebendam in hac cathedrali ecclesia, nisi qui coram Nobis vel Vicario nostro ab examinatoribus dioecesanis repertus fuerit probatae vitae.... qui plusquam mediocriter non intelligit quaecumque legit, ita ut idoneus habeatur ad administrationem Sacramentorum, cum sit quod capitulo sint adnexa beneficia curata. »

Et quamvis ob tenuissimos earumdem paroeciarum reditus Episcopus Danza ad duas tantum paroecias reduxerit, iuribus tamen capituli nullimode detraxisse dicunt. Ait enim in praefata Bulla: « Quae quidem iura, decernimus quod semper sint salva, intacta et eidem capitulo expresse reservata. » Et reapse capitulum etiam post dictam Bullam semper et modo eminenti curam animarum exercuit. Constat enim ex conclusionibus capitularibus annorum 1764, 1765, 1775, 1804, 1833, 1834, 1873, 1880, 1881, capitulum suos Vicarios delegasse eosque ad *nutum* removisse; civitatem ac rusticas domos in varias vicarias curatas divisisse, earum numerum nunc augendo, nunc imminuendo; et de gremio titularem constituisse, qui propius curae animarum praeesset ipsius capituli nomine.

Insuper capitulo spectare curam animarum arguunt ex pluribus factis quae notoria vocant. Aiunt scilicet 1. unicuique novo canonico tribui possessionem canonicam non solum stalli choralis, sed etiam confessionalis, s. Tabernaculi, fontis baptismalis et sanctorum oleorum; 2. sacrum fontem, olea sancta ac libros baptizatorum servari a canonico the-

saurario cathedralis ecclesiae; 3. canonicos ministrare sacramenta ac verbum divinum praedicare, absque ulla venia, sive Episcopi sive multo minus Vicariorum amovibilium; unde iidem canonici se reputant veluti confessarios *de iure*, atque immunes a punctaturis, si fidelium confessiones excipiant tempore choralis officii.

Allegant praeterea auctoritatem seu testimonium s. Alphonsi Mariae de Ligorio, qui in regimine illius Dioecesis Episcopo Flaminio Danza immediate successit, quique capitulo ea adesse iura ac officia agnovit, quae ab Episcopo Danza sublata esse modo contenditur. Scribens enim canonicis confessariis s. Agathae, haec habet sanctus vir: « Ho inteso con molta pena che la gente di S. Agata molto si è lamentata che le Signorie VV. Rm̃e poco assistano al confessionario.... Io ricordo loro che buona parte delle rendite del capitolo, come già sanno, provengono dalle rendite delle parrocchie: onde già sanno che ciascuno di loro Signori ha l'obbligo *in solidum* di curato, sicchè quando manca uno è obbligato l'altro.... L' obbligo radicale è di ciascuno ed è obbligo di giustizia, perchè ciascuno gode dei beni dei cittadini di S. Agata. I due parrochi non possono giungere a contentare la gente: Dunque sono obbligati i canonici. Ma i signori canonici, quando è tempo di confessare se ne vanno in coro a dire l'officio.... I signori canonici confessori non solo debbono avere la cura delle anime di S. Agata, e ciò per giustizia, ma ancora per carità di tutti i diocesani.... » (1)

Item, aiunt canonici, curam animarum inesse capitulo

(1) Aegro prorsus animo deprehendi, populum s. Agathae valde doluisse quod Revm̃i Canonici parum adsint pro Confessionibus excipiendis..... In mentem eorumdem revoco quod magna pars redituum Capituli, uti sciunt, proveniunt ex reditibus paroeciarum; proinde iam norunt, unicuique eorum incumbere *in solidum* onus curae; ita ut, uno deficiente, alter obligetur..... Obligatio in radice est penes quemlibet, et est obligatio ex iustitia, eo quod unusquisque fruitur bonis civium s. Agathae. Duo parochi impares sunt populorum necessitatibus. Ergo obligantur canonici. Sed domini Canonici, quando est tempus excipiendi confessiones, chorum petunt pro officio..... Domini Canonici confessarii nedum habere debent curam animarum s. Agathae, idque ex iustitia, sed ex charitate omnium dioecesanorum. »

agnovit et proclamavit Nuntius Apostolicus a Summo Pontifice delegatus ad dividendas Dioeceses s. Agathae Gothorum et Accerrarum. Is enim in decreto diei 15 Aprilis 1885 ait: « Cum vero SSmus Dominus Noster iusserit ac mandaverit .... atque statuerit ut in hac (cathedrali) unica maiori ecclesia remanere debeat idem quinque dignitatum et viginti sex canonicorum numerus cum omnibus bonis.... honoribus atque oneribus; haec omnia exequenda esse et ad unguem observanda declaramus, eaque praesertim, quae spectant ad *animarum curam eidem capitulo generatim adnexam* pro universa civitate eiusdemque circuitu, et *curatis vicario nomine et amovibili ab eodem capitulo demandatam confirmamus.* »

Ad haec observant canonici, quod si ipsi punctaturis subiicerentur, quoties tempore choralis officii confessionibus excipiendis vacarent, non parum detrimenti obveniret fidelium qui cum ex consuetudine immemorabili praefato tempore ad poenitentiae sacramentum soleant accedere, sacramentum ipsum minus frequentarent; eo vel magis quod, praeter canonicos, alii non suppetant sacerdotes confessarii: et ipsi canonici non facile possent aliis horis populi confessiones excipere, cum plures ex ipsis iuvenum educationi in scholis dioecesani Seminarii sint addicti.

Observant demum, in cathedrali ecclesia sex tantum adesse confessionalia, quorum duo sunt destinata pro Poenitentiario et pro Vicario curato; unde quatuor tantum confessionalia pro canonicis remanent, ita ut etiamsi omnia simul occuparentur, quod tamen raro evenit, cum tamen canonici sint numero viginti et ultra, chori servitium notabile damnum non pateretur.

Ex his capituli deductionibus non immerito forsan concludi potest opinionem canonicorum iuris fundamento haud destitui. Revera quoad primam partem, quoad ius scilicet excipiendi fidelium confessiones, absque Ordinarii approbatione, canonicorum favore stare videtur ipsum Conc. Trid. *sess. 23 cap. 15 De reform.* ubi potestas sacramentalis

confessionis limitatur ad parochos et ad sacerdotes ab Episcopo peculiariter approbatos. Sicut itaque quilibet sacerdos eo ipso quod parochus constitutus est, valet et confessiones audire, quin speciali Episcopi delegatione vel approbatione indigeat, ita et canonici in themate, eo quod et ipsi eodem tempore quo canonici fiunt, parochi sunt, in eadem conditione versentur oportet.

Quod vero attinet ad ius non subiacendi punctaturis ex parte canonicorum, qui, dum divina officia persolvuntur, excipiunt sacramentales confessiones, notandum est in decreto Bonifacii VIII, quod incipit *Consuetudinem,* relato in *cap. un. De cleric. non resid. in 6*, innui tres causas excusationis absentiae a choro; et hae sunt *infirmitas, iusta et rationabilis corporalis necessitas et evidens ecclesiae utilitas;* quae ecclesiae utilitas videtur posse extendi etiam *ad populi commodum:* haec enim clausula in similibus dispensationibus plerumque adiecta fuit a S. C. C. uti in causa *s. Miniati diei 8 Februarii 1817,* et in *Tranen. diei 20 Decembris 1862.*

Insuper iusta ac legitima de causa introduci posse consuetudinem abessendi a choro tempore divinorum officiorum, et non subiacendi punctaturis ad hunc effectum, ut canonici aut missam celebrare valeant, aut alio spirituali ministerio in fidelium commodo vacare possint, tradunt Garcia *De beneficiis p. 3 c. 2 § 1 num. 421;* Antonelli *De cleric. non resid. l. 3 c. 16 n. 25;* Moneta *De distribut. par. 2 quaest. 11 num. 52;* Scarfantonius ad *Ceccoper. lib. 13 tit. 11 num. 13 et 14,* ubi ait: « Posse ex iusta causa consuetudinem introduci quod canonici tempore divinorum officiorum celebrantes lucrentur distributiones, nam totus est divinus cultus. »

Sed quod gravius est, penes capitulum in casu ipsa actualis cura animarum haberi videtur; unde omnes canonici nedum fruuntur iure parochiali, sed et tenentur praesto esse administrationi sacramentorum et aliorum, quae Christifidelibus sunt necessaria. Iamvero exploratissimum in iure est

quod qui curam animarum alicui ecclesiae inhaerentem exercet, tempore quo munia exequitur parochialia, etiamsi divinis officiis non intersit, distributiones tamen quotidianas lucratur; ita ut scilicet servitium parochiale cedat loco servitii in choro, et praesentia seu interessentia ficta habeatur sufficiens ad hoc, ut quis punctaturis non subiiciatur. Id sane eruitur ex *Conc. Trid. sess. 22 cap. 3 De reform.* Id Benedictus XIV explicans Conc. Trid. *loc. cit.* docuit in *Institut. Eccl. 107* § *56,* ubi ait: « Qui habet curam animarum in ea ecclesia, in qua est canonicus, si toto tempore occupatur actu in exercitio eorum, quae spectant curam animarum, distributiones quotidianas obtinet. » Id insuper confirmatum est a S. C. C. in *Isernien. 27 Februarii 1597,* et in *Mediolanen. 13 Feb. 1639.*

Quare si canonici in casu tempore divini officii audiant sacramentales confessiones considerari debent tamquam praesentes in choro et subiici non possunt punctaturis.

Quae adversari canonicis videntur. Altera vero ex parte animadvertendum est ante annum 1736, seu ante decretum Episcopi Danza dignitates et capitulum administrasse quidem singulas civitatis paroecias, at, post hoc annum, dignitatum et capituli iura, quaecumque demum antea fuerint, valde immutata fuisse.

Etenim die 11 Iunii 1736 Archidiaconus, Ordinarii hortationibus compulsus primus accessit, et renunciationem parocciae S. Agatae de Amarenis suae dignitati propriae emisit ita: « Coram etc. comparet Archidiaconus etc., et dicit qualiter reperitur investitus de praedicta parochiali ecclesia, et quia tenetur deputare oeconomum, cum iustis de causis, occupatus praesertim in cathedrali praedicta, non potest assistere regimini dictae parochiae, quae habet infrascriptos fructus praeter decimas etc. Propterea renunciat in manibus ipsius Illmi Episcopi in hac sancta Visitatione dictam parochialem ecclesiam, tanto magis quod sint parvi redditus, qui neque sufficiunt pro oeconomo, et ipse comparens habet aliunde vivere; instat propterea ipsam annexari ex nunc

pro tunc, et secuta unione et annexatione praedicta, attenta renuntiatione per ipsum facta, fructus praedictos perpetuo unire, et abdicare, ac de alio parocho provideri, vel cum aliis annexari, servatis servandis. »

Similem renuntiationem emiserunt eadem die Primicerius, Thesaurarius ac demum capitulum pro suis singulorum paroeciis ; et unanimi deinde voto suffragati sunt, ut ex omnibus his paroeciis duae constituerentur, altera in ecclesia s. Angeli, altera in Cathedrali, et ut in iis peculiares *rectores* constituerentur « qui commodius sacramenta parochianis administrarent » et de sufficienti congrua essent provisi « ultra emolumenta decimarum personalium, stolarum albae et nigrae » veluti legitur in episcopali bulla, qua Praesul hanc novam paroeciarum ordinationem sanciebat.

Porro haec omnia suadent ex eo tempore capitulum et dignitates actuali animarum cura se prorsus exuisse. Hoc enim derivare videtur tum ex facta renunciatione, tum ex constitutione Vicariorum, qui rectorum nomine decorantur, tum ex assignatione decimarum et incertorum stolae eisdem Vicariis facta.

Et quamvis Episcopus plura cimet capitulo reservaverit per haec verba, « firmis tamen remanentibus obligationibus onerum missarum, ad quas tenebantur Capitulum, archidiaconus etc., et iuribus parochialibus quae fuerunt et sunt penes nostrum capitulum, praesertim circa exequias privative quoad alios, quae quidem iura decernimus quod semper sint salva intacta et eidem reservata. - Reservantes insuper dicto Thesaurario retentionem penes se librorum baptizatorum et confirmatorum huius civitatis, et facultatem recipiendi candelas iuxta solitum in exequiis simul cum praefato capitulo .... retentis clavibus sancti tabernaculi et sacramentalium per rev. Thesaurarium etc. » - attamen ex hoc non descendit animarum curam capitulo esse servatam, imo e contrario ; nam per factam enumerationem ostenditur haec iura in via exceptionis ad capitulares competere, minime vero per se. Unde ex factis reservationibus habitualis cura capitulo reservata, arguitur, minime vero actualis.

Quod et firmatur ex sequentibus Episcopalis Bullae verbis: « Et animadvertentes posse in futurum inter praefatos parochos S. Angeli de Munculanis, et Assumptionis B. M. V. exoriri lites ob retentionem librorum mortuorum et matrimoniorum, etiam huic incommodo consulendo mandamus praefatos libros conservandos fore per turnum inter dictos parochos. - Respectu vero collationis dictarum parochialium in ante, in casu vacationis, servetur concordatum inter Nos et Capitulum nostrum habitum, nempe quod in una vice plena collatio spectet et spectare habeat ad Nos, prout hac vice prima Nobis reservavimus etiam respectu parochialis s. Angeli quomodolibet vacaturae; in altera vero vice praesentatio et nominatio sit penes ipsum Capitulum. Ita quod in omnibus futuris temporibus servetur alternativa ut supra prout servari mandamus. »

Accedit, vicarios curatos Cathedralis et s. Angeli per concursum et examen eligi et approbari; et in perpetuum ad animarum curam deputari, ut constat ex bullis ad acta relatis typisque impressis, quarum tenor, ut unum proferam exemplum, ita est: « Vacante igitur animarum cura in eadem cathedrali ecclesia ab auspiciis Deiparae V. in coelum Assumptae *per assecutionem canonicatus cum praebenda* in antedicta cathedrali ecclesia multis ab annis factam per rev. D. I. B. Narducci ultimum illius possessorem, et volentes nos eamdem curam de alio successore providere, ne divinus cultus detrimentum patiatur, et ulterius maneat suo viduata pastore, et cuius provisio hac vice ad nos pleno iure spectat.... monentes omnes et singulos concurrere desiderantes, ut infra praefinitum tempus deberent comparere ad praedictum concursum, et inter alios comparuisti tu, Liberate Iamotta coram Nobis et examinatoribus prosynodalibus.... a quibus.... habilis et idoneus repertus fuisti ad praenarratam Vicariam curatam hac vice, ut supra, perpetuam assequendam, etc. »

Et in alia bulla ita: « Cum itaque sicuti accepimus vacaverit, prout ad praesens vacat, parochialis ecclesia sub au-

spiciis S. Angeli de Munculanis.... die 21 elapsi mensis Ianuarii currentis anni, et volentes nos effatam animarum curam de alio rectore et parocho providere ne divinus cultus detrimentum patiatur, ac pastore diu remaneat viduata ad praescriptum S. C. Tridentini, publicum edictum ad concursum dictae parochialis ecclesiae promulgavimus etc. »

Porro haec peremptoria videntur ad probandum, Vicarios curatos paroeciarum cathedralis et S. Angeli nomine proprio curam actualem exercere, minime vero nomine capituli. Nam hoc tantummodo casu viduata dici potest paroecia, si actuali eius rectore privetur; minime vero si perfunctorio ministro et alterius nomine curam gerente careat. Quapropter cum duo unius eiusdemque beneficii possessores esse non possint, nec duo unius eiusdemque paroeciae ex titulo et nomine proprio actualem curam exercere permittantur; iam sequitur capitulum hac actuali cura in duas civitatis paroecias minime donari.

Edicunt canonici se olim, praevio examine, ad canonicatus institutos fuisse; sed hoc ante annum 1737. Latet vero utrum mos huiusmodi adhuc subsistat. At cum capitulares, qui adeo solliciti sunt in suis iuribus vindicandis, super hac re altum servent silentium, argui verosimiliter potest, antiquum morem non amplius servari.

Quidquid sit, hoc examen, si adhuc tamen fiat, hodie haud amplius censeri posse directum ad paroeciae regimen; siquidem, ex dictis, capitulum actuali animarum cura caret. Si vero ad hoc dirigatur, ut canonici ad confessiones excipiendas approbentur, non est facile definire. Imo cum Episcopus conqueratur de capitularium agendi ratione, iam videtur, praefatum examen neque ad effectum sacramenti poenitentiae fieri. Quapropter, si adhuc tamen hoc examen habeatur, ipsum non aliud esse consequitur, quam simplex idoneitatis experimentum.

Age vero Tridentinum *Sess. 25 cap. 15 De reform.* vetuit, quemlibet sacerdotem sacramentales confessiones excipere « nisi aut per parochiale beneficium, aut ab Episcopis

per examen, si illis videbitur esse necessarium.... approbationem.... obtineat, »

Nomine autem *parochialis beneficii* heic intelligi debet illud, cui imminet *cura actualis* animarum, non vero beneficium, cui adnexa est cura tantum habitualis. Ita docet De Luca *De parochis disc. 46 num. 5* - ibi - « Alii enim canonici eiusdem ecclesiae, penes quam sit cura habitualis, non dicuntur *parochi,* neque eorum *beneficia curata.* » Ita pariter docet cl. d'Annibale *Summ. Theol. Moral. par. III, art. 182, not. 3* et expresse definivit S. C. C. in *Cingulana curae animarum 19 Iulii 1732* ac in *Baren. iurium parochialium 1 Aprilis 1876.*

Cum igitur in themate cura actualis animarum canonicis minime immineat, iidem iurisdictionem necessariam ad valide et licite confessiones excipiendas nonnisi per Ordinarii approbationem habere possunt.

Praeter haec docent canonistae parochos quantumvis probatos et in ecclesiae parochialis exercitio existentes novo examini ab Episcopo subiici posse, novis supervenientibus indiciis etiam extraiudicialibus de eorum imperitia, si sermo sit de parochis ab ipsomet Episcopo approbatis; si vero agatur de parochis ab Episcopi praedecessore institutis, eos examini posse iterum subiici, licet absint supradicta indicia de insufficienti eorum idoneitate; et hoc pro sola quiete conscientiae suae. Sic expresse tradit Ferraris *Verb. Parochus art. 1 num. 21-27, citans* Rotam *recent. part. 19 tom. 1 dec. 257,* Gonzalez, Garcia, Barbosa, De Luca; Pignatelli *tom. 1 Consult. 133 n. 7 et seq.,* Glossa *ad cap. Cum secundum Apostolum 16 de praebend. verb. liceat.* Et sic censuit S. C. C. in *Pampilonen.* apud Pignatell. *loc. cit. num. 8.*

Porro si ius commune Episcopo facultatem concedit novo examini supponendi parochos, qui in vim peracti speciminis ad curam animarum suscipiendam approbationem iam retulerunt, multo magis huiusmodi facultas eidem concedenda esse videtur in casu, cum agatur de canonicis, qui

nec animarum curam actu exercere, nec examen subiisse, nec alias ab Episcopo videntur approbati.

Quoad secundum vero animadvertendum est, distributiones nihil aliud esse quam « portiones ecclesiasticorum redituum quotidie distribui solitas iis clericis, qui statutis horis intersunt divinis officiis, discretas a praebendarum fructibus,» uti docet De Angelis in *Praelect. Iur. Canon. lib. 3, Decret. tit. 4, num. 16.* Ex quo legitime infertur quod amitti debeant ab illis, qui choro statutis horis non intersunt. Quod ceteroquin expresse statuit Tridentinum *cap. 12, Sess. 24,* ubi haec habet: « Distributiones vero, qui statutis horis interfuerint recipiant, reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant. » Unde sequitur quod ad distributiones lucrandas requiratur vera praesentia corporalis in choro.

Neque obiici valet, canonicos qui curam habent animarum, dum hanc exercent, a S. Conc. Tridentino tamquam choro praesentes considerari, ad effectum lucrandi distributiones quotidianas, ac proinde punctaturis non esse obnoxios.

Sedulo enim animadvertendum ex Conc. Trident. loqui tantum de illis, qui possident dignitatem, cui imminet seu adnexa est actualis animarum cura sicut aperte docet Garcia *De benef. part. 3 cap. 2 n. 337;* Fagnanus *lib. 3, decr. Licet De praebendis n. 163 et 165;* S. C. C. praecipue in *Montis Regalis 8 Iunii 1726 et 6 Dec. 1732;* in *Tortonen. 19 Sept. 1643;* nec non ex S. C. EE. et RR. in una *Lauden. 24 Nov. 1617.*

His utrinque animadversis, quaesitum est quonam responso dimittenda essent sequentia

Dubia

I. *An canonici ecclesiae cathedralis confessiones sacramentales, qua parochi valide et licite excipere possint in casu.*

II. *An iidem, confessiones sacramentales excipientes tempore divinorum officiorum, a punctaturis eximantur in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 18 Februarii 1889, censuit respondere: « *Ad I. et II. firmo remanente favore Capituli iure tantum praesentandi, exercitium omnium iurium parochialium utriusque paroeciae exclusive et independenter tribuendum esse respectivis rectoribus, per concursum eligendis et amplius.* »

Ex quibus colliges I. Ex Tridentino parochum qui curam habet actualem animarum eximi a punctaturis in choro, et considerari ceu praesentem quoties tempore horarum canonicarum sacramenta, aut alia sacra administret Christifidelibus sibi commissis; non eximi tamen canonicos, penes quos sit tantum cura habitualis.

II. Curam actualem in themate exerceri per vicarios perpetuos nomine proprio, minime vero nomine capituli; eo quod per concursum et per examen deputentur in perpetuum ad curam animarum.

III. Neminem excipere posse sacramentales confessiones, nisi per parochiale beneficium aut per approbationem, quam obtineat ab Episcopis, praevio examine, si illis videbitur esse necessarium.

IV. Episcopos posse, quatenus velint, novo subiicere examini etiam parochos, quamvis probatos et in Ecclesiae paroecialis exercitio existentes, si superveniant indicia de eorumdem imperitia.

V. Canonicos in themate, si examen adhuc peragunt, id agere ad probandam eorum idoneitatem ad tantum officium pro excipiendis confessionibus, minime vero ut dirigantur ad paroeciae regimen; quum exercitium curae actualis sit tantum apud vicarios perpetuos.

PANORMITANA

INSTITUTIONIS

Die 16 Februarii 1889.

Sess. 22 cap. 11 Sess. 24 cap. 18 De reform.

Compendium facti. In cathedrali Ecclesia panormitana 24 capitulares numerantur, quorum plerique canonici, nonnulli vero dignitatis titulo decorantur. Prima dignitas et capituli caput est Cantoratus, quem vulgo *Ciantriam* dicunt; eique proxima est dignitas archidiaconatus, cui decanatus, aliaeque sequuntur. Ex optionis iure in eo capitulo vigente capitulares ab inferioribus canonicatibus ad archidiaconatum usque ascendere possunt, non tamen ultra; nam Cantoratus optione non acquiritur. Cantoratus autem sicut et archidiaconatus aliaeque praebendae regio patronatui subiacent.

At moderno tempore panormitani Capituli status, civilis gubernii operâ, mutationem subivit. Etenim duodecim praebendae confiscatae sunt, ceterarum vero bona in censum publicum conversa. Inter conservatas cantoratus quoque fuit, eique assignatus est annuus reditus 12, 000 libellarum.

Apostolicis tamen litteris Pii PP. IX die 19 Februarii 1872 permissum est, ut et suppressis civiliter titulis ecclesiastice provideretur, et sic electi *palam honorariorum dumtaxat specimen praeseferrent.*

Imo eisdem etiam litteris cautum est ac declaratum, regium patronatum in ea quae reliqua erant beneficia Pontificem *nec agnoscere, nec agnoscere posse.* Unde ecclesiasticam inter et civilem potestatem, hanc in vacationibus nominare praesumentem, illam vero factas praesentationes respuentem, dissidium statim efferbuit. Usquedum tandem Archiepiscopus conquestus cum Ministro a secretis status, pro negotiis cultus super hoc sui capituli statu, hanc die 6 Novembris 1883 responsionem obtinuit: non posse a gubernio recognosci canonicos honorarios, institutos ab auctoritate ec-

clesiastica, ultra numerum a lege civili decretum; et ideo iidem ab optione repelluntur, neque limitem imponere possunt liberae electioni, ad quam ius habet regius patronus. Et ideo, prosecutus est Minister, ad conciliandum modum providendi Praebendis istius Capituli, et eliminandi omnem difficultatem in subiecta materia, *ternam* exhibere posset E. V. in qualibet vacatione, in qua comprehendatur etiam vir aliquis ecclesiasticus, qui canonici honorarii qualitate careat. Gubernium istorum requisita ponderando, maximi faceret iudicium E. Vestrae; ita tamen ut obsequium hoc, erga auctoritatis ecclesiasticae sententiam, non habeatur exercitii iuris instar, quod eadem non habet.

Hanc propositionem Emus Praesul accepto habere per litteras significavit Ministro pro negotiis cultus.

Hiusmodi conventio comunicata capitulo fuit, quod eam acceptam habuit: et exinde, iuxta ipsam, beneficia suis titularibus provisa sunt, et omnia in pace fuerunt usque ad annum 1887. Quo tempore, Ianuario mense, vacato ex morte sacerdotis Polito Cantoratu, Emus Archiepiscopus tres sacerdotes de more gubernio praesentavit, Iacobum Daddi Auxiliarem Episcopum et canonicum, Petrum Boccone et Ignatium Zuccaro utrumque pariter canonicum. At nullum ex his gubernium nominavit, sed Ignatium Pasqualino-Pilo, eiusdem cathedralis archidiaconum, qui, inconsulto Ordinario, extemplo Romam petierat, et precibus et commendatitiis, haud semper aequioribus, quod exquisierat, die 16 Iunii eiusdem anni tandem obtinebat.

Hunc tamen instituere recusavit Emus Ordinarius: quapropter ipse ad S. C. C. provocavit. Interim vero romanum iter denuo arripuit, ut institutionis gratiam a S. C. C. facilius coram obtineret, simulque aliam vinceret litem circa praecedentiam, quam in choro praesumebat prae auxiliari Episcopo. Sed neutrum obtinuit; obtinuit autem ut a gubernio pensio 3, 700 libellarum super vacantis Cantoratus reditu sibi daretur.

Exinde Panormum redeunte Pasqualino S. C. Rituum

contra ipsum praecedentiae causam resolvit, et S. C. C. causam institutionis agendam esse in plenario EE. PP. conventu ei significavit.

Disceptatio Synoptica

Quae favent canonico pasqualino. Porro advocatus, quem sibi elegit canonicus Pasqualino, praemisso quod ex inconcussa iuris censura et communi omnium DD. sententia, Devoti *Inst. can. lib. 1 tit. 5 sect. 4 p. 47*, non possit institutio denegari ei qui a legitimo patrono praesentatur, et idoneus ac dignus institutionis est, sategit haec duo puncta evincere nempe 1. gubernio, qui Pasqualinium praesen avit, ius patronatus inesse, et 2. Pasqualinium idoneum dignumque esse qui ad Cantoratum instituatur.

Et ad primum punctum quod attinet recolit ex historia Rocchi Pirri, p. 264, regem Philippum II anno 1571, Cantoratui Panormitano, proventibus exiguo, univisse regale beneficium S. Nicolai Mazariae, 24, 000 libellarum summam quotannis reddens. Ex quo tam pingui dotis augmento gubernium patronatum in Cantoratus dignitatem de iure acquisivisse.

Imo cum patronatus huiusmodi, iuxta oratorem, sit realis, hinc necessario eumdem transferri debere in quemcumque successorem qui regnum possideat; Devoti *l. c. p. 55*.

Nec refert, S. Sedem iussisse regium patronatum in thematé non recognosci; nam hoc decretum nec fuit publicatum, nec praxi observatum, sed mansit occultum. Imo constat, ultimis hisce annis, Ordinarios ter instituisse quos gubernium praesentavit, idque contigisse anno 1848, anno 1866, ac tandem anno 1880, ipsomet Eño Celesia qui Panormitanam cathedram nunc regit, Archiepiscopo sedente. Porro patula sententia est in patronatus materia quoad provisionem beneficiorum *attendi ultimum statum*. S. Rota sexcentics, ceu videre est in *Compostellana parochialis 11 Ianuarii 1751 cor. De Vais.*

Nec pariter, iuxta patronum, quidquam officit pactum gubernium inter et Emum Archiepiscopum initum, quo statuebatur, regem non quemlibet sibi benevisum, sed potius unum ex tribus quos Ordinarius proponeret, in posterum esse fideliter nuncupaturum. Etenim hoc pactum non afficere Cantoratum, sed tantummodo ceteras inferiores praebendas, patronus affirmat. Imo, addit, conventionem illam gratiam magis quam ius constituisse; dicitur namque, illam haud innuere exercitium iuris.

Constituto itaque hoc extremo, quod nempe gubernio ius sit nominandi, ad complendam orationem suam, ad aliud caput seu ad nominati idoneitatem evincendam advocatus accedit. Atque heic complures Pasqualini titulos recenset, inter quos illud eminet, quod sit canonicus primaque post Cantorem dignitas. Unde sequitur nil obesse posse, quominus ipse et ultimum ascendat gradum. Eo vel magis quod septem abhinc annis Cantoris munus, qua capituli caput, hac illave fortuita causa, de facto exercuerit.

Quae adversantur canonico Pasqualino. Vicissim vero ex officio animadversum fuit, in causa non esse antiquum gubernii ius; sed potius, disceptari an modo idem subsistat. Illud abrogatum non esse adversus orator censet, eo quod apostolicae litterae Pii PP. IX publicatae non sint, nec praxi receptae. Verum publicatum et praxi receptum est Tridentinum, quod *cap. 11 sess. 22 De reform.* haec habet: « Si quem clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii... iurisdictiones, bona, census, ac iura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitate converti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso.... aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit..... is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, res etc. integre restituerit. Quod si eiusdem

ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus, ultra praedictas poenas, eo ipso privatus existat. »

Atqui gubernium in themate dimidio et ultra bonorum Panormitanam ecclesiam expoliavit. Ergo immerito in eam eiusque beneficia patronatus iura praesumit.

Imo gubernium post tale facinus favores ac privilegia quae benefactoribus ex gratia dantur, vi et quasi iure praesumere, turpe ac contumeliosum est, et damno dato iniuriam et irrisionem adiicere videtur.

Posito autem quod patronatum ad gubernium minime pertineat, iam corruit et praesentatio facta, et Pasqualinii ius. Etenim ex ipsa adversi oratoris confessione ius praesentati correlativum est ad potestatem praesentantis.

Sed parumper admisso, gubernium ius patronatus ecclesiae spoliatione non amisisse: cum tamen regis minister publico documento ad finiendas lites quamdam peculiarem rationem in providendis ecclesiae Panormitanae beneficiis proposuerit et Archiepiscopus, praevio S. Sedis beneplacito, hunc modum acceptaverit; sequitur hanc novam electionis rationem, legem paciscentibus esse, qua vetera iura, si quae erant, abrogata manserunt aut mutata. Atqui praesentatio canonici Pasqualino contra conventionis tenorem facta prorsus est. Ergo est nulla. Siquidem « imperiali constitutione sancitum est, ut ea quae contra leges fiant non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. » *Can. 13 caus. 25 q. 2.*

A fortiori autem nulla dicenda erit, si insuper consideratur, universum gubernii ius ex conventionis indulgentia proficisci.

Neque expedit, quod factum est sanari; tum quia malum daretur exemplum, et ambitiosis clericis ac magistratibus ansa peiora faciendi, ut notat Emus Praesul; tum etiam, quia scandalo id foret fidelibus et praemium daretur indigno.

Plura namque contra Pasqualinium militant, quae seorsim Ordinarius recenset, quorum nonnulla inferius delibabimus;

inter quae tamen illud peculiariter est recensendum, quod praesentis dissidii ipse unica extiterit causa; nam Romam absque commendatitiis, absque licentia accurrens, et contra notam sui Ordinarii voluntatem et non ignoratam conventionem ambiens, precibus negociisve civiles magistratus obsedit, ut tandem obtineret quod sibi erat in votis, propositiones scilicet Ordinarii reiici et sese nominari. Quae quidem per se indecora maximeque improbanda, utrum etiam simoniae labem importent, et ambitiosum canonicum beneficii incapacem reddiderint, EE. VV. iudicent. Certe saltem in *Aretina institutionis* diei 18 Septembris 1888 S. C. C. duos clericos qui contra ecclesiae vetitum nominationem a gubernio ambierant ab institutione reiecit (1).

Omitti posset post haec de pensione loqui, quam Pasqualinius super vacantis Cantoratus reditu a gubernio consequutus dicitur, iterato Romam versus itinere, et titulo civilis nominationis magnificato; quae quidem pensionis petitio et assecutio considerari forte posset ut intrusio vel ut violenta ingressio in beneficium, quibus investitus quolibet sibi quaesito iure eo ipso privatur, iuxta *cap. Avaritiae caecitas 5 De elect.* et *cap. Eum qui De praeb. in VI.* « Insuper ut violenti, qui auctoritate vel verius temeritate propria occupare dignitates, personatus aut alia quaecumque ecclesiastica beneficia non verentur, etsi non virtutis amore, poenae saltem formidine a suae temeritatis audacia refrenentur; eo ipso ius, si quod in dignitatibus personatibus et beneficiis occupatis taliter, vel ad ea ipsis competebat, amittant. » Et tantummodo recolere cum Emo Ordinario, Pasqualinium interim tranquille vivere, nec cogitare suae consulere conscientiae, ex quo fruatur quotâ, haud parvâ, vacantis praebendae, ad quam nullum habet ius, et ad restitutionem obligatur.

Quoad merita Pasqualini Emus Praesul nonnulla notavit dicens: praesumit Pasqualinus, regium decretum, quo cantor nominatus fuit, esse actum iustitiae, quo legitimus

(1) Recole Vol. XIX, 543.

regius patronus usus est erga se, Archidiaconum; qui in infirmitate cantoris, eius etiam gessit vices in functionibus. Sciendum est, sequitur Antistes, Pasqualinum ad Archidiaconatum usque, non suis meritis, sed iure optionis et longevitate vitae pervenisse. In hoc capitulo enim omnes optantur praebendae, excepto cantoris beneficio. Censeo autem quod nemo ex meis antecessoribus Pasqualinum unquam elegisset ad Dignitatem Archidiaconatus, si eligi ex meritis debuisset.

Quoad vices Cantoris ab illo gestas, ait Antistes, onus eiusdem fuisse; quo tamen munere male functus est, eoquod quotannis sex menses aberat a choro, varias praetexendo causas.

Asseruit Pasqualinus sese ignoravisse dissidium inter gubernium et Emum. Archiepiscopum, et ideo ignorare causam, qua sibi retardetur petita institutio. Assertio haec nimis simplex est, ait Praesul, ut admitti possit. Quem enim latuit certamen Praesulis panormitani cum Gubernio, per decem annos productum quoad canonicatuum provisionem! neque ultimum Capituli Sacristam latere potuit.

Vere notanda est pars recursus Pasqualini; qua ignorans et ignorare volens praedicti dissidii causam, animadvertit, per tria saecula regium patronatum adversatum non fuisse, sed observatum a saeculari successione Praesulum, et hoc esse primum actum contrarium. Hac animadversione certum est Pasqualinum pugnare cum decretis S. Sedis quoad praetentionem praesentium illegitimorum guberniorum super iurepatronatus.

Neque casui applicari posse censeo, quod Pasqualinus habet de sacris canonibus, vi quorum negari nequit institutio. Etiam titulos honoris exhibitos a canonico Pasqualino, ad sollicitandam institutionem petitam, censendos esse parvi momenti, utpote qui omnibus canonicis communes. Notandum tamen omnino est titulum, quo Pasqualinus gloriatur, fuisse die 29 Maii 1868 per decretum regium nominatum iudicem ecclesiasticum *secundae instantiae* apud tribu-

nal Monarchiae, seu Legatiae in Sicilia. Sed notum est tribunal eiusmodi, causam multorum malorum, fuisse suppressum a Pio IX per Litteras apostolicas anni 1864, publicatas die 27 Octobris 1867. Postea nominatim excommunicatum fuisse Cirinum Rinaldi (1). Ideoque honori tribuendum non est, electum fuisse in iudicem tribunalis post annum ab eius suppressione. Quinimo patet censuris irretitum fuisse, et irregularitate, quum permanserit in exercitio sui officii, etiam post suppressionem: et communicasse in crimine criminoso cum Cyrino Rinaldi, nominatim excommunicato. Neque praetereundum, reluctantem perque magnum laborem inductum fuisse ad petendam absolutionem a S. Poenitentiaria; quam obtinuit die 20 Martii 1872, me coadiuvante et impellente, ait Antistes.

His perpensis propositum fuit diluendum

Dubium

An sit locus institutioni in casu.

Resolutio. Saacra Concilii Congregatio, re discussa sub die 18 Februarii 1889, censuit respondere. *Negative.*

Ex quibus colliges. I. Quemlibet clericum vel laicum, etiam imperiali dignitate fulgentem, anathemati subiacere quatenus alicuius ecclesiae bona.... usurpare praesumpserit; atque, ultra excommunicationem, iure patronatus privari si fuerit illius ecclesiae patronus.

II. Amisso ex poena iure patronatus, frustra patronum praesumere nominationes ad vacantia beneficia prosequi; quum hoc privilegio frui tantum possint benefactores ex gratia pontificia.

III. Gubernium in themate omni privilegio iurispatronatus expoliatum fuisse, ex facinore direptionis bonorum Ecclesiae, super qua iactat iuspatronatum; et insuper amisisse ius ad praesentationem, etiamsi illud habuisset, post conventionem initam cum Archiepiscopo de modo providendi ad

(1) Adsunt relatae Vol. III, 177, et Vol. IV, 118.

vacantes praebendas: ideoque nulliter egisse nominando Pasqualinum ad vacantem Cantoratus dignitatem.

IV. Episcopum institutionem dare debere praesentato a patrono legitimo, quoties nihil in praesentato obstet, cuius causa ille a beneficio repellendus sit ceu indignus.

V. Praesentati in themate decus et merita ad consequendam primam dignitatem capituli panormitani, divite ornatam dote, patere legentibus.

BARCHINONEN.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 19 Ianuarii 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Parochus S. Petri oppidi vulgo Rindevitllez Dioecesis barchinonensis exponit: « Quod in eadem paroecia anno 1833 obiit Iosephus Goma et Suriol, qui in suo valido testamento disposuit, ut post eius mortem ex omnibus suis bonis Missae ac anniversaria celebrarentur, designato suo executore testamentario parocho eiusdem loci. Ab obitu testatoris usque ad annum 1856 innumerae fere fuerunt Missae ac anniversaria, quae pro illius anima celebratae sunt, ac deinceps dicta testatoris voluntas ita adimpleta est, ut ab anno 1858 usque ad hodiernam diem fere mille anniversaria ac bis mille Missae celebratae fuerint. Venditis praefatis bonis testatoris ob temporum circumstantias, praevia Nuncii Apostolici huiusce Regni venia, ac eorum pretio in arca dioecesana deposito, huius reditus adeo creverunt, ut duplo maiorem quantitatem, quam antea, pariat praefatorum proventuum caput. »

« Nunc vero cum ob constructionem capellae SS. Eucharistiae in memorata paroecia magnum exortum sit debitum, quin sufficiant fidelium eleemosynae ad id corrogatae, neque adsit medium ad operariis retribuendum, a Sanctitate Vestra orator humiliter postulat facultatem impendendi ven-

ditorum bonorum laudati testatoris totum pretium, vel saltem maximam eius partem ad hoc modo exstinguendum vel saltem notabiliter minuendum debitum, cui obnoxia est parochialis ecclesia S. Petri de Rindevitllez. »

Suprascripta preces benignitati Sanctae Sedis commendat Ordinarius barchinonensis, « eo vel magis quia redditus *haerentiae* qui antea fuere 225 libellarum, vulgo pesetas, in unoquoque anno, nunc propter meliorationem capitalis sunt 450 libellarum quotannis. »

Disceptatio Synoptica

Regula receptissima habetur in *Nov. 22,* ut « disponat unusquisque super suis uti dignum est, et sit lex eius voluntas. » In utroque iure autem cautum est, ut haec ultima defuncti voluntas modis omnibus servetur. *Can. Ult. volunt. caus. 13 quaest. 2; Lex. I Cod. de SS. Eccl.*

Et quamvis Sedes Apostolica potestatem mutandi defunctorum voluntates obtineat, tamen sine iusta ac necessaria causa hoc iure « non debet, nec solet uti, » ceu habet Fargna *De iur. patron. part. V can 11 cas. 4 n. 2.* Hinc et Conc. Trid. *Sess. XXII c. 6 De Ref.* statuit commutationes ultimarum voluntatum fieri non debere, nisi ex iusta ac necessaria causa.

Porro causa quae in themate allegatur, maximi profecto est momenti. Requiritur enim omnino ut capella, in qua Sanctissimum asservatur, decens extet, imo, si fieri potest, et splendor fulgeat. Quando autem nec fidelium eleemosynae sufficiunt, nec alia media praesto sunt, ad aedificia cultui divino necessaria construenda vel reparanda, non est novum, quod ut in huiusmodi casibus S. C. C. circa ultimarum voluntatum commutationem, indulgentia utatur; imo id saepenumero factum fuisse constat ex *Fanen. diei 31 Ianuarii 1852.* Pro eiusmodi indulgentia adhibenda in casu praesenti insuper adducitur, quod iam innumera sacrificia pro suffragio animae testatoris sint oblata, et ex diligentia per administratores adhibita redditus magnopere sint adaucti.

Quibus animadversis quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio Sacra C. C. sub die 23 Martii 1889 re discussa censuit respondere: *Prout petitur non expedire; et pro gratia reductionis missarum ad tertiam redituum partem, ad effectum erogandi in causam expositam ad decennium, facto verbo cum SSmo.*

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei Ioannis Iuvenalis Ancina ex primis s. Philippi Nerii discipulis ac postea Episcopi Salutiensis.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu, et ad effectum de quo agitur?

Mira sane providentia, qua pro varia temporum ratione Ecclesiam suam opportunis praemunit auxiliis, vere *potens* Deus *ex ipsis lapidibus suscitare filios Abrahae,* plurimos eo saeculo viros sanctitate conspicuos excitavit, quo tum Lutherana haeresis per Germaniam aliasque regiones impune grassabatur, tum exquisitioribus mundi oblectamentis homines inlicientibus, virtutis semita magis impervia videbatur. Illa porro aetate inter primos Sancti Philippi Nerii discipulos connumeratus, ac dein Salutiarum Ecclesiae bonus Pastor ac Praesul effloruit venerabilis Ioannes Iuvenalis Ancina, qui piis parentibus XIV Kalendas Novembris anno MDXLV Fossani in Subalpinis ortus est. Bonis artibus excultus in Gallia ad Montem Pessulanam, quo adolescens missus fuerat; paulo post domum revocatus est, ne haeretica lue ibidem gliscente inficeretur: atque in Athenaeo Montis Regalis Philosophiae ac Medicinae addiscendae ita sedulam navavit operam, ut subinde illas facultates egregie docuerit. Interim legem Dei meditans die ac nocte, potissimum extremi iudicii percitus timore, mundum contemnens eiusque illecebras perosus, ad perfectionis viam celerius arripiendam,

superno ductus consilio Romam contendit: ubi Sanctum Philippum Nerium primo spiritus Magistrum, deinde Patrem habuit carissimum, in Congregationem Oratorii, Deo vocante, adscitus: in qua Sacerdotio auctus, pro animarum salute in hac principe catholici orbis Urbe, ac Neapoli plurimum adlaboravit. Omnigenae vero splendore virtutis, nec non scientia et eruditione clarissimus, opere et sermone ab erroris vitiorumve semita proximos retrahere, et ad amorem Dei allicere ferventi studio satagebat: dignus propterea qui sacra infula cohonestaretur, Salutiensis Episcopus renuntiatus. In hoc munere praeclare ostendit se *Spiritum, qui ex Deo est,* accepisse, in eoque constanter *vixisse et ambulasse*: ac sane vix dictu credibile est quo labore et industria, ut *optimus Dei adiutor*, concreditas oves ad vitae pascua sale sapientiae, et morum suavitate ac praesertim effusa in omnes caritate usque in diem suae mortis attraxerit: quam, sibi paratam in odium iustitiae, fortiter oppetiit pridie Kalendas Septembris anno MDCIV. Tanta autem virtutum fama etiam dum viveret Vir Dei fruebatur, ut insignis sanctique Doctoris Francisci Salesii (quocum sancta familiaritate coniunctus erat) nobile elogium promeruerit, ab eo, nempe, *Sal* et *Lux* Ecclesiae cognominatus.

Hac porro fama latius in dies post ipsius obitum crebrescente, Salutiis atque alibi Ordinaria primum, deinde Apostolica Auctoritate Processus constructi sunt: qui, longo licet temporis intervallo, a Sacra Rituum Congregatione iuridico examine perpensi ac probati fuerunt. Etsi vero haec Causa varias habuerit vices; demum tamen venerabilis Ioannis Iuvenalis virtutes heroicitatis attigisse fastigium, Pius IX sa. me. Pontifex Maximus, post legitimos Conventus a Sacra Rituum Congregatione habitos, solemniter decrevit IV kalendas Februarias anni MDCCCLXX.

Exinde agi coeptum est de duobus miraculis, quibus Venerabilis Ioannis Iuvenalis sanctitatem post eiusdem obitum Deus confirmasse ferebatur: atque ex iuridicis Processuum tabulis iudicium triplici disceptatione actum est penes Sacrorum Rituum Congregationem, nempe in antepraeparatorio Coetu apud cl. me. Cardinalem Aloisium Bilio, eidem Sacrae Congregationi Praefectum, pridie Nonas Septembris anni MDCCCLXXVII: deinde in Praeparatorio ad Vaticanas Aedes Idibus Aprilis anno MDCCCLXXXVI: ac demum in generalibus Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII in eodem Palatio Apostolico Vaticano coadunatis IV Idus Martii anni MDCCCLXXXIX. In quibus per Rmum Cardinalem Luci-

dum Mariam Parocchi suffectum, Cardinali Bilio e vivis sublato, in Causae Relatorem, proposito Dubio: *An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?* Beatissimus Pater tum Revmorum Patrum Cardinalium, tum Consultorum suffragiis attente exceptis, priusquam suprema Auctoritate Sua quidquam decerneret, monuit adstantes, effusis precibus Deum exorandum, ut Sancti Spiritus illustrationem in re tanti momenti largiri dignaretur.

Hac vero die solemni, qua Redemptor noster *ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit bona hominibus*, Eucharistico Sacrificio prius oblato, in Pontificiae Vaticanae Aedis solio assidens, ad se arcessivit Rmos Cardinales Carolum Laurenzi Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Lucidum Mariam Parocchi Causae Relatorem, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus rite pronunciavit: *Constare de duobus miraculis, Venerabili Ioanne Iuvenale Ancina interveniente, a Deo patratis;* scilicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Dnae Catharinae Centenari a diuturna pleuritide exsudativa, gravissimis stipata symptomatibus:* et de altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Alexandri Vacca a diuturna et gravissima fistula inter sextam et septimam sinistri lateris costam.*

Huiusmodi decretum evulgari, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit III Kalendas Iunias anno MDCCCLXXXIX.

CAROLUS CARD. LAURENZI, *S. R. C. Praefectus*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM beatificationis seu declarationis martyrii ven. Servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre sacerdotis e Congregatione Missionis sancti Vincentii a Paulo.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione martyrii et causae martyrii, pluribus signis ac miraculis, a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilis Servi Dei Beatificationem ?

Ea animi vis et constantia singularis, quae a caritate ducens ortum formamque accipiens, ex Christo pro nobis passo sibi sumi exemplum, quaeque Christiani martyrii perinsignis nota est, cum in aliis plurimis enituit Christianis heroibus, tum hoc saeculo spectatissima fuit varietate ac diuturnitate cruciatuum in Venerabili Servo Dei Ioanne Gabriele Perboyre, quo nobilis Gallorum gens iure gloriatur. Invictus Christi athleta, Sacerdos e Congregatione Missionis, Sancti Vincentii a Paulo spiritum plene adeptus fervente persecutionis aestu contra Christianos, ad Sinas appulit IV Kalendas Septembris anni MDCCCXXXV, et Fidei dilatandae animarumque zelo succensus, pericula quaeque mortis contemnens, evangelici muneris labores, omnesque virtutes Apostolo dignas praeclaro demum et longo pro Christo certamine cumulavit; dirissimis namque tormentis forti magnoque animo superatis, fidem suam sanguine testari promeruit. Haec illi via ad gloriam fuit, iuxta aureum Augustini effatum « Victoria veritatis est caritas. » Enimvero huius martyrii celebritas quum ex Asia in Europae regiones longe lateque promanaverit, et ad Apostolicam Sedem comprobata pervenerit; ex probationibus iuridice sumptis de Servi Dei martyrio, causa martyrii, et de signis seu miraculis severissimum de more examen triplici disceptatione penes Sacrorum Rituum Congregationem institutum fuit: ac demum per decretum superioris anni, II Kalendas Decembris editum: *Constare de Venerabilis Servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre martyrio, causa martyrii, pluribus signis et miraculis a Deo illustrati et confirmati,* Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII rite declaravit.

Quo votis itaque Catholicae Galliae ac praesertim Sodalium Vincentianae Congregationis fieret satis, ad legitimum eiusmodi

Causae complementum, agendum erat de solemnibus beatorum caelitum honoribus venerabili Ioanni Gabrieli in Ecclesia tuto decernendis. Ea propter in generalibus Sacrae Rituum Congregationis Comitiis habitis coram eodem Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII in Aedibus Vaticanis IV Idus Martii, vertentis anni MDCCCLXXXIX, reverendissimus Cardinalis Carolus Laurenzi Causae relator Dubium proposuit: *An, stante approbatione martyrii et causae martyrii, pluribus signis ac miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi possit ad Venerabilis Servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre Beatificationem?* Beatissimus vero Pater, accepto unanimi Reverendissimorum Cardinalium et Patrum Consultorum affirmativo suffragio, supremam sententiam Suam distulit aperire, monens adstantes speciale a Deo lumen ad hoc interim implorandum esse.

In hac vero solemnitate Redemptoris nostri *in caelum euntis* Sacrum prius in privato suo Sacello operatus, in Pontificiae Vaticanae Aedis nobiliori aula solio assidens, adstante Reverendissimo Cardinali Carolo Laurenzi Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto et Causae Relatore, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Ioannis Gabrielis Perboyre Beatificationem.*

Decretum hoc promulgari, et in Acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda iussit expediri III Kalendas Iunias anno MDCCCLXXXIX.

CAROLUS Card. LAURENZI, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI *S. R. C. Secretarius.*

APPENDIX I.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

PISANA

Quum Rmus D. Ferdinandus Capponi Archiepiscopus Thessalonicen. Coadiutor cum iure futurae successionis Rm̃i Dni Pauli Michaleff Archiepiscopi Pisani a S. Rituum Congregatione exquisierit: An attenta singulari Bulla suae electionis, eius nomen in Missa dicendum sit, vel illud Rmi Archiepiscopi Titularis ?

Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Atque ita respondit, et rescripsit. Die 11 Martii 1882.

MONTEYEREN. ET ANGELORUM.

Rm̃us D. Franciscus Mora Episcopus Monteyeren. et Angelorum in California, insequentium Dubiorum resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit nimirum:

Dubium I. In Festo Sanctae Bibianae Virginis et Martyris, Dioecesis Patronae et Ecclesiae Cathedralis Titularis in Officio, et Missa dicitur Oratio *Deus qui inter cetera potentiae tuae miracula.....* Petitur utrum eadem oratio dicenda sit pro commemorationibus communibus in Missa votiva, et quando apponitur pro tertia Oratione ad libitum. Item petitur respective de commemorationibus Exaltationis SSmae Crucis, Sancti Gabrielis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, et S. Agnetis Virginis Martyris ? Ratio dubitandi est, quod Orationes supradictis Festis assignatae, videntur convenire soli diei Festi, seu Natalitii.

Dubium II. Cum Rochettum et Mozzetta sint Episcoporum vestes ordinariae, quibus possint uti domi et foris, petitur an iisdem vestibus possint Episcopi adsistere matrimoniis mixtis? Ratio dubitandi est: quia Episcopi huius regionis iis vestibus utuntur in Ecclesiis, rarissime vero domi et foris. Si autem huiusmodi Matrimoniorum celebrationi adsistat Episcopus supradictis vestibus paratus, rudibus potest dari occasio opinandi, quod ritus sacer adhibetur ab Episcopo, quod probe norunt non fieri a simplici Sacerdote?

Dubium III. Potest ne continuari consuetudo populum thurificandi, quod fit ex sanctuario a laico thuriferario triplici ductu ad

Offertorium in Missa solemni, et in Vesperis ad *Magnificat?*

Dubium IV. Potest tolerari praxis quae invaluit in quibusdam Ecclesiis, ut in Vesperis decantentur aliqui versus ex omnibus vel aliquibus psalmis vespertinis, ceteris omissis?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis accurate perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Quoad Orationem Nativitatis s. Ioannis Baptistae, Affirmative; quoad Exaltationem SSmae Crucis, Orationem sumendam ex Missa votiva de Cruce in fine Missalis, exceptis suffragiis, pro quibus dicenda erit Oratio ibi adnotata; quoad vero Orationem S. Bibianae, S. Agnetis, ac Sancti Gabrielis Archangeli, Affirmative, mutatis respective voce natalitia, solemnia, festum in vocem commemorationem, memoriam.

Ad II. Ad Supremam Universalem Inquisitionem.

Ad III. Affirmative, dummodo laicus, uti clericus, ex Officio cotta sit indutus, et non sit diversus ab eo, qui Clero thus dedit.

Ad IV. Negative, et inducta praxis omnino eliminanda.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 11 Martii 1882.

MONTEYEREN. ET ANGELORUM.

Rme Dne uti Frater. Inter alia Dubia ab Amplitudine Tua S. Congregationi Rituum pro opportuna resolutione proposita, quibus hac ipsa die responsum est, illud erat, quo exquirebat an, attentis loci circumstantiis, Tibi liceret Missae solemni cantatae ac Vesperis interesse Rochetto, et Mozzetta parato, sive assistere Pluviali seu Cappa ornato, inservientibus pueris superpelliceo indutis, qui vices suppleant sacrorum Ministrorum Episcopo assistentium. Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, inhaerens praescriptionibus Caeremonialis Episcoporum, ac plurium Decretorum declarare debet nullatenus licere Episcopo sedere in throno cum Rocchetto et Mozzetta, vel cum Pluviali et Cappa adhibendo simplices Clericos superpelliceo indutos, loco sacrorum Ministrorum assistentium. Verumtamen ipsa Sacra Congregatio, attentis expositis circumstantiis, indulgendum censuit ut A. T. assistere possit praefatis sacris functionibus in primo stallo in Choro super omnes alios ad tramitem Decreti in una Oxomen. diei 24 Iulii 1638. (1)

Romae 11 Martii 1882.

Rmo Dno uti Fratri Episcopo Monteyeren. et Angelorum.

(1) OXOMEN. Episcopus Oxomen. ob particularem devotionem cupiens etiam diebus ferialibus interesse Divinis, supplicavit pro licentia assistendi cum Rocchetto, et Mozzetta. Et S. C. concessit, « dummodo non in sede ordinaria, sed in primo

DECRETUM GENERALE.

Ex minus recta interpretatione Decreti S. Rituum Congregationis sub die 8 Aprilis 1808 lati in una Compostellana, quo declaratum fuerat dici posse Missam de Requie, praesente Cadavere, diebus ritus duplicis primae classis, licet non festivis de praecepto, excepto Festo Titularis; factum est ut nonnullis Ecclesiis usus invaluerit eiusmodi Missas canendi in solemnitate Anniversarii propriae Dedicationis, quod ut pote Festum Domini ac prae Titulari maioris dignitatis honore pollens, vi Decretorum nunquam ipsi postponendum est. Quocirco eadem Sacra Rituum Congregatio ad omnem ambiguitatem tollendam, opportunum e re esse duxit declarare, quemadmodum per praesens Decretum declarat ac praescribit, nullibi licere in Anniversario Dedicationis Ecclesiae propriae Missam de Requie, ne praesenti quidem Cadavere decantare, quemadmodum in Patriarchali Basilica Lateranensi aliisque prestantioribus Urbis Ecclesiis semper cautum fuit. Non obstante Decreto diei 16 Aprilis 1853 in una Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia ad Dubium XX; quo Missa huiusmodi permissa fuerat. Atque ita declaravit, ac servari mandavit. Die 27 Februarii 1882.

Facta autem per infrascriptum Secretarium SSmo Domino Nostro Leoni XIII relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit, et confirmavit die 16 Martii anno eodem.

ADIACEN.

Hodiernus Rmus Episcopus adiacensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum declarationem humiliter expostulavit, nimirum:

I. Ab immemorabili Parochi, et Ecclesiarum Rectores Dioeceseos Adiacen. Rochetto, loco Superpellicei, in administratione Sacramentorum utuntur, quamvis expresse declaravit S. R. C. die 10 Ianuarii 1852, et alias « Rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum, ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum ». Quaeritur an Episcopus, possit aut debeat hanc veterem consuetudinem tolerare, quae quidem commodior est, et universaliter viget in Dioecesi?

II. Cum Canonici sive titulares, sive honorarii in Ecclesia Cathedrali utantur Rochetto plano sine ullo ornatu, an permitti possit, aliis in Ecclesiis Canonicos quoscumque, Parochos et alios sacerdotes Rochettum adhibere, ut

stallo in Choro, supra omnes alios assistat, et hoc etiam casu absque ulla assistentia Canonicorum, de qua loquitur Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 8. » Die 24. Iulii 1638.

passim solent, acu pictum aut denticulatis textis ornatum, quorum consuetudini alias ab Ecclesiae Cathedralis Capitulo reclamatum est?

III. An tolerari possit Confessarios in Ecclesia vel in sede confessionali Sacramentum Poenitentiae frequenter ministrantes, uti stola absque superpelliceo, aut viceversa?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sic declarare rata est:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative in omnibus.

Ad III. Servetur Rituale Romanum.

Atque ita declaravit, ac rescripsit. Die 23 Martii 1882.

GNESNEN. ET POSNANIEN.

Per varia Sacrae Rituum Congregationis Decreta vetitum est quominus Sacra ornamenta ex gossypio vel lana contexta adhibeantur, immo ex holoserico opere tantum illa confici praescribitur. Quum vero non omnes Ecclesiae ob redituum defectum eiusmodi paramenta serica sibi comparare haud valeant, ab eadem Sacra Rituum Congregatione declarari petit Emus, et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochowscki Archiepiscopus Gnesnen. et Posnanien., an attenta Ecclesiarum paupertate liceat pro ornamentis sacris praeparandis illud adhibere panni genus quod ex parte externa, et oculis intuentium apparente ex filo serico integre contegitur, habet tamen operis textilis fulcimentum in gossypio, lana vel in lino?

Et Sacra eadem Congregatio, postquam votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris exquisivit, referente infrascripto Secretario, sic declarare rata est: Attenta Ecclesiarum paupertate, panni genus, de quo in casu pro sacris ornamentis tolerari posse.

Atque ita declaravit, et rescripsit. Die 23 Martii 1882.

PLACENTIN.

Rmus D. Franciscus Tammi hodiernus Praepositus, ac prima Dignitas Ecclesiae Cathaedralis Placentinae exponens 1. se habere suae Dignitatis Coadiutorem: 2. quod in Cathedrali placentina Dignitates distributae sint in presbyterales, et diaconales; praebendae vero aliae sint presbyterales, aliae diaconales, aliae demum subdiaconalis ordinis; ac 3. quod ad augendum exiguum numerum sacerdotum, praesertim diebus, quibus Episcopus celebrat vel adsistit, Coadiutus et Coadiutor simul Choro intersunt; insequentium dein Dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit, nimirum:

I. Quando Orator et Coadiutor eodem tempore Choro intersunt, quin alteruter altari inserviat, quae-

ritur num Coadiutor, attentis ipsius Sacrae Congregationis resolutionibus (uti in Aesina die 4 Aprilis 1705) debeat obtinere stallum immediate post alias Dignitates ordinis presbyteralis?

II. Coadiutore Altari adsistente, praesens Coadiutus debet ne in suo stallo Choro interesse simpliciter, et materialiter nullam nec secundariam actionem exercens, uti ex. gr. offerendi thuribuli naviculam Episcopo adstistenti pluviali et cappa induto, pacis osculum dandi aliaque prescripta in libro Caeremonialis (cap. 5. de supplendis vicibus Canonicorum) peragenda haec relinquens Dignitatibus inferioris ordinis? Viceversa, Coadiuto altari inserviente, poterit ne similiter se gerere Coadiutor?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, exquisitaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarandum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Atque ita declaravit, et rescripsit. Die 21 Aprilis 1882.

SENIEN. ET MODRUSSEN.

Rmus D. Georgius Positovic Episcopus Senien. et Modrussen. exposuit S. Rituum Congregationi, quae sequuntur, nimirum:

In Ecclesia Sancti Viti Civitatis Fluminensis in Dioecesi Senien. et Modrussen. instaurationis maiorisque gratia decoris, nova incrustatio interna ex materia marmorea superinducta est, atque in eum finem, permittente Ordinario, prior incrustatio, vulgo *intonaco,* in qua depictae erant Cruces, et signa consecrationis, per totum internum Ecclesiae spatium decussa fuit simul cum Crucibus, et quidem id insimul non successive, quia sic artificibus necessarium visum est. In reliquo vero per totam Ecclesiam sive intra sive extra, nihil est mutatum signanter altare maius et omnia alia consecrata altaria manserunt illaesa. Neque durante instauratione quidquid aliud accidit, quo Ecclesia censeri posset profanata, seu violata.

Hinc Sacram ipsam Congregationem supplex rogavit pro resolutione insequentis Dubii:

An in casu, qui supra expositus est, Ecclesia suam Consecrationem amiserit, indigeatque nova consecratione?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sic declarandum censuit:

Negative ad primam partem; ad secundam provisum in primo: et iterum depingantur, vel apponantur Cruces in parietibus in testimonium peractae consecrationis. Atque ita declaravit, ac rescripsit. Die 5 Maii 1882.

TAURINEN.

Perillustris et Rme Dne uti Frater,

Per litteras datas die 3 Martii vertentis anni exposuit A. T. nonnulla quaesita quoad subterranea loca Ecclesiarum, quae in ista Archidioecesi Taurinen. brevi consecrandae sunt, ubi spectacula theatri more, ad iuventutem praesertim honeste exercendam peragenda essent. Rursus per literas datas die 31 eiusdem mensis et anni expetivit ipsa A. T. num licite consecrari possit Ecclesia, quae pertinens ad laicam familiam, per vigentes civiles leges potest haereditaria ratione transmitti, aut vendi, aut in usum profanum converti.

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus rite perpensis, censuit respondendum Amplitudini Tuae :

Ad I. Non licere, utpote quod Ecclesia cum sua parte subterranea consecratur per modum unius.

Ad II. In casu, de quo agitur, nisi habeantur sufficientes cautiones Amplitudo Tua abstineat, ab eiusmodi Ecclesiae consecratione.

Romae 4 Maii 1882.

Perillustri et Rmo Domino uti Fratri Archiepiscopo Taurinensi.

SANCTORIEN.

Hodiernus Caeremoniarum Magister in Cathedrali Ecclesia Sanctorien. a Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum humillime resolutionem exquisivit, nimirum :

I. Occurrente Festo alicuius Sancti ab utroque Clero Dioeceseos recolendo cum Officio et Missa diversis, quaeritur num Sacerdos saecularis, vel ipse Episcopus in Regularium Ecclesia celebraturus, ubi illud Festum, Officio ac Missa propriis, altiorique ritu gaudet Missam legere vel cantare debeat propriam Regularibus concessam, an aliam quae Officio Cleri saecularis respondet quum paramentorum color sit idem pro utroque Clero?

II. Quando SSmum Sacramentum publice expositum Missae tempore aut Vesperarum, velo coopertum sit iuxta antiquum praedictae Dioecesis usum, quaeritur, num quotquot adsint e Clero debeant nec ne adsistere detecto capite?

III. Iuxta Caeremoniale Episcoporum inter Vesperas solemniores potest thurificari, praeter Altare SSmi Sacramenti, etiam illud dicatum Sancto, cuius Festum agitur. Hinc quaeritur num liceat a suppedaneo altaris Sancti thurificare tantummodo ipsius Sancti imaginem, omissa altaris thurificatione, nec ne?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita censuit rescribendum:

Ad I. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

Ad II. Serventur Rubricae.

Ad III. Servetur loci consuetudo. Et ita rescripsit. Die 4 Maii 1882.

BARCINONEN.

Rmẽ Dñe uti Frater, exposuit quidam Parochus Civitatis Barcinonen. eam in nonnullis istius Dioeceseos Paroeciis invaluisse consuetudinem, qua in administratione Sacramenti Matrimonii benedictio annuli omitti soleat, siquidem illum Sponsi ob suam paupertatem non deferant benedicendum prouti in Rituali praescribitur; unde fit ut a Parochis tali omisso ritu neque insequentes Orationes proferantur. Quare idem Parochus haec Dubia S. Rituum Congregationi pro opportuna declaratione, humillime proponere duxit, nimirum:

I. Utrum Orationes, quae incipiunt *Confirma hoc Deus* et desinunt per Oremus *Respice,* partem constituant Benedictionis annuli?

II. Et quatenus affirmative, utrum omittendae sint, quoties non fiat Benedictio annuli?

III. Et quatenus negative, utrum recitandae sint, etiamsi eadem Benedictio omittatur ob defectum annuli?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et Rmi Assessoris Congregationis ipsius, hisce Dubiis sic rescribere rata est:

Ad I. Negative.

Ad II. et III. Provisum in primo. Censuit tamen pastorali Amplitudini Tuae sollicitudini commendare, ut consulere velit quatenus eiusmodi ritus Benedictionis annuli nunquam omittatur, vel praecipiendo Parochis ut unum annulum semper secum teneant, qui Sponsis eo deficientibus pro tali benedictione rite explenda tradatur, vel eosdem monendo, ut illum saltem ex metallo infimi valoris sibi provideant.

Romae die 4 Maii 1882.

Rmo Domino uti Fratri Episcopo Barcinonensi.

BONEAREN.

Hodiernus sacrarum Caeremoniarum Magister Metropolitanae Ecclesiae Bonearen. de consensu sui Rmi Archiepiscopi, a Sacra Rituum Congregatione humillime petiit, num tolerari valeant insequentes consuetudines nimirum:

I. Incessus Canonicorum in Processionibus Rogationum, qui non bini et bini, prout Caeremoniale Episcoporum docet; sed hinc inde ad latus Archiepiscopi, eo quod iste cappa tantum, illi vero pluvialibus induti assistunt?

II. Ut in iisdem Processionibus, Parochi immediate ante Archiepiscopum viam faciant, et non Clerus Ecclesiae Cathedralis; quia illi pluvialibus operti, isti autem superpelliceo incedunt?

III. Incessus Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti post Baldacchi-

num, vel hinc inde ad latus Cleri in Processionibus Corporis Christi, et quae singulis mensibus Dominica quarta fieri solent?

Insuper hoc Dubium solvendum proposuit, scilicet: An permitti possint adsistentes Cleri in presbyterio, partim superpelliceo induti, partim vero non?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic respondendum censuit:

Expositae consuetudines, excepta secunda, non esse tolerandas, et Caeremoniale Episcoporum omnino servandum.

Ad dubium vero Negative.

Atque ita respondit, et rescripsit. Die 4 Maii 1882.

BREVE APOSTOLICUM

Quo una eademque constituitur formula absolutionis tum generalis tum in articulo mortis, et benedictionis papalis, adhibenda penes Tertiarios Franciscales aliasque eiusdem Ordinis familias, nec non penes alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes.

LEO PP. XIII.
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quo universi utriusque sexus fideles in tertium s. Francisci Asisinatis Ordinem adscripti easdem leges eosdemque ritus in obeundis instituti sui functionibus adhibere possint, enchiridion seu manuale unicum typis edere visum est. Multiplices vero sub eiusdem manualis editionem exortae sunt de absolutionis tum generalis, tum in articulo mortis, tum de Papalis benedictionis formulis controversiae, ad quas dirimendas Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Card. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum nonnulla proposita sunt dubia seu quaestiones. Hinc Consilium idem consideratis perpensisque omnibus, quid de huiusmodi quaestionibus deliberaverit per Secretarium suum ad Nos referendum curavit. Nos autem, quibus salutare frugiferumque tertii Ordinis s. Francisci sodalitium in deliciis semper fuit, Nobisque summopere cordi est, ut illud sanctas sui instituti leges ritusque observet, atque in dies, hisce praesertim temporibus, propagetur et incrementa suscipiat, memorati Consilii deliberationem probavimus, eamque omnibus per Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis cognoscendis decretum indicendum censuimus. Nostris mandatis obsequens Congregatio, sibique demandatum munus meliori quo fieri possit modo explere cupiens, opportunum in primis duxit omnes et singulas benedictionis et absolutionis generalis expendere formulas, quae nedum

penes Tertiarios Franciscales, verum etiam apud alias eiusdem Ordinis familias, imo et alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes essent in usu, quo unam eamdemque ab omnibus in posterum respective in eiusmodi benedictionibus et absolutione adhibendam formulam concinnaret. Quamobrem praefata Congregatio omnes, quorum intersit monendos putavit, ut casu notatu dignum iudicassent, intra congruum tempus eidem Congregationi subiiceret. Exacto inde triennio, quum nihil ex parte alicuius ex dictis Ordinibus obiectum sit, Congregatio Sacris Ritibus praeposita, accurate omnibus diligenter inspectis et expensis, quae sequuntur decrevit nempe: I. Pro Absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta in Constitutione sa. me. Benedicti Papae XIV. *Pia Mater,* addito tantum ad *Confiteor* nomine Sancti proprii Fundatoris: II. Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda detur cum formula approbata in Constitutione eiusdem sa. me. Benedicti XIV. *Exemplis Praedecessorum,* sed nonnisi bis in anno, et sub conditione quod haec Benedictio nunquam detur eodem die et in eodem loco ubi Episcopus eam impertiat: III. In Absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis, atque in Benedictione cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis propositae atque ab eadem approbatae, abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis, videlicet:

Formula Absolutionis generalis pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

℣. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ostende nobis Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram: ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium

tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur averte. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur Confiteor, *addito nomine proprii Fundatoris. Deinde sacerdos dicit:*

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc.

Postea subiungit:

Dominus Noster Iesus Christus per merita suae sacratissimae passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium nec non sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eâdem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantiâ, vel malitiâ deliquistis, ac de quibus iam confessi estis: In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Formula benedictionis cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Saecularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus.

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine, inclina aurem tuam ad preces nostras; parce Domine, parce populo tuo, quem redemisti sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum Nostrum.

Amen.

Dicto deinde:

Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc.

Sacerdos prosequitur:

Dominus Noster Iesus Christus, qui Beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, Ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam, et vivatis in saecula saeculorum.

Amen.

Per sacratissimam Passionem et Mortem Domini Nostri Iesu Christi; precibus et meritis Beatissimae semper Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris Nostri N. et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec Indulgentia immediate post Sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis: *Dominus Noster Iesus Christus etc.* et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.

Nos huiusmodi memoratae Congregationis decretum omnino ratum habemus, et Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, probamus, confirmamus, sancimus, illudque ab omnibus et in omnibus hoc futurisque temporibus servari iubemus. Decernentes has Litteras Nostras semper firmas, validas, et efficaces exsistere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque in praemis-

sis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari ac definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, nec non eiusdem tertii Ordinis s. Francisci, ceterisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque omnibus quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Iulii MDCCCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Th. Card. Mertel.

BREVE APOSTOLICUM

Quo nonnulla Festa inseruntur Kalendariis Ecclesiae universalis et Cleri Romani, ac reformatur rubrica de Translatione Festorum.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nullo unquam tempore Romani Pontifices Antecessores Nostri praetermiserunt Sanctorum virorum, qui doctrina, virtute, rerum gestarum praestantiâ Catholicam Ecclesiam, dûm in terris agerent, illustrarunt, memoriam in animis Christifidelium, eorum praesertim, quorum est ceteros exemplo anteire, quo altius possent imprimere. Id autem hac inter alias ratione consequuti sunt, eorumdem scilicet Sanctorum festa sive in Universali, sive in Particularibus Ecclesiis indulgendo, ac vitae et rerum gestarum historiam Breviariis inserendo, ut qui divinas preces recitare tenentur, ab iis virtutum illorum factorumque memoria cum laude quotannis repetatur. Hinc nostris etiam temporibus s. m. Pius Papa IX, praecessor Noster vota excipiens et preces multorum Sacrorum Antistitum, qui Romam convenerant Oecumenici Concilii Vaticani causâ, peculiarem constituit Anno MDCCCLXXIV Sacrorum Rituum Congregationem, cui munus detulit expendendi utrum opportunum esset in Kalendario Eccle-

siae Officia inserere nonnullorum Sanctorum, qui Apostolorum opus prae ceteris prosequuti, Ecclesiae universae aedificandae ac tuendae, et inter diversas gentes dilatandae impensius adlaborarunt: Officia haec erant sanctorum Bonifacii Episcopi et Martyris, Iustini Philosophi Martyris, Cyrilli et Methodii Pontificum et Confessorum, Cyrilli Episcopi Alexandrini, Cyrilli Episcopi Hierosolymitani et Augustini Episcopi Cantuariensis. Haec autem peculiaris Congregatio Sacrorum Rituum, omnibus quae ad rem pertinerent accurate perpensis, expedire censuit, Officium s. Bonifacii ritu duplici ad universam Ecclesiam extendi, indulgendumque esse illis, qui s. Iustini Officium peterent eodem ritu: de aliis rem differre placuit. Quam sententiam idem praecessor Noster ratam habuit et confirmavit. Haec tum quidem acta sunt. Anno autem MDCCCLXXX visum est Nobis, sanctis fratribus Cyrillo et Methodio Slavoniae gentis Apostolis eiusdem cultus honorem tribuere, s. Bonifacio, ut diximus, a Praecessore Nostro delatum. Porro cum Sacrorum antistites ac Fideles rogare pergerent uti pari honore condecorarentur, tum alii inclyti Caelites, de quibus prolata res fuerat, tum etiam s. Iosaphat Episcopus Polocensis Martyr, praeclarum Polonae ac Ruthenae gentis lumen; cumque habenda esse tandem ratio videretur postulationum, quae a Romano Clero Apostolicae Sedi porrigebantur pro inscribendis in Kalendario Urbis festis quorumdam Sanctorum, qui Urbem ipsam suis illustrarunt exemplis et finem laborum suorum ibi assequuti, eam propriis nobilitarunt exuviis: idcirco Nos particularem Sacrorum Rituum Congregationem a Praecessore Nostro, iam pridem deputatam, iterum constituere duximus, eique mandavimus, ut opportune expenderet, qua ratione in Kalendario sive universali sive Cleri Romani Officia praedicta et alia in posterum, si opus esset, inseri possent. Itaque approbantes, et confirmantes, quae a venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus aliisque dictam Congregationem componentibus decreta, et per venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Bartolinium, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, relata Nobis fuerunt, Auctoritate Nostra Apostolica volumus et praecipimus, ut in Kalendario universali Ecclesiae sub ritu duplici minori inscribantur Officia: die IX Februarii s. Cyrilii Alexandrini Episcopi Confessoris; die XVIII Martii s. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi Confessoris; die XIV Aprilis s. Iustini Philosophi Martyris; die XXVIII Maii s. Augustini Episcopi Cantuariensis Confessoris: die XIV Novembris s. Iosaphat Episcopi Polocensis martyris; deinde ut in Kalendario Cleri Romani sub ritu item duplici mi-

nori inscribantur Officia: die XVI Aprilis s. Benedicti Iosephi Labre Confessoris; die XXIII Maii s. Ioannis Baptistae De Rossi Confessoris; die XIX Augusti beati Urbani II Papae et Confessoris; die XI Octobris beati Ioannis Leonardi Confessoris; die XVII Decembris s. Leonardi a Portu Mauritio Confessoris; affigantur autem in eodem Kalendario Cleri Romani festa s. Cyrilli Alexandrini diei XX Februarii, s. Cyrilli Hierosolymitani diei XX Martii, s. Augustini Cantuariensis diei VII Iunii et s. Iosaphat polocensis diei XIV Decembris. Quo vero in utroque Kalendario, tum universali tum Cleri Romani habeantur sedes liberae ad nova Officia introducenda, eadem Auctoritate Nostra volumus ac praecipimus, ut Rubrica Generalis Breviarii Romani tit. X de Translatione Festorum hac ratione mutetur; videlicet: « Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum) et Festa semiduplicia, si occursu Dominicae vel maioris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen haec eo die fieri possint; secus huiusmodi festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur, ut de simplici cautum est in rubric. tit. IX num. X tit. X num. VIII »: postremo ut praesentes litterae Apostolicae in novis editionibus Breviarii ad calcem Rubricae interim apponantur, donec accurata Rubricae ipsius correctio per Sacrorum Rituum Congregationem perficiatur. Haec praecipimus et mandamus, non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII Iulii MDCCCLXXXII Pontificatus Nostri Anno quinto.

TH. CARD. MERTEL.

CRACOVIEN.

Rmus Dnus Albinus Dunajewski Episcopus Cracoviensis quae sequuntur Sacr. Rituum Congregationi exposuit, videlicet:

In Dioecesi Cracoviensi secundum leges Ecclesiasticas in omnibus Ecclesiis consecratis Anniversarium Dedicationis earum celebratur die ab Episcopo in actu consecrationis praefixa. Hic mos autem

usque ad hodiernum diem viget in ea Dioecesis cracoviensis parte, quae a Cathedrali Ecclesia nunquam avulsa fuit. Ast post erectionem Dioecesis Tarnoviensis, regimen Austriacum, in cuius ditionem haec pars Dioecesis Cracovien. abiit, regnante Imperatore Iosepho II, qui legem tulit statuentem, ut in posterum anniversarium Dedicationis in omnibus Ecclesiis celebraretur die in quam cadit anniversarium Cathedralis i. e. Dominica tertia Octobris. Atque haec lex, non habito ullo respectu S. Sedis Apostolicae, in ea parte Dioeceseos praevaluit. Iam vero cum anno 1880 pars Dioeceseos Tarnovien. redierit ad Dioecesim Cracovien. Clerus eiusdem partis anceps haeret, an Anniversarium Dedicationis, uti consueverat, die anniversaria Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Tarnovien. an potius die anniversaria Ecclesiae Cathedralis Cracovien. sacra i. e. Dominica III. post Pentecosten celebrare debeat, an vero ad pristinum redire morem celebrandi Anniversarium die cuivis Ecclesiae propria. Sunt ergo in ea parte Dioecesis tres diversae sententiae, aut opiniones, quibus Sacerdotes timorati offenduntur, et eapropter sententiam definitivam expectant.

Ad rem dilucidandam hoc quoque venit in Dioecesi Cracovien., scilicet parte eius antiqua, vigere consuetudinem celebrandi, praeter Anniversarium Dedicationis Ecclesiae propriae etiam obligationem celebrandi Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis ritu duplici primae classis sine octava.

Hisce expositis ipsemet Rmus Episcopus Sacrae eidem Congregationi insequentia Dubia declaranda humiliter proposuit, nimirum:

Dubium I. Utrum pars Dioeceseos Tarnovien. nuper Dioecesi Cracovien. restituta celebrare debeat Anniversarium Dedicationis cuiusvis Ecclesiae propriae die actu Consecrationis adsignato, et celebrare quoque debeat Anniversarium Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis debito ritu duplicis primae classis absque Octava?

Dubium II. An vero idem Anniversarium propriae Dedicationis celebrare debeat, vel valeat simul cum Anniversario Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Cracovien., uti fieri solet in vicina Dioecesi Tarnovien.?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus accurate perpensis sic declarare rata est:

Ad I. Affirmative ad utramque partem.

Ad II. Negative, seu provisum in primo.

Atque ita declaravit, ac servare mandavit. Die 8 Augusti 1882.

EPISTOLA ENCYCLICA Sanctissimi Domini Nostri Leonis XIII de Patrocinio s. Ioseph una cum virginis Deiparae pro temporum difficultate implorando.

Quamquam pluries iam singulares toto orbe deprecationes fieri, maioremque in modum commendari Deo rem catholicam iussimus; nemini tamen mirum videatur si hoc idem officium rursus inculcandum animis hoc tempore censemus. — In rebus asperis, maxime cum *potestates tenebrarum* audere quaelibet in perniciem christiani nominis posse videntur, Ecclesia quidem suppliciter invocare Deum, auctorem ac vindicem suum, studio perseverantiaque maiore semper consuevit, adhibitis quoque sanctis caelitibus, praecipueque augusta Virgine Dei genitrice, quorum patrocinio columen rebus suis maxime videt adfuturum. Piarum autem precationum positaeque in divina bonitate spei serius ocius fructus apparet. — Iamvero nostis tempora, Venerabiles Fratres: quae sane christianae reipublicae haud multo minus calamitosa sunt, quam quae fuere unquam calamitosissima. Interire apud plurimos videmus principium omnium virtutum christianarum, fidem: frigere caritatem: subolescere moribus opinionibusque depravatam iuventutem: Iesu Christi Ecclesiam vi et astu ex omni parte oppugnari: bellum atrox cum Pontificatu geri: ipsa religionis fundamenta crescente in dies audacia labefactari. Quo descensum novissimo tempore sit, et quid adhuc agitetur animis, plus est iam cognitum, quam ut verbis declarari oporteat.

Tam difficili miseroque statu, quoniam mala sunt, quam remedia humana, maiora, restat ut a divina virtute omnis eorum petenda sanatio sit. — Hac de caussa faciendum duximus, ut pietatem populi christiani ad implorandam studiosius et constantius Dei omnipotentis opem incitaremus. Videlicet, appropinquante iam mense Octobri, quem Virgini Mariae a *Rosario* dicatum esse alias decrevimus, vehementer hortamur, ut maxima qua fieri potest religione, pietate, frequentia mensis ille totus hoc anno agatur. — Paratum novimus in materna Virginis bonitate perfugium: spesque Nostras non frustra in ea collocatas certo scimus. Si centies illa in magnis christianae reipublicae temporibus praesens adfuit, cor dubitetur, exempla potentiae gratiaeque suae renovaturam, si humiles con-

stantesque preces communiter adhibeantur? Immo tanto mirabilius credimus adfuturam, quanto se diutius obsecrari maluerit.

Sed aliud quoque est propositum Nobis: cui proposito diligentem, ut soletis, Venerabiles Fratres, Nobiscum dabitis operam. Scilicet quo se placabiliorem ad preces impertiat Deus, pluribusque deprecatoribus, Ecclesiae suae celerius ac prolixius opituletur, magnopere hoc arbitramur expedire, ut una cum Virgine Deipara castissimum eius Sponsum beatum Iosephum implorare populus christianus praecipua pietate et fidenti animo insuescat: quod optatum gratumque ipsi Virgini futurum, certis de caussis iudicamus.— Profecto hac in re, de qua nunc primum publice dicturi aliquid sumus, pietatem popularem cognovimus non modo pronam, sed velut instituto iam cursu progredientem: propterea quod Iosephi cultum, quem superioribus quoque aetatibus romani Pontifices sensim provehere in maius et late propagare studuerant, postremo hoc tempore vidimus passim nec dubiis incrementis augescere, praesertim postea quam Pius IX fe. rec. decessor Noster sanctissimum Patriarcham, plurimorum Episcoporum rogatu, patronum Ecclesiae catholicae declaravit. — Nihilominus cum tanti referat, venerationem eius in moribus institutisque catholicis penitus inhaerescere, idcirco volumus populum christianum voce imprimis atque auctoritate Nostra moveri.

Cur beatus Iosephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de eius tutela patrocinioque polliceatur, caussae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Iesu Christi. Hinc omnis eius dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosepho cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis. Est enim coniugium societas necessitudoque omnium maxima, quae naturâ suâ adiunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Iosephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis eius ipso coniugali foedere participem. — Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat, ut Verbum Dei Iosepho modeste subesset, dictoque esset audiens omnemque adhi-

beret honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est. — Iamvero ex hac duplici dignitate officia sponte sequebantur, quae patribusfamilias natura praescripsit, ita quidem ut domus divinae, cui Iosephus praeerat, custos idem et curator et defensor esset legitimus ac naturalis. Cuiusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis, revera exercuit. Tueri coniugem divinamque sobolem amore summo et quotidiana assiduitate studuit: res utrique ad victum cultumque necessarias labore suo parare consuevit: vitae discrimen, regis invidiâ conflatum, prohibuit, quaesito ad securitatem perfugio: in itinerum incommodi exiliique acerbitatibus perpetuus et Virgini et Iesu comes, adiutor, solator extitit. — Atqui domus divina, quam Iosephus velut potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiae continebat. Virgo sanctissima quemadmodum Iesu Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit: itemque Iesus Christus tamquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione fratres. — Quibus rebus caussa nascitur, cur beatissimus Patriarcha commendatam sibi peculiari quadam ratione sentiat multitudinem christianorum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumerabilis isthaec perque omnes terras fusa familia, in quam, quia vir Mariae et pater est Iesu Christi, paterna propemodum auctoritate pollet. Est igitur consentaneum, et beato Iosepho apprime dignum, ut sicut ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus usu venit, sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio caelesti Ecclesiam Christi tegat ac defendat.

Haec quidem, Venerabiles Fratres, facile intelligitis ex eo confirmari, quod non paucis Ecclesiae patribus, ipsa adsentiente sacra liturgia, opinio insederit, veterem illum Iosephum, Iacobo patriarcha natum, huius nostri personam adumbrasse ac munera, itemque claritate sua custodis divinae familiae futuri magnitudinem ostendisse. — Sane praeterquam quod idem utrique contigit nec vacuum significatione nomen, probe cognitae vobis sunt aliae eaedemque perspicuae inter utrumque similitudines: illa imprimis, quod gratiam adeptus est a domino suo benevolentiamque singularem: cumque rei familiari esset ab eodem praepositus, prosperitates secundaeque res herili domui, Iosephi gratiâ, affatim obvenere. Illud deinde maius, quod regis iussu toti regno summa cum potestate praefuit: quo autem tempore calamitas fructuum inopiam caritatemque rei frumentariae peperisset, aegyptiis ac finitimis tam

excellenti providentia consuluit, ut eum rex *salvatorem mundi* appellandum decreverit. — Ita in vetere illo Patriarcha huius expressam imaginem licet agnoscere. Sicut alter prosperus ac salutaris rationibus heri sui domesticis fuit, ac mox universo regno mirabiliter profuit, sic alter christiani nominis custodiae destinatus, defendere ac tutari putandus est Ecclesiam, quae vere domus Domini est Deique in terris regnum.

Est vero cur omnes, qualicumque conditione locoque, fidei sese tutelaeque beati Iosephi commendent atque committant. — Habent in Iosepho patresfamilias vigilantiae providentiaeque paternae praestantissimam formam : habent coniuges amoris, unanimitatis, fidei coniugalis perfectum specimen : habent virgines integritatis virginalis exemplar eumdem ac tutorem. Nobili genere nati, proposita sibi Iosephi imagine, discant retinere etiam in afflicta fortuna dignitatem; locupletes intelligant, quae maxime appetere totisque viribus colligere bona necesse sit. — Sed proletarii, opifices, quotquot sunt inferiore fortuna, debent suo quodam proprio iure ad Iosephum confugere, ab eoque, quod imitentur, capere. Is enim, regius sanguis, maximae sanctissimaeque omnium mulierum matrimonio iunctus, pater, ut putabatur, filii Dei, opere tamen faciendo aetatem transigit, et quaecumque ad suorum tuitionem sunt necessaria, manu et arte quaerit. — Non est igitur, si verum exquiritur, tenuiorum abiecta conditio : neque solum vacat dedecore, sed valde potest, adiuncta virtute, omnis opificum nobilitari labor. Iosephus, contentus et suo et parvo, angustias cum illa tenuitate cultus necessario coniunctas aequo animo excelsoque tulit, scilicet ad exemplar filii sui, qui acceptâ formâ servi cum sit dominus omnium, summam inopiam atque indigentiam voluntate suscepit.— Harum cogitatione rerum debent erigere animos et aequa sentire egeni et quotquot manuum mercede vitam tolerant : quibus si emergere ex egestate et meliorem statum anquirere concessum est non repugnante iustitia, ordinem tamen providentiâ Dei constitutum subvertere, non ratio, nec iustitia permittit. Immo vero ad vim descendere, et quicquam in hoc genere aggredi per seditionem ac turbas, stultum consilium est, mala illa ipsa efficiens plerumque graviora, quorum leniendorum caussâ suscipiuntur. Non igitur seditiosorum hominum promissis confidant inopes, si sapiunt, sed exemplis patrocinioque beati Iosephi, itemque materna ecclesiae caritate, quae scilicet de illorum statu curam gerit quotidie maiorem.

Itaque plurimum Nobis ipsi, Venerabiles Fratres, de vestra

auctoritate studioque episcopali polliciti: nec sane diffisi, bonos ac pios plura etiam ac maiora, quam quae iubentur, sua sponte ac voluntate facturos, decernimus, ut Octobri toto in recitatione *Rosarii*, de qua alias statuimus, oratio ad sanctum Iosephum adiungatur, cuius formula ad vos una cum his Litteris perferetur: idque singulis annis perpetuo idem servetur. Qui autem orationem supra dictam pie recitaverint, indulgentiam singulis septem annorum totidemque quadragenarum in singulas vices tribuimus. — Illud quidem salutare maximeque laudabile, quod est iam alicubi institutum, mensem Martium honori sancti Patriarchae quotidiana pietatis exercitatione consecrare. Ubi id institui non facile queat, optandum saltem, ut ante diem eius festum in templo cuiusque oppidi principe supplicatio in triduum fiat. — Quibus autem in locis dies decimus nonus Martii, beato Iosepho sacer, numero festorum de praecepto non comprehenditur, hortamur singulos, ut eum diem privata pietate sancte, quoad fieri potest, in honorem Patroni caelestis, perinde ac de praecepto, agere ne recusent.

Interea auspicem caelestium munerum et Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv. Augusti An. MDCCCLXXXIX. Pontificatus Nostri Duodecimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CONCORDIEN.

DIVISIONIS PAROECIAE ET ERECTIONIS

Die 19 Ianuarii 1889.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In extrema Concordiae Venetae plaga et praecise in clivio montis *Alsio* nuncupati, exurgit fere deserta, diruta et fatiscens ecclesia paroecialis divo Martino Episcopo dicata, cuius territorium adeo late patet, ut 28

millia passuum in longitudinem; 15 millia in latitudinem; per circuitum vero 111 millia passuum extendatur.

Sed nedum latissimum extat huiusmodi territorium, verum insuper collibus et montibus, innumeris torrentibus, ponte maxima ex parte destitutis, ripisque praeruptis quaquaversus adeo est intercisum, ut tempore praesertim hiemali et inundantium imbrium ob nivis et aquarum nimiam quantitatem fere impervium evadat.

Inter huiusce paroeciae fines elapso saeculo tres praecipui pagi erant, nempe *Clauzetto Vito d'Asio et Anduinus*, qui distincta municipia constituebant. Modo vero, etsi territorium in quinque praestantiores vicos dividatur, nam tribus prioribus paullatim duo alii accesserunt, scilicet *Canale di Vito d'Asio* et *Canale d'Arzino* seu s. Francisci; nihilominus duo sunt municipia, hinc nempe seorsim *Clauzetto*, illinc una simul quatuor ceteri pagi.

Parochus quinque habet coadiutores, singuli in singulis pagis, qui in suis ecclesiis, quae baptismales sunt, manent, exceptis quibusdam solemnioribus diebus in quibus una cum Parocho ad S. Martini parochialem ecclesiam ascendunt, ut ibi sacras functiones celebrent. Parochus vero, qui in pago Clauzetto fixam sedem habet, feriatis diebus ibi habitat, festis vero per vices continuas huc illuc vagatur et ad singulos pagos successive se confert.

Ex hac adeo complexa et difficili pastoralis ministerii administratione contigit, ut ab antiquis usque temporibus aemulationes et simultates inter Clauzetti et Viti ceterorumque oppidorum incolas ortae sint: ii enim aegro animo ferebant, quod Clauzetti pagus, ex residentia parochi in dicto loco, ceteris dominaretur.

Ad huiusmodi lites et contentiones obtruncandas, cum quodlibet aliud expediens deficeret, Viti communitatis incolae identidem, ac praesertim hisce postremis temporibus, de proprio et independenti pastore tum ecclesiasticam, tum civilem potestatem, instanter rogare coeperunt.

Ut vero facilius voti compotes fierent, in generalibus

comitiis congregati die 2 Martii 1879 decreverunt, ut congruae, pro singulis ecclesiis in paroecias independentes erigendis, constituerentur.

Haec dum fiebant, accidit ut, ex promotione parochi ad aliud beneficium, ecclesia S. Martini vacaret.

Huiusmodi arrepta occasione delegati trium oppidorum Viti de Asio, Anduini et Canalis Viti ad hoc deputati S. C. Concilii adiverunt postulantes :

1. Ut parochia s. Martini de Asio divideretur ad normam divisionis, quae inter quinque dictae paroeciae pagos, de facto existit.

2. Ut *a*) Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Viti de Asio; *b*) s. Margaritae V. et M. Anduini *c*) et s. Antonii de Padua Canalis Viti, quippe quae congruam iam constituerant, in paroecias erigerentur. Ecclesia vero s. Usvaldi Casiaci, tum in parochiam erigeretur, cum eius congrua in promptu esset.

Disceptatio Synoptica.

Quae divisioni favent. Trium pagorum patronus, post facti speciem, recolit salutem animarum supremam legem in Ecclesia esse, ideoque, iuxta hanc legem, ipsos quoque tum dioeceseon, tum paroeciarum fines regendos aut moderandos esse; ceu de facto passim constanterque observatum est.

Sed ne temere fiat, requiri evidentem necessitatem aut utilitatem iuxta *Cap. 33 de praeb. et dignit.* Idque confirmari a Tridentino *Cap. 6, Sess. 7 de ref.* et praesertim *Cap. 4, Sess. 21,* ubi ad rem cavetur, quod Episcopi in iis paroeciis « in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem » parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacra- » menta et divina officia audienda accedere non possunt, novas » parochias, etiam invitis rectoribus, iuxta formam const. » Alexandri III, quae incipit *Ad audientiam;* constituere » possunt. »

Porro in themate hanc necessitatem vel utilitatem adesse probat orator, nedum ex conterraneorum testimonio, sed ex

fide tum Emi Patriarchae Venetiarum, tum Episcopi Concordien., qui refert, quod parochum ex locis magis distantibus adire, exigit iter unius diei, anni tempore magis propitio; hiemali vero tempore ob glacies et vias lutulentas impossibile evadit.

Et hanc impossibilitatem accedendi ad parochum omnino pugnare cum regula a Tridentino in *Cap. 1, Sess. 23* tradita, ubi expresse cavetur, quod parochi « ex praecepto di» vino teneantur oves suas agnoscere, verbique divini praedi» catione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium » opere et exemplo pascere. »

Huic autem muneri parochum ob aliam rationem satisfacere non posse, quia scilicet solemnioribus diebus, ex. gr. Paschatis et Nativitatis D. N. I. C. cum coadiutoribus ad s. Martini ecclesiam convenire debet. In ceteris vero festis dominicis cuiusque mensis, modo in unam, modo in alteram ecclesiam succursalem, tantummodo pro functionibus celebrandis se transfert.

Cum igitur parochus s. Martini oves suas, sive cognoscere, sive verbi divini sacramentorumque administratione pascere haud valeat, orator concludit parochiae S. Martini divisionem et novarum parochiarum erectionem decerni oportere; et hoc remedium nedum opportunum, nedum utile, sed et necessarium esse.

Neque ex hac divisione aliquid mali Clauzetto contingere; imo eius quoque spirituali curae magis ac magis provideri; siquidem in praesentiarum cum parochus huc illuc, diebus praesertim festis, pergere debeat, fit ut Clauzettum, licet ordinaria parochi sedes, ipsius praesentia saepenumero non fruatur.

Hisce omnibus accedere ait, quod parochialis congrua S. Martini insufficiens est ad onera implenda et ad decentem sustentationem coadiutoribus subministrandam, licet a gubernio aliquo subsidio cumuletur. Quibus stantibus, et attenta insuper difficultate et gravitate laboris continuaque peregrinatione, parocho praescripta, admodum difficile esse, teste

Ordinario, sacerdotem invenire, qui tam onerosum officium suscipiat.

Praeter mox adductas, aliam maximi ponderis causam adesse urget, quae per seipsam, divisionem Ecclesiae S. Martini et novarum parochiarum erectionem non modo utilem, sed necessariam reddit, eamque in simultatibus et contentionibus consistere, quae inter Clauzetti et Viti de Asio ab antiquissimis temporibus usque ad sanguinis effusionem exarserunt, ceu documenta historica plane demonstrant, et Episcopus omnino confirmat.

Porro existentibus odiis, simultatibus et contentionibus inter eiusdem parochiae regiones et oppida, deveniendum esse ad novarum parochiarum erectionem, docet inter alios DD. De Luca *disc. 16 ad Sess. 21, Cap. 4 de Ref. Conc. Trid.* Benedictus XIV in *Constit. Sacrosanctae,* et tradit S. C. C. in sexcentibus resolutionibus, et praecipue in Papien. *12 Septembris 1878;* in *Lunen. Sarzanen. 12 Iulii 1815;* in *Ventimilien. 8 Augusti 1818;* et in *Placentina Paroeciae 28 Novembris 1819.*

Quin obiicere valeat, hactenus circa odia et contentiones exposita veritati haud conformia, aut exagerata vel extincta sin minus fuisse; ea siquidem tum Episcopus, tum Emus Patriarcha confirmat; qui insuper addit timendum esse, ne trium oppidorum incolae turbas cierent, si hac quoque vice, vota sua in irritum cedere inspicerent. Episcopus vero Concordien. asserit hanc ob causam, si non impossibile, saltem admodum difficile esse sacerdotem invenire, qui praefatam parochiam regendam susciperet.

Qua de re mirum non esse subdit, quod in Ordinarii votis sit hanc divisionem, quam nedum utilem sed necessariam putat, quam citius ad effectum perducatur.

Porro quanti in themate Episcopi iudicium faciendum sit, docet Benedictus XIV in Constit. *Cum illud* hisce verbis: « parvi pendendum non est testimonium illius Pastoris, cui » divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. »

Quae confirmat L. Ferraris in *Bibliotheca Canonica V. Dis-*

membratio n. 42 ubi tradit in huiusmodi quaestionibus, quae sunt nudi facti ex singulorum casuum qualitate particulari ac individuis circumstantiis decidendae, *standum multum iudicio Episcopi, ut servare solet S. Congr. Concilii interpres.*

Verum quod rei fastigium imponit, illud videtur, quod Ecclesiae in novas paroecias erigendae congruam parochialem in promptu iam habent. Iamvero, existente locorum distantia et viarum difficultate, novas parochias erigendas esse, dummodo praesto sint sufficientes redditus, quibus parochialibus ecclesiis prospici queat, eruitur ex *Cap. Ad Audientiam 3 de eccl. aedif.* nec non ex constanti S. C. C. recentiori praxi, ceu videre est in *Ephemeride*, cui titulus *Acta S. Sedis. Vol. 7, pag. 43 in adnot.*

Demum orator, Episcopi informationi innixus, perpendit Ecclesiam S. Martini nedum solitariam et desertam; sed etiam egestate laborantem, fatiscentem et dirutam esse; et in praesenti rerum et animorum conditione, spem haud effulgere, ipsam instaurari posse.

Hisce in facto praeiactis, ad ecclesiarum quarumcumque etiam parochialium unionem vel ad earum divisionem seu suppressionem procedi posse, quoties vel Ecclesiae parochiales ob ipsarum paupertatem, pastore provideri non possunt, et eorum status ex dignitate conservari haud valet; vel sunt adeo fatiscentes ut instaurari aut refici nequeant, erui ex *Cap. Exposuisti nobis 33 de praebend. et dignit.* et ex Conc. Tridentino *Sess. 21, cap. 5 de Ref.* nec non ex *Cap. 7, Sess. 21 de Ref.*

Neque, ad excludendam sive necessitatis sive utilitatis causam, dicatur saluti animarum per Capellanos, qui in Ecclesiis sibi assignatis parochi munus exercent, satis provisum esse. Quandoquidem, iuxta *Cap. Extirpandae 3.* § *Qui vero de praebend.*, parochus, non per Capellanos seu Vicarios, sed per seipsum parochiali ecclesiae deservire debet. Cui concinit Conc. Tridentinum *Cap. 13, Sess. 24 de Ref.*, ubi Episcopis praescribit, *ut, distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque paro-*

chum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta recipiant.

Et ratio est, tum quia *non omnia in capellis fiant, ad quae parochi tenentur ex iure communi et Tridentino.* Van Espen *Ius eccl. univ. par. 2, sect. 2, tit. 1, Cap. 3, num. 30;* tum *ex eo praesertim*, quia, ceu tradit Reiffenst. *lib. III decret. de Cleric. non resid. § 3 in parochis censetur electa industria personae.*

Idque eo vel magis in themate dicendum esse, cum agatur de Capellanis amovibilibus, qui ut mercenarii et imperiti in iure habentur, quique, utpote propria auctoritate destituti, nec stabiles, minori studio et caritate operam suam in concreditas sibi oves impendunt. Ursaya *discept. eccles. tom. I, part. 1, disc. 14, n. 92;* De Luca *De decim. disc. 12, num. 12;* S. Rota *decis. 78, n. 33 coram Ansaldo.*

Quod si quandoque S. C. C. per coadiutorum constitutionem magis quam per dismembrationem, parochianorum necessitatibus occurrendum duxerit; orator observat, hoc antiquitus in foro invaluisse, sed lapsu temporis ab aula recessisse et ipsammet S. C. C. in diversam abiisse sententiam, ceu videre est in *Ianuen. dismembrationis* diei 14 Augusti 1875; et hanc sententiam amplexam fuisse, quia *proprius parochus melius oves suas tuetur atque agnoscit, quam Capellanus, Coadiutor aut Custos alterius Ecclesiae; isti enim nec omnia fidelibus praestant, nec tamquam suis.*

Verum, dato etiam quod Coadiutorum deputatio a iuris communis dispositionibus et a S. C. C. praxi aliena haud sit; nihilominus orator sustinet in themate novarum parochiarum erectionem indulgendam esse, quia Episcopus declarat, ob congruae parochialis insufficientiam, sacerdotes haud inveniri, qui Vicariorum munere fungi velint. Imo saepe saepius contigisse, ut modo una, modo altera Ecclesia succursalis absque Coadiutore per plures annos permanserit, et hoc inconveniens in praesentiarum quoque verificari. Cum itaque de causarum existentia dubitari nequeat, quae divisionem parochiae S. Martini et novarum parochiarum erectio-

nem necessariam seu utilem proclamant, orator postulat ut preces pro parochiae divisione et paroeciarum constitutione exhibitae, iuxta votum Episcopi, ratae habeantur.

Quae divisioni et erectioni adversantur. Ex altera vero parte Clauzetti patronus observat, in themate non tam de dismembratione, quam de suppressione agi veteris paroeciae et subsequa territorii divisione in minusculas partes. Siquidem praeter constitutionem novarum paroeciarum Viti, Anduini et Canalis Viti, facultatem quoque posci pro erigenda in futuro, quando congrua in promptu erit, quarta paroecia in loco Casiaco.

Hoc maxime odiosum esse, ait, et iuri adversari, quod iubet, si ecclesia parochialis collabatur, reficiendam esse in ipso loco, Barbosa ad *Conc. Trident. cap. 7, num. 24;* si vero angusta sit, ibidem ampliandam ; si demum, ex populi migratione, fidelibus remota evenerit, per constructionem novae ecclesiae in loco opportuniori, absque tamen dismembratione, succurrendum esse ex Pignatelli *Cons. 230, num. 74.*

Petitam paroeciae suppressionem et territorii divisionem non solum odiosam in iure, sed in facto inconsultam esse. Etenim praeter pagos, qui proprium peculiaremque pastorem deposcunt, alios plures vicos haberi, de quibus nil dictum est in precibus, de quibus propterea ignoratur cuiusnam iurisdictioni subiiciendi erunt, et utrum novae adscriptioni acquiescere velint, an potius sub veteri regimine manere, inter quos vicum Canalis Arzuini connumerari ait.

Nec valere arguit comitia Viti habita ad dismembrationem petendam, siquidem communitas Clauzetti ad ea invitata non fuit, imo statim ac rem cognovit per municipes suos reclamavit.

Iamvero in re tam gravi communitatem, quae dimidium totius parochiae constituit, praetermitti non posse urget. Et ex hoc contigisse asserit, quod Praefectus Provinciae et oeconomatus beneficiorum vacantium declaraverit horum comitiorum votum in pretio haberi non posse.

In tuto posito paroeciae suppressionem et territorii divi-

sionem esse inconsultam, mirum non esse quod Ordinarius paucos ante annos, nempe anno 1880 non necessariam imo inopportunam retinuerit, et ideo trium oppidorum habitantium preces respuerit.

Et revera ad divisionem poscendam non valere subdit rationem pacti, vi cuius aliqui contendunt tres pagos Clauzettum, Vitum et Anduinum in unam paroeciam coaluisse.

Sed dato, et non concesso, quod haec fuerit unionis causa, non sequi posse hodie ad divisionem deveniri, quia, praeter reliqua, deest unanimis contrahentium consensus, imo Clauzettum dictae divisioni prorsus adversatur.

Praeterea nec valere, quod S. Martini ecclesia deserta et fatiscens sit; hoc enim ad summum respicit aedes, non titulum animarumque curatorem, qui oves suas invigilat easque visitat, pascit ac regit sive per se, sive per quinque cooperatores, qui in principalioribus pagis versantur, quique pro 5200 fidelibus sufficere omnino dicendi sunt.

Tandem nec valere distantiam plebis ab ecclesia S. Martini viarumque difficultatem. Nam haec paucos ante annos non recognoscebantur ab Ordinario ut revera gravia et onerosa. Quod si hodie tum Episcopus, tum Rñus Patriarcha sententiam mutavisse videntur; id fecisse dicendi sunt magis ex relationibus interesse habentium, quam ex propria et certa scientia.

Verumtamen data etiam gravitate et distantiae difficultate, nihilo tamen secius divisionis necessitatem non apparere; quippe quia animarum necessitatibus per coadiutores et complures sacramentales ac baptismales ecclesias satis est consultum, quin ad odiosum divisionis remedium confugiatur; et hanc fuisse constantem S. Rotae praxim, ut patet ex *Aesina Parochialis 12 Iunii 1751 cor. Elephantutio*, et probat Barbosa ad Conc. Trid. *sess. 21, cap. 4, num. 10 De parochis, dis. 35, num. 6;* Monacelli aliique.

Ceterum magnificatam viarum difficultatem huiusmodi haud esse, erui ex testimonio decurionis Velitum, qui asseverat itinera esse curribus pervia et bene servata.

Et quamvis patronum non lateat, hisce postremis temporibus, ad providendum spirituali fidelium curae S. C. C. inclinasse magis ad dismembrationem, quam ad vicariorum delegationem ; nihilominus sustinet, id evenisse quoties dos paroecialis pro nova ecclesia in promptu erat. At in themate tam longe abesse ut congruae pro quatuor parochis praesto sint, ut nec ea, quae existit, sufficiens sit.

Unde non modo necessariam, sed imo damnosam esse dismembrationem ; et hoc ex eo etiam scatere, quod in praesentiarum, praeter parochum, plures sint sacerdotes, qui quamvis pro suo cuiusque pago deputati peculiariter sint, tamen ad universum populum sunt missi, omnesque fideles ad eas indistincte recurrendi ius habent. Quam parochialis administrationis rationem, praesertim quoad sacramentales confessiones, et commendabilem et utilem esse.

Quin ad constituendas novas paroeciarum congruas confugium haberi possit ad decimas. Has enim decimas mediocre quid esse plane evinci ex facto, quod Gubernium quotannis parochiale S. Martini beneficium 500 libellis auget.

Porro si ex de Luca *disc. 12 De Decim. num. 5 et 8* aequum semper declaratur decimas in dismembratione matrici ecclesiae relinqui, *ne antiqua ecclesia damnum patiatur;* in speciali casu, *quando ecclesiae matricis reditus non sufficiunt nisi ad convenientem ipsius parochi substentationem*, iuxta Tridentinum sess. 21, cap. 4, *non debet quidquam ex illis detrahi ad dotandum novum parochum.*

Quod autem offertur a conterraneis Viti et Anduini, sartum tectumque non videri, nam ex oblationibus et syngraphis privati crediti conflatum ut plurimum habetur.

Mox adductis accedere difficultates ex parte civilis ac politicae auctoritatis ; quippe quia in civili lege valet principium pluribus rebus iudicatis firmatum, quod scilicet status parochiae mutari multoque minus parochia dividi queat ; tum cum duae communitates ab eodem parocho dependentes inter se non conveniunt. Legi vero civili legem tum communalem, tum provincialem chorum agere.

Hisce hinc inde perpensis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An et quomodo annuendum sit precibus pro divisione ecclesiae parochialis S. Martini de Asio, et erectione novarum paroeciarum in casu.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, omnibus aequa lance libratis, die 8 Iunii 1889 hoc dedit responsum : *Affirmative, prudenti iudicio Episcopi; dummodo cautum sit de congrua pro singulis paroeciis erigendis.*

Ex quibus colliges. I. Salutem animarum supremam legem in Ecclesia esse, et iuxta hanc legem nedum Paroeciarum, sed etiam Dioeceseon fines regendos aut moderandos esse.

II. Ad parochiarum vel unionem, vel dismembrationem, vel divisionem evidentem necessitatem aut utilitatem requiri.

III. Hoc praeprimis verificari, quoties ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda, accedere non possunt.

IV. Existentibus locorum distantia et viarum difficultate, novas parochias erigendas esse ; dummodo praesto sint sufficientes reditus, quibus novis parochialibus ecclesiis prospici queat.

V. Iuxta Conc. Trid. *cap. 1, sess. 23,* Parochos ex praecepto divino teneri oves suas cognoscere verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium opere et exemplo pascere.

VI. Antipathiam, simultates vel odia inter eiusdem parochiae regiones vel oppida, esse causam sufficientem dismembrationis vel divisionis parochiae novarumque parochiarum erectionis, et hanc fuisse constantem S. C. C. praxim.

VII. Ad Ecclesiarum quarumcumque etiam parochialium unionem, vel ad earum divisionem seu suppressionem procedi posse, quoties vel Ecclesiae parochiales ob ipsarum pauper-

tatem, pastore provideri non possunt, et earum status ex dignitate conservari haud valet.

VIII. Ad ipsarum unionem vel divisionem seu suppressionem procedi etiam posse, quoties sunt adeo fatiscentes et dirutae, ut instaurari aut refici nequeant.

IX. Ex Conc. Trid. *cap. 13, sess. 24 de Ref.* pro tutiori animarum salute, singulis paroeciis suum perpetuum peculiaremque parochum assignandum esse, qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant.

X. Qua de re parochum, non per cooperatores sive Vicarios, sed per seipsum Ecclesiae parochiali deservire debere; tum quia non omnia in capellis fiunt, ad quae parochi ex iure communi et Tridentino tenentur; tum quia praesertim in parochis censetur electa industria personae.

XI. Idque eo vel magis tenendum, cum de Capellanis amovibilibus ad nutum sermo sit, ex eo quod a iure ceu mercenarii et imperiti habentur, ac male regulariter pascunt oves in proprietate non suas.

XII. Olim apud S. C. C. invaluisse, ut per Vicariorum constitutionem, magis quam per dismembrationem parochianorum necessitatibus occurreretur; sed hoc lapsu temporis ab aula recessisse, et ipsammet S. C. C. in diversam abiisse sententiam.

XIII. In themate S. C. C. divisionem paroeciae S. Martini et novarum parochiarum erectionem indulsisse, dummodo congruae pro novis paroeciis erigendis in promptu essent, quia retinuit causas adesse, quae invocatam divisionem et erectionem exigunt (1).

(1) Recole Vol, I, 520, 543; Vol. III, 396; Vol. XII, 287; Vol. XIII, 60, 293, 299; Vol. XVIII, 315.

TARENTINA

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 16 Februarii 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Haeredes Dominici Desiati, per Archiepiscopum Tarentinum, enarrant se aliquot ante annos ob oeconomicas angustias in emphytheusim primum dedisse, ac dein ipso directo dominio se exuisse, et vendidisse fundum quemdam rusticum super quo inscriptum erat onus unius missae, quibuslibet festis de praecepto celebrandae ac eleemosynâ L. 1, 27 retribuendae. Verum tam in emphytheusi paciscenda, quam in directi dominii venditione reticuisse onus quo fundus gravabatur. Quapropter curarunt ut legatum adimpleretur donec valuerunt id facere. Sed, prosequitur Ordinarius, inopiâ pressi, magnâ difficultate, usque ad annum nuper elapsum, missas litare fecerunt; verum quum id facere amplius non valeant, reductionem oneris huiusmodi petunt ab Apostolica Sede. Hinc petiit ipse Ordinarius ut ad septem reducerentur cum stipendio unius libellae.

Et cum peteretur ab Archiepiscopo ut referret, si qui essent, qui interesse haberent, et an emptor ad eiusdem oneris satisfactionem teneretur, respondit negative ad utrumque.

Disceptatio Synoptica

Age vero, cum onus fundo inscriptum dicatur, ideoque reale, hinc fundi possessor per se ad legati implementum devinctus videretur. At otiosa haec disputatio modo est; nam emptor, quum maiori pretio rem emerit quam liberam putavit, ad missarum satisfactionem iuste adigi non posset, nisi venditores partem accepti pretii ei restituerent; at hi id facere non valent.

Res itaque in casum impossibilitatis incidisse videtur. Nec dolum aut culpam in hoc intercessisse constat. Aliunde oratores conscientiae pietatisque suae luculentum testimonium

praebuisse dicendi sunt, cum onera implere usque modo non omiserint, licet aegre et difficulter id peragerent, et licet nullo externo vinculo ad hoc adigerentur.

Quibus stantibus remissum est EE. PP. perpendere num adesset in casu ea *iusta* et *necessaria causa* quam Tridentinum in *cap. VI sess. 22 de reform.* exigit, ad hoc ut possint piae fidelium voluntates commutari, et missarum onera reduci.

Quibus praemissis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. C. re visa sub die 18 Februarii 1889, censuit respondere: « *Pro gratia absolutionis quoad praeteritum, et quoad futurum iuxta votum Episcopi, qui quoad fieri potest, curet legati implementum.* »

NULLIUS-MONTIS CASSINI

TRANSLATIONIS

Die 23 Martii 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Raphael Patete parochus ecclesiae S. Mariae Virginis Gratiarum loci *Cardito* in dioecesi Montis Cassini supplici libello SS.num adivit exponens: sese Paroeciam obtinuisse per canonicum concursum; occasione autem rixae inter suos paroecianos dum conatus ageret ad tranquillitatem reducendam, casu vulnus accepisse, per proiectilem, qui extrahi nondum potuit ab anno 1886: ex hoc vulnere vitam propriam in discrimine diu fuisse, et immanium dolorum causâ, paroeciae administrationem deserere debuisse, quam solummodo uno abhinc anno resumpsit.

Sed ab illo vulnere vires sui corporis ita dietim deficere, ut administratio istius paroeciae gravis eidem reddatur, tum atrocibus, quibus saepe afficitur doloribus, tum conditione topographica paroeciae, quae per montes et valles dissitas late protenditur. Quamobrem Sanctitatem Vestram exorat pro translatione ad parvam paroeciam Aquaevivae eiusdem Dioe-

cesis. Episcopus de voto requisitus, ait, preces veritate niti, et oratorem expetitâ gratiâ dignum esse.

Disceptatio Synoptica

Porro obstant precibus praescripta *cap. 18 sess. 24 De reform.*, ubi iubetur paroecias per concursum et examen conferri, quod quidem observari in translatione non posset.

Laedi insuper ex hoc videretur aliorum plurium ius qui ad vacantem paroeciam concurrere intendunt.

At vicissim animadvertendum est non semel S. C. C. data iusta causa, dispensationem a concursu concessisse ac permisisse, ut simplex sacerdos, praevio idoneitatis examine, ad paroeciam institueretur. Quod facilius sinendum videtur in casu translationis; quippe quoniam parochus qui transfertur nedum concursu et examine, sed et diuturno curae exercitio iam probatus existit.

Nec proprie laeditur ius aliorum qui concurrere student; quia ipsis praeservatur facultas optandi ad paroeciam ex translatione vacantem.

Imo hac praecise de causa, quia scilicet in translatione 1. sarta tectaque saltem in substantia manere videtur Tridentina lex de paroeciis conferendis, iis tantummodo qui concursu et examine probati sint, et 2. quia in translatione ceterorum iura non offenduntur, plures DD. tenent, Episcopos ex se posse aliquem parochum ab una ad aliam paroeciam transferre « si nempe, prout loquitur Reiffenstuel ad *tit. De rer. permut. n. 38* gravis causa id postulet, vel quia beneficiatus minus est idoneus ad praestanda munera beneficii huius, vel in loco etc. » Et consentiunt Abbas in *c. Quaesitum 5 eod. tit. n. 7 et 8*, Innocentius in *c. Nisi, De renunt.* Engel *eod. tit. n. fin.*; argumento *cit. cap. Quaesitum p. fin.* ubi ita statuitur: « Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uno loco minus sunt utiles, alibi valeant utilius se exercere. »

Imo, ad tradita per Reiffenstuel *l. cit. num. 39* « procedit doctrina etiamsi causa absque culpa beneficiarii eveniat, v. g. exurgat gravis aversio et odium populi adversus parochum, ita ut huius verba nihil amplius fructificent, populus divina contemnat, vel scandalum nascatur etc., ut apud Abbatem citatum bene observat Innocentius *l. c.* Ratio est quia bonum publicum debet praeferri privato, *can. Scias 39 caus. 7 q. 1.* - ibi: - Nam plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati praeferenda est. »

Idemque prorsus sentit S. C. EE. et RR. in *Alben. super remotione parochi populo invisi* die 15 Octobris 1601 relata a Bizzarri in sua Collectanea. Rem demum more suo ita brevi complectitur D' Annibale *sum. part. 3 n. 61 in nota:* « Licet Episcopo etiam tanquam delegato S. Ap..... parochum ex causa necessaria ad aliam parochiam transferre, *cap. 5 De rer. permut.*, S. C. C. *27 Ianuarii, 18 Decembris 1857. Acta s. S. v. XI n. 159,* puta si in sua paroecia scandalum praebet, vel eum mala plebs odit. Paris. *De resign.* Reiffens. *in III lib. 1, 19 n. 30,* Benedictus XIV *C. Apostolici minist.* Plura quoque in hunc sensum videri possunt apud Zamboni *tom. 4. Conclus. S. C. C. v. parochus p. 14 quoad remot. et privat.*

A fortiori itaque id saltem ex gratia a S. C. C. permitti poterit; cum valetudinis curandae ergo, et ob physicam impossibilitatem pastoralia officia rite obeundi translatio petatur.

Quibus animadversis quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. C. re disceptata sub die 23 Martii 1889 censuit respondere: *Pro gratia praevio examine coram tribus examinatoribus pro-synodalibus.*

VENETEN.

MATRIMONII

Die 4 Maii 1889

Compendium facti. Die 18 Aprilis 1860, Lorienti, Dioecesis venetensis oppido, in ecclesia parochiali s. Ludovici, post civilem ritum sacrum matrimonium celebrabant Aloysia Laurent et Ernestus Prêtot. Illa, 18 annos nata erat, hic magistratum iam agebat et quintum lustrum excesserat. Puella ad nubendum Ernesto precibus gravibusque parentum minis se dicit compulsam, et cum lacrimis magnàque animi reluctantia nupsisse.

Quidquid sit, certum est vitae consortium, quod 14 annos perseveravit, infelicissimum fuisse, mulieri praesertim, quae tandem adeo gravi nervorum morbo correpta est, ut in amentiam incidisse videretur. Et ideo inclusa fuit in manicomio loci Ivry, ubi tamen duriora adhuc passam se conqueritur.

Inde patris curà educta, et a viro separata, aliquot annos transegit in monasterio Monialium Augustinianarum Meldensium; usque dum mortuo patre, et evulgata interim in Galliis divortii lege, legalem a viro divisionem expoposcit et obtinuit. Libera civiliter effecta, verita non est statim novum maritale foedus inire cum tribuno militum Geoffroy. Attamen, conscientiae stimulo ducta, postridie a civili hoc ritu curiam Parisiensem adiit, rogatura, ut matrimonium a se initum cum Ernesto Prêtot nullum declararetur ex capite vis et metus.

Et Parisiensis curia ex S. C. C. delegatione processum instruxit: actricem eiusque matrem nec non et quatuor testes ab actrice propositos accersivit et audiit: quintum, nempe monialem Bertham Lahalle, per Ordinarium Baltimorensem excuti curavit. Sed vir licet ab Ordinario Burdigalensi, Burdigalae namque tunc versabatur, non semel rogatus, et ab initio ad depositionem faciendam aliquatenus propen-

sus, ad ultimum tamen obsequens non fuit. Imo ne ulterius vexaretur, datis litteris, prohibuit.

In hoc rerum statu Parisiense tribunal, post perpensa defensoris vinculi et actricis argumenta atque allegationes, ad sententiam devenit, et matrimonium nullum ex capite vis et metus declaravit. Defensor tamen s. vinculi ad S. C. Concilii appellavit.

Disceptatio Synoptica.

Defensio mulieris. Mulier patronum sibi adlegit, qui suam allegationem typis editam in quinque capita dispescit: atque in 1. ad examen revocans personas, quae versantur in causa, agit in antecessum de honestate et credibilitate testium; ac notat quod testes inducti, praeter matrem actricis, sunt viduae Ouizille et Besné, illa amica, haec actricis matertera, Elias Lahalle navium dux, Ayrault substitutus in tribunali civili Parisiensi, ac Bertha Lahalle monialis superior in monasterio Baltimorensi de *Bon Secours*, quos omnes commendant bonum testimonium uniuscuiusque parochorum, praeclarum officium ac aetas provecta. Ideoque quamvis suspicionem a testibus avertendam, eorumque dictis plenam fidem adhibendam tuto fore contendit.

Nec mirandum quod pauci sint testes, cum factum a quinque et amplius lustris contigerit, ideoque mortui sunt plures, quorum aliqui praesertim multa et maximi momenti referre potuissent. Qui tamen sunt adducti, abunde sufficiunt, docente Reiffenstuel cum communi *tit. 40, lib. 1 num. 89*, quod « magis sit credendum duobus testibus de metu attestantibus, una cum existente coniectura, quam mille negantibus, seu deponentibus de libera sive spontanea voluntate... quia deponentes super spontanea voluntate, deponunt de actu interno solique Deo cognito: alii vero deponentes de metu una cum existente coniectura, attestantur de minis, verberibus vel similibus, illati metus indiciis, quae sensu corporis percipiuntur ». Rota, *apud* Farinacium *dec.*

147, Barbosa *Collect. lib. 4 Decret. cap. Ex litteris De consang. et affin.*

At in casu quinque sunt testes, quibus mater adiici posset, omnes fide digni, et cum coniectura, idest, cum indiciis, factis, et adminiculis pluribus de metu deponentes: insuper universi omni exceptione maiores, cum nec matertera, nec forte mater, aliqua exceptione repelli possit. Nam in causis matrimonialibus consanguinei et familiares non habentur suspecti ex clara praescriptione *cap. videtur nobis 7, De iis qui matrim. etc.*, quia obiecta domesticitas non minuit, sed potius auget fidem testis in hac materia, ratione praescriptae scientiae et veritatis, » Rota, *loc. cit. num. 10.*

Deinde patronus de Aloysiae eiusque parentum indole disserens, ait, omnes testes affirmare, Aloysiae patrem, virum illustrem publicis negotiis deditum, ac religiosum fuisse; at honorum cupidum, imperiosum ac proclivem ad iram si contradicebatur. Mater autem viro obsequentissima, sed et ipsa ambitiosa ac obstinata. Uterque filiam saepe blandiebatur, at non raro etiam absolute ei dominabatur, quin ipsa contradicere posset.

Nec refert aliquos testes amorem ac humanitatem parentum erga filiam extollere; nam non raro contingit, parentes in iis de quibus non satagunt maxime indulgentes filiis se praebere, dum in aliquo negotio, quod eorum valde interest, filios obsequentes omnino volunt.

Atque hoc prorsus in themate accidisse dicit orator, ut ex sequentibus ostendet. Sed interim, ut notet quantae pervicaciae fuerint Aloysiae parentes, recolit patrem misertum tunc solum esse filiae, et separationem eius a viro permisisse, cum mentem ac vitam Aloysiae in discrimen prorsus cognovit. Dum mater obstinatior adhuc fuit, nam tum quoque voluisset ut Aloysia necessitati acquiesceret et invisum hominem amaret; quam sententiam vix hodie atque aegre mutavit, ceu expresse fatetur Elias Lahalle.

Vicissim Aloysia egregiae indolis, religiosa et honesta describitur a moniali Lahalle, aliisque testibus; praesertim

parochi s. Aloysii *Lorienti*, et s. Nicolai Meldensis, ac duo moniales Augustinianae, quas inter post separationem plures annos commoravit.

Constat insuper ex uniformi testium fide, Aloysiam valde dilexisse parentes, ac patrem praesertim, qui, licet austerus, quadam tamen benevolentia magnaque auctoritate sua, filiae animum sibi magis devincere valuit, quam mater, querula ac levioris indolis femina. Imo Aloysia adeo diligebat parentes, ut quamvis ab illis coacta fuisset ad nubendum homini inviso, et quandoque cum eis quereretur aiens eos esse causam magni cruciatus, suos tamen angores eos saepenumero celavit, *ne eos nimirum affligeret*, ceu loquitur mater; iisdemque gravi morbo correptis filiali sollicitudine adstitit veteris iniuriae prorsus oblita.

Ac demum observat orator, Aloysiam ita parentes veneratam fuisse, ut eisdem omnino subiecta permanserit; quod aperte fatetur mater.

Nec refert aliquos testari eam fuisse natura vivacem, minimeque pavidam. Iidem enim testes pariter fatentur eam nihilominus ad obsequendum fuisse coactam. Quippe vivax minimeque pavida restitit, flevit, plura tentavit, ne inviso viro nuberet, at parentum animum flectere non valuit. Siquidem ii, iuxta patronum, hoc matrimonium absolute volebant; quod ostendere nititur in 2. orationis capite.

Id sane testatur iudex Ayrault, vidua Ouzille, et matertera Besné, sed vel clarius explicat Elias Lahalle.

Sane familia Laurent dives quidem, sed non illustris erat; vicissim familia Prêtot pingui censu utique non ditabatur, at paterfamilias Prêtot illustri munere fungebatur, filius autem Ernestus, qui Brestiae substitutum Procuratoris Imperialis agebat, honorabili et multae spei munere fruebatur; et patris opera ad altiores gradus dignitatis et fortunae ascendere poterat, uti observat monialis Lahalle.

Hoc itaque matrimonium proderat Aloysiae parentibus, qui divites cum essent honoris emolumenta quaerebant. Sed et proderat familiae Prêtot, quae prae oculis habebat pin-

gue Aloysiae patrimonium; et idcirco puellae animum non attendebat : sed eius patrimonium inhiabat, ceu fidem faciunt vidua Ouzille et Iudex Ayrault.

In tertio orationis capite ostendit patronus, in primis Aloysiam animum habuisse ab Ernesto prorsus alienum; nec sine causa, nam ait ipsa Aloysia: ego quum essem iuvenis non amabam dominum Prêtot, quia magistratum nolebam. At aliud forte etiam suberat motivum; cum monialis Lahalle asserat, quod Aloysiae innotuerit, dominum Prêtot fovisse amicitiam cum alia femina ante matrimonium suum a qua filium susceperat.

Nihilominus parentes metu incusso, ac illatâ coactione in id adlaborasse, ut filiam ad has nuptias conducerent. Atque in primis haec habet ipsa actrix: pater meus, tenax propositi vir, dixit mihi velle omnino hoc matrimonium; quod si renuerem, e domo sua me eiiceret, ut monasterium peterem aut irem quo mihi placeret. Dicebat mihi etiam pater: me publicam amittere extimationem, si dominus Prêtot me derelinqueret, et maximum ex hoc imminere dedecus domui nostrae; ita ut nemo me in uxorem amplius duceret. Frequenter moralem, non physicam passa sum coactionem a patre et matre mea; qui per quatuor menses conati sunt suadere mihi hoc matrimonium.

Mater Antonia fatetur coactionem adhibitam ab utroque coniuge, nempe a patre et matre perdurasse usque ad matrimonium. Ego, ait mater, quotidie de scandalo certe nascituro loquebar, quatenus filia respueret matrimonium eiusmodi; quae aliquando tacebat, aliquando fortiter renuebat. Quoad minas vero prosecuta est mater: recordor me bis, aut ter minas graves fecisse filiae, nempe eam claudendi in Monasterio, quatenus dicto matrimonio oppositionem faceret. Sed filia sese opponebat dicens: se non posse amare dominum Prêtot. Quae omnia ab aliis testibus confirmantur.

His addit orator iudicem Ayrault, qui quamvis testis de auditu et fama, valde tamen sua auctoritate praestat, utpote quia intima consuetudine cum Aloysiae parentibus dein

usus est. Ait itaque: notum quidem erat omnibus, puellam vi inductam esse ad hoc matrimonium; et mater talis erat quae propositum omnino servaret ad filiae frangendam oppositionem. Aderat siquidem moralis violentia; quoniam puella aversionem magnam erga virum nutriebat.

Demum adducit depositionem monialis Lahalle, quae utpote actricis amica, et omni exceptione maior, maxima fide digna habenda est. Haec itaque ait, sese pro certo habere, Aloysiam vere et realiter coactam fuisse ad has nuptias.

Hisce in facto relatis, recolit in 4. orationis capite ea quae sequuntur in iure ac praemittit, quod ad iustum contractum ineundum necessarius est consensus cum libertate emissus. Hinc nedum qui sub vi, seu coactione absoluta, sed etiam qui sub metu, idest, coactione conditionata, aliquid promittit, iustum contractum non facit; cum « magis pati, quam agere convincatur ». *Cap. Sacris, De iis quae vi etc.* Et contractus ita sub metu initus non tenet. « Quod metus causà gestum erit ratum non habebo », aiebat Romanus Praetor *L. 1 ff. De iis quae vi etc.*

Et quamvis DD. disputant, utrum promissio metu facta irrita sit per se et ab initio, an solum ex sententia iudicis, pluresque id affirment, dum alii non pauci negant ; tamen quod matrimonium certum ac de fide est, consensum metus causà datum absolute invalidum ab initio haberi. Et iure merito, quia cum matrimonium semel validum amplius dissolvi nequeat, hinc ad individui libertatem tuendam, et ad passam iniuriam ab eo avertendam, haud aliud remedium suppetere poterat, quam hoc, ut scilicet matrimonialis consensus, metus causa editus, nullus ab initio declaretur, ac sit, et persona sub metu agens incapax ad matrimonialem consensum habeatur.

Solummodo disceptatur quonam iure sit irritus huiusmodi matrimonialis consensus, naturali ne et divino, an potius ecclesiastico. Hoc alterum tenet Sanchez *lib. 1 De matr. disp. 4.* et post ipsum plures alii usque ad Vecchiotti *Praelect. t. 3 pag. 176.* Sed primum tuentur inter theologos,

Scotus in 4, *dist. 29 q. un. De secundo*, D. Bonaventura in 4, *dist. 29 q. un. n. 5*, ac praesertim D. Thomas pariter in 4, *dist. q. un. art. 3*, et inter canonistas Reiffenstuel, *De iis quae vi etc., num. 47 et seqq.* cum aliis non paucis.

Sed nil refert in praxi utrum humano an potius divino iure sit irritus huiusmodi consensus; dummodo admittatur sponsalitiam fidem coactione, et metus causa datam, nullam, inanem ac irritam per se et ab initio existere. Quo posito nil etiam refert inquirere an persona, metum passa, ore loquuta sit, corde tamen non consenserit. Imo supponitur consensisse, et in hac hypothesi ad irreparabilem ab ea iacturam avertendam, et in iustissimae libertatis tutelam provida lex constituit, ut huiusmodi consensus sub metu emissus nullus et inanis ab initio habeatur, ac sit.

Imo, observat patronus, cum per matrimonium non res aliqua, sed ipsum corpus, et individui libertas alteri tradatur, hinc maior libertas in matrimonio contrahendo requiritur, quam in ceteris contractibus. Ita uno ore DD., quos inter Sanchez *lib. 4 disp. 6 num. 2*, Consci *lib. 1 cap. 8 num. 38;* iuncto iure in *cap. Cum locum, De spons.*

Attamen ad matrimonialem consensum irritandum requiritur, ut metus sit gravis, ab externo, iniuste et directe ad consensum extorquendum incussus. Porro in themate metum fuisse ab externo, iniuste et directe ad consensum extorquendum illatum, id extra controversiam esse, ex ipsa facti specie facile evincitur, ait orator.

Gravem autem fuisse non difficulter probatur. Sane inter diversa criteria a iurisperitis tradita ad metum gravem dignoscendum, Reiffenstuel *cit. tit. num. 18* cum Scoto aliisque tradit, « ad metum gravem duas has conditiones requiri, ad quas ceterae omnes reducuntur. Prima est quod malum quod timetur sit grave in se, et non solum in vana aestimatione metuentis. Secunda conditio.... quod eiusmodi grave malum certo immineat, ut non levi aestimatione, sed certitudine morali, seu sufficienti in actibus humanis, iudicetur eventurum. »

At comminatio eiectionis e paterna domo, et detrusionis in monasterium, puellae praesertim duodeviginti annorum, malum in se grave constituit. Et insuper in themate cum ageretur de parentibus obstinato ingenio, imperioso animo, qui magnum sibi suaeque domui lucrum ex hoc matrimonio sperabant, quique erant ad iracundiam faciles si contradicerentur, et ad exequenda proposita tenaces, comminata eiectio aut detrusio morali certitudine imminebat. Nec admitti potest, comminati mali periculum in vana aut levi Aloysiae aestimatione fuisse. Iudex enim Ayrault, qui Aloysiae parentes intime cognovisse testatur, ait: matris indolem eam esse ut minae peractae ab ea omnino adimplerentur.

Et eo minus tradi potest eiectionem e paterna domo, et detrusionem in monasterium, cum ceteris praesertim adiunctis coniunctam, leve quid esse: domus enim et libertatis amissionem maximum malum absolute esse, nedum recta ratio, sed ipsamet iura passim proclamant. *L. Ego puto ff. De his quae vi etc.*, iuncta Rota *dec. 374 cor. Ludovisio.* Quod magis verificari debebat in aestimatione vivacis puellae; quia « etiam qualitas personarum attendenda videtur; minor enim metus sufficit in femina, quam in viro. » Reiffenstuel *tit. cit. num. 79,* Sanchez *De matr. lib. 4, disp. 3 n. 2,* Vecchiotti *tit. 3, num. 176* ac passim omnes. Quorum auctoritati maximum robur adiungit instructio S. C. de Propaganda, quae docet quod « gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur »; et exinde singulas recenset circumstantias quae ad gravis metus aestimationem requiruntur, nempe auctoritas et pertinacia terrentium, fragilitas et inexperentia patientis, diuturna et importuna vexatio, gravitas demum minarum, quae circumstantiae cum amussim verificentur in themate, dubitari non posse, quominus gravis metus illatus Aloysiae non fuerit, concludit orator.

Sed praeter timorem simpliciter gravem, contendit insuper haberi et gravem metum reverentialem, quo nuptiae

pariter irritantur. Nomine metus reverentialis iuxta communiorem DD. sententiam intelligitur reverentia parentibus et superioribus debita, quam tamen, si sit sola, dicunt non sufficere ad matrimonium irritandum. At si huic accedant graves minae aut sevitiae parentum, vel saltem preces importunae et instantes, tunc verum metum reverentialem haberi, et ad matrimonium irritandum sufficientem, omnes admittunt. Ita Sanchez *lib. 4 De matr. disp. 6 et 17*, Reiffenstuel *cit. tit. num. 95*, cum pluribus ibi citatis.

Observat autem accuratiorem, et veriorem esse sententiam Emi D'Annibale, qui *vol. pag. 104 not. 14* ait, reverentiam erga parentes ex se sola metum reverentialem immerito vocari, « quia metus sine periculo alicuius damni non intelligitur ». Itemque ubi graves minae vel sevitiae ex parte parentum intercedunt, nedum *metum reverentialem*, sed *simpliciter gravem* haberi. Unde timorem reverentialem tunc proprie haberi, cum aliquis indignationem superioris metuit, licet absint verbera aut minae. Nam haec parentum seu superiorum indignatio « malum est, et si gravis et diuturna sit, malum grave, adeoque et metus gravis non immerito existimatur ».

Ceterum importunas preces, et parentum instantias coniunctas cum timore et obsequio eorumdem, gravem metum constituere matrimonium irritantem omnes DD. admittunt. Sane ita expresse Reiffenstuel *tit. De regularit. etc. n. 265;* Pirhing *l. 4 t. 1, n. 119;* Engel, *tit. De spons. et matr. p. 5, num. 4;* Pignatelli *t. 9, cons. 130, n. 19;* Clericatus *Dec. 17, De matr. n. 24;* Vecchiotti, Santi, ac aliis omissis, ipse austerus Antoine in *tract. de matrim. c. 1, n. 7* ad quaestionem quam sibi proponit, utrum preces importunae ac saepius repetitae metum sufficientem ad infirmandum matrimonium incutiant, respondet: « *Affirmative*... si hae duae impulsiones concurrant, videlicet, hominis, rogantis, auctoritas, et precum importunitas. »

Quae DD. sententia nedum rationi et aequitati nititur, sed etiam clarae iuris dispositioni. Nam est iuris adagium

L. Velle ff. De reg. iur. « quod velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini. » Unde in *l. 1 ff. Quarum rerum actio, p. Quae onerandae,* irrita declaratur promissio liberti domino facta, « si liquido appareat, libertum metu solo, vel nimiâ patroni reverentiâ ita se subiecisse. »

Iamvero in themate, prosequitur orator, parentes per quatuor menses puellam hortati sunt, adprecati sunt, eandem terruerunt durâ agendi ratione, atque impulerunt ignominiae larvâ, et imperio. Quibus si iungantur minae, auctoritas, et ingenium parentum, fragilitas et inexperientia Aloysiae, facile iuxta patronum intelligitur, libertatem, ad tantum consensum requisitam, omnino peremptam fuisse.

Quod magis confirmat in postremo orationis capite, ubi iuxta instructionem S. C. de Propaganda ad examen revocat quae matrimonium praecesserunt, comitata et subsequuta sunt. Si enim mulier tum ante, tum in actu matrimonii tum postea magna reluctantiae signa dederit, restiterit, fleverit, aliave quae potuit tentaverit, ut invisum iugum a se averteret; exinde invicte argui, vim et metum incussum ac defectum consensus, expresse tradit tum citata instructio, tum S. Rota, in *Decis. 115 p. 12 recent. num. 7.*

Cohaerenter ad haec singulas orator facti circumstantias recensens, recolit, dum habebantur matrimoniales tractatus, Aloysiam nedum restitisse, reclamasse, sed et saepius flevisse. Aloysiam flevisse ob illatas vexationes etiam vidua Besné confirmat. Imo quo proximior fiebat matrimonii dies eo magis moeruisse ipsa docet mater.

Aloysia deprecata semel est avunculum, ut sibi penes patrem auxilium praeberet, ceu refert matertera Besné.

Observat insuper orator, Aloysiam omni nisu tentasse Ernesti animum a se alienare, nunc frigide eum excipiendo, nunc flores, ab eodem exhibitos, ad ecclesiam extemplo et cum incuriae ostentatione mittendo, nunc ei significando se equitationi, res eidem prorsus odiosa, indulgere velle.

At, minoribus omissis, factum recolit, quod quinta cir-

citer ante nuptias hebdomada contigit. In solemni ludo habito ad maritimam Praefecturam Lorienti, cum ducerentur choreae, Aloysia passim ac constanter Ernestum effugit. Hinc Ernesti ira, qui postridie Aloysiae parentibus scribebat, nuncium matrimonio se mittere velle; a quo tamen proposito eum revocavit Aloysiae mater, prout ipsa fatetur.

In eadem circumstantia cum Aloysia a sponso fugeret, et choreas institutura ad officialem de l'Escaille accederet, huic rationem huius facti petenti suam erga virum aversionem confessa est; eique in ludi ardore suasit, ut ipsam raperet, et ab inviso viro salvaret, quod tamen ille non egit. Hoc, praeter actricem, narrat iudex Ayrault et Elias Lahalle.

Cum rapi non posset, fugere sin minus tentavit, ac reapse petiit ut penes amicam familiam Lahalle reciperetur. Et quamvis actrix ab initio dixerit hanc petitionem se fecisse Bertae Lahalle, contubernali suae, hodie moniali, et haec in processu id deinde negaverit; tamen, iuxta patronum, res adhuc fide digna est; nam in litteris, quae sine data prostant, quae tamen ex contextu anteriores sunt excussioni ipsius Bertae, Aloysia se corrigit, et affirmat non Bertae, sed eius matri id petiisse. Et de cetero tum Elias Lahalle, tum iudex Ayrault affirmant has circumstantias novisse, et enarrari audivisse.

Cum haec omnia in irritum cessissent, Aloysia scribere ad Ernestum proposuit, ut ipse desisteret: sed frustra, nam Aloysiae litteras parentes interceperunt. Id, praeter actricem, testatur Elias Lahalle, nec non et vidua Ouizille.

Praeterea cum statuta dies iam instaret, et Ernesti parentes Aloysiam invisuri venissent, ut sui animi aversionem eis ostenderet, ipsa alio deambulatura recessit; quod ipsamet enarrat.

At cum iidem accederent arras praebituri, ipsa, licet sana, tota die in lecto decumbit, ne eos videret, iisque iniuriam inferret; nec nisi sub vesperum parentum precibus

ac praeceptis defatigata surrexit. Haec confitetur mater, haec confirmat iudex Ayrault.

Enarrans deinde quae evenerunt pridie et ipso nuptiarum die, recolit orator, monialem Laballe fateri: quod Aloysia die ante matrimonium petiit a patre liberari ab hoc onere, quodque pater responderit sero esse; ita ut si propositum matrimonium non iniretur, ridiculus fieret in patria sua, quam derelinquere sibi oporteret. Et summo mane diei nuptialis, iuxta materteram Besné puella amare flevit antequam Ecclesiam peteret, eamdemque amplexando et deosculando, aiebat: se esse infelicem.

Quoad autem nuptiarum celebrationem, ait actrix: sibi proposuisse respondere *non* apud civilem auctoritatem; sed animum defecisse ultimo instanti, timens ne scandalum fieret. Et in Ecclesia, adiecit actrix, lacrimas elicui per totum missae tempus, et quisquis me aspexit desolatam. Id confirmat mater aliique testes.

Contendit itaque patronus etiam ex his adiunctis matrimonium nullum fuisse, cum iuxta communiorem sententiam tradat Reiffenstuel *tit. De his quae vi etc. n. 88:* « Praesumitur etiam metus quando is qui contraxit, vel contractui consensit, tempore celebrationis contractus lacrymabatur, nisi forsan alia causa illius fletus intervenerit...; talia enim indicia multum iuvant ad excutiendam veritatem, metumque dignoscendum. » At si fletus habetur ut magnum indicium adhibitae coactionis, potiori iure coactio admittenda erit, si accesserint desperatio, luctus, et preces Dei nomine a puella interpositae, ut a matrimonio liberaretur.

Et eo magis admittenda si attendantur ea quae post nuptias evenerunt. Siquidem narrant plures testes, Aloisiam, post matrimonium, semper tristem fuisse et saepe in lacrymis.

Quin imo ipsa mater fatetur: eadem argumenta tristitiae, die matrimonii elicita, perdurasse per quatuor aut quinque dies post matrimonium initum: et occasione arrepta,

parentibus exprobrabat, eos causam fuisse illius infelicitatis maximae.

Omittit deinde orator quae ab actrice narrantur, ipsam nempe decem dies restitisse antequam viro debitum redderet; nec tandem acquievisse, nisi quia ex errore putavit, omnia esse sibi absoluta; at nihilominus discordem semper fuisse a viro, adeo ut cito post nuptias tentaverit penes suos parentes redire, nisi ab iisdem prohibita fuisset.

Itaque, concludit orator, aequitatis canonicae ignara, a parentibus repulsa, suas nuptias validas putans, coactum, invisum ac in dies gravius contubernium quatuordecim annos subiit; quin tamen exinde quidquam pro matrimonii valore concludi possit. Nam S. C. C. in *Panormitana, Nullitatis matrimonii 30 Sept. 1719* hanc edidit peremptoriam declarationem: « C. Cardinalium Conc. Trid. interpretum saepius respondit, hodie post Conc. Trid. matrimonium metu contractum, etiam purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus, non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita iterum eiusdem Concilii forma. » Idcirco in themate num matrimonium metu, iuxta dicta, contractum fuerit, et tamen nedum nova legitimaque eius celebratio, sed nec spontanea cohabitatio cum scientia nullitatis prioris coniugii, metusque purgatione intercesserit; iam contubernium 14 annorum nil prorsus valere, nihilque esse patronus contendit. Eo vel magis quod diuturnum hoc contubernium, ad id tantum desierit, ut infelix mulier, tam diuturna animi angustia tentata nullâque remedii spe erecta, in morbum inciderit et quasi mente corripi visa sit.

Unde tandem concludens patronus duo adhuc notata vult, nempe 1. ad causam metus valde prodesse ipsam dolorosam parentum confessionem, elicitam antequam morerentur coram amicis, qui de hac testes fide digni sunt.

Nec 2. nocere parvas quasdam in rebus minoris momenti discrepantias. Nam si ab actrice et eius matre nonnulla, non omnino praecise referuntur, meminisse oportet hanc levioris indolis feminam 75 aetatis annum iam excessisse, et

idcirco duplici mentis debilitate laborare; actricem vero dolore confectam, mente quasi correptam aliquot annos fuisse; ac demum agi de factis quae 25 circiter abhinc annis evenere: unde tandem has leves dissonantias id unum probare, collusionem nempe inter testes et partem defuisse.

Animadversiones defensoris vinculi. Ex altera parte defensor vinculi in primis notat, favorabiliorem testem pro actrice, abs dubio, existere Lucianum illum Ayrault, qui substitutum agit in tribunali civili Parisiensi; et pro huius tantummodo testis commoditate petitum a SSmo fuisse, ut acta praesentis processus Parisiis conficerentur, in sede scilicet impropria. Constat enim virum Burdigalae, qua consiliarium illius appellationis curiae, versari. Porro ex Instr. S. C. de Propaganda statuitur, quod « coniuges in causis matrimonialibus subsint Episcopo in cuius dioecesi maritus domicilium habet. » Quod si, ut in casu, coniugale consortium per separationem a toro ac mensa sublatum sit, tunc, docet Mansella *De imped. matr. dir. p. 1 cap. 6 art. 1 n. 5*, « iudex competens est Episcopus ille in cuius Dioecesi domicilium habet pars contra quam proceditur ». Unde in themate pars contra quam procedebatur esset vir, a fortiori Burdigalae erat is conveniendus. Aut sin minus coram Ordinario venetensi, in cuius Dioecesi celebratum erat matrimonium. Siquidem « ratione rei sitae, contractus et delicti, » licet minus proprie et nonnisi lato sensu, acquiri tamen legitime potest iudex.

At e contra petitum est ut delegaretur parisiensis Curia 1°. quia « plerique testes heic Parisiis commorantur et domicilium habent. » Quod quidem defensor vinculi haud exactum esse proclamat; nam inter testes excussos unus Ayrault Parisiis degit. 2. dictum est in precibus matrem actricis venetensem Curiam adire prorsus recusare; virum autem ab Ordinario parisiensi citatum forte esse accessurum; » sed certo certius non accedet ad Curiam venetensem. « Et tamen in probatis est, Ernestum Prêtot rogatum a Vicario generali Burdigalensi in Curiam advenisse, et, nisi quaedam

formalitates obicem praebuissent, ad deponendum paratum eumdem fuisse.

His de delegatione praemissis, ad loquendum de metu defensor accedit, ac recolit, actricem violentiam physice passam non esse, sed ad summum moralem; quod nedum ipsa dixit, sed et confessa iamdiu est amicae suae familiarissimae, hodie moniali, Berthae Lahalle. Quae autem de precibus ad patrem, de fletu aliisque superius relata sunt, haec, notat orator, non ex propria scientia monialis enarrat, sed ex auditu ipsius actricis; et idcirco plurimi pendenda non sunt.

De cetero defectum timoris in actrice confirmant ea omnia quae habentur in divortii civilis actis. Statim enim post matrimonium ipsa ostendit desiderium permanendi in coniugali domicilio breviori quo posset tempore; et re quidem per aestatem et amplius morabatur apud paternam domum. Imo die 14 Octobris 1868 contumeliosas litteras viro scribebat, in quibus eidem declarabat: maximâ affici repugnantiâ ad redeundum in illius contubernium. Quod et alias repetiit ac praesertim litteris diei 1 Iunii 1879. Dum autem cum viro convixit, plura verbis et factis eidem exprobravit; nec verita est semel coram pluribus ita eum impetere, tu agis erga me velut peximus homo. Atque alias eidem infirmo haec obloqui: mori potes, haud poenâ afficiar. Ac demum semel furore percita amphoram sumere in virum iaciendam, ni impedita fuisset, non timuit. Quae omnia a viro in divortii processu obiecta, et ab Aloysia admissa, ostendunt iuxta vinculi defensorem, actricem haud miti animo ac pavida mente fuisse, ac falso edici ab Ayrault quod Aloysia nullam habere poterat voluntatem, quia parentes eius duro animo et obstinato ingenio erant.

Nec refert iudicem Ayrault fateri, se intimum familiae Laurent extitisse; quandoquidem ipsomet teste hanc amicitiam nonnisi quatuor vel quinque annis post contractas nuptias iniit; et de cetero ipse utpote nimium in actricem benevolus suspectus renunciari potest.

Talesque etiam haberi possunt ceteri testes, ac in primis Maria Ouzille, ob contradictionem in eius depositionibus; quae contradictio nonnisi ad morem actrici gerendum contingere potuit.

Et in eodem censu ponendi quoque sunt Elias Lahalle et Emma Besné Aloysiae matertera; eo quod dum ipsi de magna Aloysiae aversione a viro sermonem habent, et de minis ad has nuptias conciliandas in actricem illatis, vicissim monialis Bertha Lahalle actricis amicissima testatur: me latet an parentes rudibus modis tractaverint Aloysiam coram testibus; neque si minas eidem fecerint, aut eamdem vapulaverint causâ matrimonii ineundi.

Imo quod refert Elias Lahalle de absoluta parentum Aloysiae voluntate, ut haec uni Ernesto Prêtot nuberet, nec ulli alii, falsum ipsa Aloysia demonstrat et comprobat. Etenim ait: plurimas habui matrimonii occasiones, sed haec pergrata erat familiae meae. Quod monialis Lahalle de Aloysiae relatu prorsus confirmat.

Sed, prosequitur defensor vinculi, et alia est contradictio, quam ipsemet mulieris patronus admittit, circa nempe confugium in domum Lahalle, quod Aloysia a Bertha Lahalle sollicitasse dicit, dum haec id prorsus ignorare fatetur. Nec refert actricem post depositionem se correxisse; nec, iuxta vinculi defensorem, serio dici potest hanc correctionem contigisse ante ipsius Berthae Lahalle excussionem. Siquidem epistola, qua Aloysia narratum emendat, est sine die et sine consule.

Cum itaque mendax inventa sit Aloysia in hac enarranda circumstantia, fidelis ac verax haberi non potest, quoad alia quae ipsa ad eumdem effectum recinit, ac praesertim quoad ea quae evenerunt, paucis ante nuptias hebdomadibus, in aedibus maritimae Praefecturae Lorienti dum agebantur choreae. Ait namque actrix se constanter ab Ernesti amplexibus tunc effugisse, et officiali De l'Escaille, hodie vita functo, fugam fictumque raptum proposuisse. At vero, praeter reliqua, inverosimile primum est Ernestum Prêtot, qui

huius matrimonii ardore non aestuabat, ipsa actrice fatente, tantam passum esse pacifice iniuriam, et ad ducendam Aloysiam adhuc fuisse proclivem. Insuper testis de hac re defunctus adducitur, idest nullus testis. Quapropter magnificata quoque haec circumstantia utpote nullo argumento innixa et in se ipsa inverosimilis, reiicienda nulloque in calculo habenda est.

Sicut reiici et e limine iudicii expungi debet quod Elias Lahalle et iudex Ayrault enarrant, nempe Aloysiam, quadam die Ernesto Prêtot scripsisse, ut recederet, et a matrimonio secum conciliando desisteret; quam rem ipsi dicunt se ab eomet Aloysiae patre novisse, qui et addebat Aloysiae litteras se intercepisse. Etenim Aloysiae pater, cuius auctoritas invocatur, vita functus est, sicut cessit e vita et mulier Dubotiez, ad quam quoque saepius tum pars, tum testes appellant. Siquidem haec defunctorum invocatio suspicionum expers non est.

Post haec quoad fletum et Aloysiae lacrymas in actu nuptiarum defensor vinculi notat, Mariam Ouzille dicere: Missae tantum adfui; et tamen praecedenter haec enarraverat, quod mane diei matrimonii totum diripuit ornatum suum et flevit Aloysia ceu mihi retulit noverca. Quae amussim convenire cum praecedentibus non videntur; nam ibi asseritur uni nuptiarum ritui testem adstitisse, atque idcirco eius praesentia in sponsae domo, summo mane, exornationis tempore, excluditur.

De cetero, addit defensor; hanc passam violentiam et coactam Aloysiae acquiescentiam repugnare cum eiusdem Aloysiae indole, testante moniali Lahalle, quod ipsa haud erat timida, sed ad proprium talentum agebat in domo sua; et fatente ipsamet Aloysia, quod maxima parentum bonitas eam educaverat ad vitae genus omnino diversum.

Porro cum Barbosa *vot. 77 n. 47* notat defensor quod « ad hoc ut metus cadat in constantem virum et ideo sit ad matrimonium irritandum sufficiens quinque requiruntur conditiones. *Prima* est quod malum, quod timetur, grave

sit, idest magni mali. *Secunda*, ut timens non vane leviterque credat illud malum sibi imminere, sed probabiliter et rationabiliter. *Tertia* ut metum incutiens sit potens minas exequutioni mandare. *Quarta* ut metum incutiens minas exequi solitus sit. *Quinta* et ultima, ut non possit timens de facili occurrere malis quae timentur, nempe implorando auxilium alicuius, vel superiorem consulendo. »

Accedit diuturnum mulieris cum viro contubernium, quod necessitati vel praecisae parentum voluntati tribui non potest; nam constat Aloysiam singulis annis identidem ad parentes suos convolasse, diuque apud eos commorari consuevisse; ac tandem patrem omnia disposuisse ad amicabilem inter sponsos divisionem parandam.

Nec fidendum est actricis religioni, quippe quae facto suo, ex civili foedere cum officiali Geoffroy inito, ostendit quanto divinae et ecclesiasticae legis spretu laboret. Nec testium depositioni standum videtur, quippe quia pauci sunt numero, et unus inter eos, cui maxime fidendum foret, monialis nempe Bertha Lahalle, fatetur in pluribus se nihil scire; cui suffragatur etiam hodiernus parochus loci, et quia insuper omnes favorabiles sunt, nullusque reprobatorius inductus habetur, atque ex propositis unus, nempe domina James de Bellerroy, excussus non est, prorsusque omissus, licet ab actrice indicatus quidem fuisset.

His animadversis propositum fuit dirimendum

Dubium

An sententia curiae archiepiscopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognita sub die 4 Maii 1889 censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex quibus colliges: I. Quod metus causâ gestum est ratum haberi non posse; quia magis pati, quam agere convincitur qui sub vi, aut sub metu aliquid promittit.

II. Ideo Ecclesiae aequitatem consulere vim aut metum patientibus in nuptiis ineundis, nullum declarando ab initio consensum praestitum in contractu matrimonii; quia matrimonium semel validum amplius dissolvi non posset, et individui libertas laederetur, et iniuriam passus nullum remedium haberet.

III. Hinc providam vere dici legem, quae haud respicit an vim passus *ore* aut *corde* consenserit, sed nullum et inanem declarat ab initio eiusmodi consensum in tutelam humanae libertatis.

IV. Verum non omnem metum inficere consensum contrahentium; sed tantum quando malum quod timetur sit grave in se et certo immineat, non laevi aestimatione, sed certitudine morali.

V. In themate malum in se grave constituere comminationem electionis e paterna domo, et detrusionis in monasterium puellae duodevigenti annorum, factam a parentibus obstinati ingenii et imperiosi animi.

VI. Reverentialem metum minis, saevitiis aut importunis parentum precibus iunctum, nullum reddere consensum in matrimonio; quia velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini.

VII. Gravitatem timoris oriri ex natura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum, qui eas passi dicuntur.

EX S. C. EPISC. ET REGULARIUM

ASCULANA PICENI seu FIRMANA

IURIUM CONFRATERNITATUM

Die 15 Martii 1889.

Compendium facti. Decreto diei 13 Ianuarii 1776 Rñus Leonardi Episcopus Asculanus, in illa urbe Confraternitatem sub titulo B. Mariae Virginis in Caelum Assumptae erexit; eamque, ad Confratrum preces, in sodalitium SSñi Cordis Iesu, alio decreto 17 Augusti eiusdem anni, immutavit, iuxta regulas ac statuta Archiconfraternitatis Urbis Romae, ad hoc ut Officiales et Confratres indulgentias a summis Pontificibus concessas lucrari valerent.

Citato decreto diei 13 Ianuarii Episcopus statuit, ut Officiales a Confratribus electi ab Episcopo pro tempore confirmarentur – *Officiales a Nobis et successoribus Nostris confirmandos eligendi.* –

Altero vero diei 17 Augusti voluit, ut firma remanerent iura episcopalia et parochialia quae in superiori decreto reservata fuerant: « Firmis quoque permanentibus iuribus omnibus episcopalibus et parochialibus, ceterisque aliis in superioribus nostris literis contentis et expressis et reservatis, quoad reliqua statutis, Ordinationibus et Constitutionibus typis impressis pro venerabili Archiconfraternitate Urbis emanatis et confirmatis, etc. »

Recentioribus temporibus, seu anno 1879 quidam Eleucadius Natali, qui in anteactis annis carcerarii munus exercuerat, bis petiit ut inter eiusdem sodalitii fratres connumeraretur; sed ipsius preces bis reiectae fuerunt. Verum precibus tertio repetitis, per suffragiorum pluralitatem tam secreto, quam generali Consilio tandem admissus fuit. Et licet Confratres, qui Eleucadio adversabantur, pro viribus sustinerent ipsius electionem, utpote irregularem, nullam fuisse;

nihilominus anno sequenti Eleucadius inter Confratres supranumerarios cooptatus fuit.

Rebus sic stantibus, quidam Canonicus Ambrosi, irrequisito sodalitii Priore, ad Archiconfraternitatem Urbis Romae convolavit, et enumeratis irregularitatibus, quae iuxta ipsius opinionem, in electione Eleucadii occurrerant, ipsam Archiconfraternitatem de sua sententia circa dictam electionem requisivit.

Accepto libello, Archiconfraternitas Romana votum Eleucadio favorabile dedit per suum Priorem, qui imo Episcopo Asculano suggerebat, ut Canonicum Ambrosi eiusque Confratres poenis multaret, quas contra rebelles sodalitii Constitutiones praescribunt, quoties acquiescere noluissent.

Ad haec, Curia Episcopalis rem componere studuit; sed inutili et perdito labore; quandoquidem Confrater Formica, tunc temporis Prior, non modo non acquievit Curiae praescriptionibus, sed eo audaciae pervenit, ut aperte denegaverit Episcopo absolutam auctoritatem supra sodalitium competere, et quatuor Confratrum suffragio fretus, Eleucadium a Confratrum albo expungere non dubitaverit.

Res utut ad Eleucadii aures pervenit, illico Ordinario recursum fecit, qui oratori suasit, ut ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium contra Prioris agendi rationem preces porrigeret.

Eleucadii libellus pro *informatione et voto* ad Episcopum missus fuit, qui enumeratis pluribus irregularitatibus et actibus arbitrariis non modo contra Eleucadium, verum etiam contra alios Confratres et Officiales patratis, decretum ab H. S. C. implorabat, quo Prioris Formica acta nulla declararentur, ideoque Confratres et Officiales ad sua officia exercenda restituerentur; ipse Formica et Canonicus Ambrosi a Confratrum albo delerentur, vel sin minus incapaces renuntiarentur ad numerum officialium pertinendi; Episcopo supra sodalitium ius competere; tandem ut novorum officialium electio differretur et interea Confraternitatis gubernium Assistenti concrederetur.

Verum S. H. C. omnibus perpensis, e re sua esse censuit, propter temporis angustiam, in tali negotio sese non immiscere; hinc statuta die ad Prioris et Officialium electionem deventum est; quae tamen ab irregularitatibus haud immunis fuisse videtur.

Qua de re die 17 Iunii 1883 Episcopus totum negotium ad H. S. C. denuo remisit, enixis precibus expostulans, ut rem quantocius definire dignaretur.

Novis Episcopi precibus acceptis, S. H. C. die 30 Iunii eiusdem anni respondit opportunius esse, ut Episcopus ipsemet quaestionem definiret iuxta Const. Clementis VIII quae incipit *Quaecumque* et statuta atque decreta synodalia, prae oculis quoque habitis decretis in Confraternitatis erectione anno 1776 ab Episcopo Leonardi editis.

Hoc responsum haud arrisit Episcopo, qui idcirco aliquantulum supersedere satius esse iudicavit. Verum manu tangens sodalitii res in dies in pessum ruere; suae Dioecesis Vicario generali indixit, ut mox citatum H. S. C. rescriptum diei 30 Iunii 1883 executioni demandaret.

Episcopi mandata Vicarius generalis faciens, praemissis quae de iure praemittenda erant, in Consilio generali diei 29 Iunii 1884, antequam ad novi Prioris et Officialium electionem procederetur, decretum edidit, vi cuius Eleucadius inter Confratres iterum connumeratus fuit; Confratres Ambrosi et Plebani per tres annos a voce tum activa tum passiva suspensi fuerunt; Confrater vero Formica a sodalium catalogo expunctus fuit. Praecepit insuper ut electiones protraherenter usque dum notum fuisset, quinam essent Confratres, quibus eligendi ius competeret.

Ab huiusmodi decreto illico appellatum simulque petitum fuit, ut causa apud S. Congregationem avocaretur, ex eo quod Curia episcopalis, iudicium ferre haud valebat super negotio, cuius magna pars fuerat.

Hoc habito libello, die 13 Iulii 1884 Archiepiscopo Firmano iussum fuit, ut causam Ipse, ceu primae instantiae iudex definiret. Quod mandatum die 14 Aprilis 1885 eidem reno-

vatum et iniunctum fuit, ut sine mora processum institueret eumque perduceret usque ad pronuntiationem sententiae.

Curia Archiepiscopalis Firmana, quatuor sodalium qui in iudicio sistebant, deductionibus auditis et flocci faciens nonnullas protestationes ab ipsis contra eiusdem Curiae agendi rationem exhibitas, die 21 Septembris 1886 definitivam sententiam decreto Curiae Asculanae fere in omnibus propitiam pronuntiavit.

Huiusmodi sententia interesse habentibus notificata, ex parte quatuor sodalium alter recursus ad H. S. C. porrectus fuit, quae, Archiepiscopo Firmano praecepit, ut, una cum tabulis processualibus, definitivam sententiam ad eandem S. Congregationem transmitteret; ut controversia supremo Eñorum Patrum iudicio subiiceretur.

Disceptatio Synoptica

Quae quatuor sodalibus favent. Quatuor sodalium patronus, ut sententiae Curiae Archiepiscopalis Firmanae impugnet, relata lacinia eiusdem partis dispositivae, quae sic se habet: « Ven. Confraternitas SS. Cordis Iesu Asculi Pi» ceni, uti ceterae eiusdem civitatis Confraternitates, facul» tatem habet iura exercendi, et opera explendi a propriis » Constitutionibus statuta, dependenter tamen ab auctoritate » ecclesiastica » asserit huiusmodi principium, utpote nimis latum et extensum, a veritate abhorrere.

Hoc ut probet, ait quod § 5 Constitutionis Clementis VIII, quae incipit *Quaecumque*, praescribit quidem ad Episcopi ius spectare Confraternitatum statuta approbandi, mutandi vel corrigendi; sed ita intelligendum esse subdit, ut hoc ab Episcopo semel peracto, in Confratrum potestate sit, intra limites ipsis praescriptos, agendi independenter ab Episcopo.

Quo posito, patronus sustinet Confratres cuiuscumque sodalitii immunes ab auctoritate ecclesiastica habendos esse, quoties eorum resolutiones negotia ipsius sodalitii intima respiciunt, et indirecte tantum cum pietatis operibus conne-

ctuntur, quae ad statutorum tramitem ab ipsis explenda sunt.

Hinc Confratribus plenam libertatem atque independentiam ab Episcopi auctoritate indulgendam esse circa media eligenda, quae ad finis consecutionem conducunt, negotia Confraternitatis intima respicientis; cum hoc religioni indifferens atque innocuum sit.

E contra, quoties Confraternitatum decisiones pietatis et religionis opera directe pertingunt, officium Episcopi esse curare, ut huiusmodi opera non damno sed religionis bono compleantur.

Hanc esse doctrinam subdit, quam S. H. O. pluries tradidit, praesertim vero in una S. Angeli 2 Augusti 1581, ubi haec habentur: « *Episcopus potest visitare Confraternitates cum usu saccorum, non solum in propriis oratoriis, sed etiam in Regularium Ecclesiis, in his quae respiciunt administrationem et adimplementum onerum, vel relationem habeant ad Confratres.* » Cui concinit Derthonen. 22 Martii 1604. In Castellanet. vero 19 Novembris 1603 praescribitur quod Episcopus se immiscere non valeat in bonorum Confraternitatum administratione, *dum illa non dilapidant.* Quod si in Ragusina 1 Aprilis 1596 et aliis statuitur, quod Ordinarius Confratrum conventibus interesse valeat; huiusmodi potestas hisce verbis limitatur, scilicet *dummodo non faciat moritates.* Imo in Veliterna 13 Iunii 1879 additur: *quin tamen suffragium ferre valeat.*

Ex mox citatis patronus deducit allegatam paragraphum sententiae Archiepiscopalis atque sequentem, nempe *Episcopo competit iurisdictio non modo circa res religiosas vel legata pia, sed etiam in his, quae administrationem vel disciplinam respiciunt,* utpote nimis extensas et quavis coarctatione destitutas, distinctioni superius expositae non respondere, ideoque respuendas esse.

Hinc urget illegitimum habendum esse decretum Episcopi Asculani diei 3 Iulii 1882, quo sanare praesumpsit suppositas vel veras irregularitates, quae legitimae admissioni

Eleucadii Natali obstarent; quandoquidem huiusmodi decreto Episcopus rebus sese immiscuit, quae a libera Confratrum potestate dependent.

Post haec, patronus agendi rationem Prioris Formica defendendam suscipit, pro viribus sustinens suspensionis poenam Officialibus Cantalamessa, Saladini atque Ferrari ad tramitem iuris ab ipso inflictam fuisse, ac idcirco iustam et validam esse.

Ipse revera perpendit agendi rationem Prioris in themate neque irregularem, neque rebellem auctoritati dioecesanae dici posse; ex eo quod Confraternitatis statuta Priori facultatem tribuunt Confratres puniendi eosque suspendendi. In casu vero optimas adfuisse rationes suspensionis poenâ praedictos Confratres plectendi; praecipue vero comitem Saladini, ex eo quia in Consilio 28 Iulii 1882 ausus fuerat, Prioris subsignationi declarationem subiicere Confraternitatis iurium quam maxime laesivam: et allegat adagium: *extra territorium ius dicenti impune non paretur.*

Ex paritate rationis existimat a quavis reitatis labe Priorem immunem fuisse, tum cum Episcopi praescriptionibus executionem dare renuit, quibus ipsi mandabatur, ut sodalitii electiones protraherentur. Hoc siquidem pii sodalitii exclusivae competentiae esse affirmat, cum de re agatur, quae eiusdem sodalitii intimam et rectam agendi rationem respicit.

Relate vero ad electionem in fratrem Eleucadii Natali eam, ob ipsius qualitates atque aetatem, invalidam fuisse arbitratur.

Invalidam quidem praeprimis fuisse ob viri qualitates, quia sodalitii regulae in capite II praescribunt inter Confratres eos tantummodo recipiendos esse, qui ob gradus conditionem vel vitae genus spectabiles sint. Porro *carcerarii* qualitas, etiam in eo, qui hoc officium sancte exercet, quandam levem notam relinquit, quae nullo annorum fluxu unquam deletur.

Invalidam deinde electionem fuisse urget ob aetatem, quia

Eleucadius Natali 55 annos a statutis praescriptos iam superaverat, tum cum inter Confratres adscriptus fuerat.

Verumtamen aliam quoque nullitatis rationem patronus in eo reperit, quod scilicet in Eleucadii Natali electione observata haud fuerunt, quae Regula in capite III circa Confratrum electionem statuit.

Sane Regula in dicto capite exigit, ut inter Fratres adscribendus sodalitii Priorem praeprimis adeat, ut ab ipso moneatur de iis omnibus, quae observare debet: ut supplicem libellum deinde porrigat, in quo nomen, cognomen atque patria postulantis describantur, et insuper fratris oblati nomen significetur, cui ipse notus est; ut Novitiorum magister de ipsius qualitatibus inquirat ac in Consilio secreto prudenter referat. Quod si habitae informationes favorabiles sunt, dictus supplex libellus tribus diebus festivis in choro publicetur, ad hoc ut Confratres, si impedimentum aliquod adesse cognoscant, de eo Priorem secreto admonere valeant. – Hisce omnibus peractis, inter Fratres connumerabitur, quoties in Consilio tam secreto, quam generali suffragiorum pluralitatem obtinuerit –.

Iamvero patronus inquit huiusmodi praescriptiones in Eleucadii Natali electione observatas haud fuisse; quandoquidem ipsius supplex libellus occulte lectus fuit. Unde concludit, ipsius electionem, utpote ex improviso et per vim peractam, nullam, invalidam et quovis firmitatis robore destitutam renunciandam esse, sive eius substantia, sive forma inspiciatur.

Quod de Natali electionis nullitate dictum fuit, idipsum de Curiae episcopalis decreto diei 3 Iulii 1882 asserendum esse urget; tum quia absque partis contradictorio editum fuit, tum quia etiam hoc decreto sodalitatis statuta correcta fuerunt.

Probat praeprimis decretum nullum fuisse utpote absque contradictorio prolatum, quia iuxta communem DD. sententiam iudicium circa fratrum elegibilitatis vel inelegibilitatis controversias veri pocessus normis proferendum est, Bassi

De Sodalitiis quaest. IV, n. 6, Franc. *De Cathedral. cap. 27*; Cortial. *decis. 143, n. 24* aliique.

Ipsius nullitatem secundo loco evincit ex eo, quod per ipsum sodalitii statuta correcta fuerunt, quae utpote ab ipsa S. Sede iam approbata, Episcopus corrigere non poterat; ceu tradunt Bassi *op. cit. cap. IV*; Ferraris voc. *Confraternitas*.

Verum, dato etiam quod speculative loquendo, sit in Episcopi potestate statuta a S. Sede approbata corrigere, in themate haud potuisse contendit, quia Episcopus occasionem corrigendi statuta a casu particulari arripuit: quod unius Summi Pontificis proprium est.

Quod si citatum diei 3 Iulii decretum vim non habebat electionem Natali confirmandi, eo minus hanc vim inesse subdit resolutionibus Consilii tum secreti diei 27 Decembris 1879, tum generalis diei sequentis; quandoquidem huiusmodi resolutionibus statutis derogatum est. Quod sodalitii Regulae contrarium est, quae in Cap. XVIII Officialibus, Consilium secretum constituentibus, prohibet, quominus aliquid praecipiant, quod eidem Regulae adversetur; et praeterea praescribit, ut modificationes in tribus Consiliis secretis approbatae sint et in uno generali confirmatae, ad hoc ut vim habeant.

Constito autem in facto quod Eleucadius Natali in fratrem legitime cooptatus haud fuerit, patronus existimat ab Episcopali Curia frustra et iniuria questus moveri, ex eo quod eiusdem Natali nomen ab albo sodalium deletum fuerit.

Tandem patronus pro aris et focis sustinet sententiam Curiae asculanae nullam recensendam esse pro ea parte, qua electio officialium, die 10 Iunii 1883 peracta, invalida declaratur; siquidem, iuxta sententiam haud infimae notae Doctorum, approbatio huiusmodi electionis ex parte auctoritatis dioecesanae non modo non est necessaria, sed positive excluditur; de Luca *disc. 31, n. 24;* Bassi *loc. cit. etc.*

Hisce tum in facto, tum in iure perpensis, patronus postulat ut S. H. C. decernat:

1. Sodalitium SSmi Cordis Iesu in Urbe Asculana ere-

ctum ab auctoritate dioecesana independens esse, tam in negotiis sodalitii intimis et propriis pertractandis, quam in fratribus et officialibus eligendis.

2. Eidem sodalitio facultatem competere iura exercendi et opera a Constitutionibus statuta explendi, quin auctoritas ecclesiastica sese opponere valeat.

3. Curiae Episcopali potestatem haud competere impediendi, quominus sodalitium iura exequatur, et munera sodalitio inhaerentia adimpleat; et eidem Curiae ius tantum inesse, iuxta allegatas Constitutiones, iurisdictionem exercendi in rebus religiosis, vel quae legata pia pertingunt.

4. Agendi rationem Prioris Formica Constitutionibus conformem fuisse, in iis omnibus quae egit tam relate ad sodalitium et Confratres, quam relate ad auctoritatem ecclesiasticam; et resolutiones in Consiliis captas legitimas et regulares fuisse.

5. Legitimas et validas pariter fuisse electionem in Priorem Confratris Aloisii Odoardi et Officialium, quae die 10 Iunii 1883 locum obtinuit, et resolutiones captas eo tempore, quo ipse Odoardi sodalitio praeerat.

6. Recursus Curiae Episcopali Asculanae porrectos iniustos fuisse; et illegitimas habendas esse praescriptiones, inhibitoria et mandata eiusdem Curiae contra sodalitatis moderatores et in praeiudicium ipsius sodalitatis editas.

7. Eleucadium Natali incapacem esse, ut inter Confratres sodalitatis SSmi Cordis Iesu adscribatur.

8. Tandem Curiae Episcopali Asculanae onus incumbere damna et expensas omnes persolvendi.

Quae quatuor Confratribus adversantur. Favore Curiae Episcopalis perpensum fuit, quod Episcopus Asculanus Leonardi, Confraternitatem SSmi Cordis Iesu erigendo iuxta Constit. fel. rec. Clementis VIII quae incipit «*Quaecumque*», sibi et suis successoribus ius reservavit statuta approbandi, Officiales confirmandi; et insuper iura omnia tum episcopalia tum parochialia sarta tecta esse voluit.

Animadversum praeterea fuit quod Episcopus Confrater-

nitatem asculanam Archiconfraternitati Urbis Romae aggregando, in vigorem revocavit id quod in superius citato erectionis decreto statuerat, praescribens quod, in reliquis, Confraternitas statutis se subiiceret pro Ven. Archiconfraternitate Urbis Romae tunc approbatis.

Ex quo sequitur, quod totum illud quod Cardinalis Vicarius in decreto erectionis Archiconfraternitatis almae Urbis suae auctoritati ordinariae reservaverat, reservatum intelligebatur Episcopo asculano relate ad Confraternitatem Asculi institutam.

Iamvero, cum ex facto constet quod Cardinalis Vicarius suo erectionis decreto, sibi ius reservaverit Archiconfraternitatis Romanae statuta, si opus esset, *in melius mutandi, reformandi, ampliandi* etc., et praeterea decreverit, ut praedicta Archiconfraternitas ipsius visitationi ac iurisdictioni ordinariae et suorum successorum in perpetuum omnino subiaceret; sponte sua fluit haec eadem iura Asculanis Episcopis pro tempore reservata esse debere.

Ideoque actuali Episcopo Asculano ius competere statuta suae Confraternitatis, quoties necessitas et utilitas id exigat, in melius mutandi, reformandi, ampliandi etc., nec non ipsam Confraternitatem visitationi ac suae iurisdictioni ordinariae subiiciendi.

Nec diversam esse doctrinam H. S. C. quae in pluribus resolutionibus tradidit, quod « Episcopus potest visitare Con» fraternitates cum usu saccorum non solum in propriis ora» toriis, sed etiam in regularium ecclesiis, in his quae re» spiciunt administrationem et adimplementum onerum, *rel* » *relationem habent ad Confratres.* »

Porro in praesenti casu cum controversia inter Confratres exorta esset, Episcopus e re sua esse duxit eam, obtruncare, declarando validam fuisse Fratris electionem, qui suffragiorum pluralitate in Consilio tam secreto, quam generali, ad normam Confraternitatis Constitutionum, idoneus renunciatus fuerat.

Hinc decretum diei 3 Iulii 1882 nihil aliud fuisse quam

actum iurisdictionis ordinariae quo Episcopus, contra paucos Fratres rebelles, in pleno firmitatis robore manuteneri voluit Confraternitatis statuta, quae in Cap. 3 mandant, ut in fratrem cooptetur vir ille, qui in ambobus Consiliis suffragiorum pluralitatem obtinuerit.

Quin obiicere iuvet, iuxta statuta, Eleucadium Natali in fratrem recipi non potuisse tam ob carcerarii officium, quod antea exercuerat, quam ex eo quod 55 annos iam superaverat. Huic siquidem difficultati occurri posse videtur, animadvertendo non ad singulos Confratres, sed ad auctoritatem ecclesiasticam et ad Consilia tum secreta, tum generalia ius spectare, iudicium ferendi super significatione quae statutis tribui debet.

Cum itaque tam auctoritas ecclesiastica, quam ambo Consilia Eleucadium Natali eligi posse declaraverint; ceteris Confratribus nihil aliud superesse, quam ut ipsum in fratrem reciperent; idque in obsequium tum praedictae auctoritatis, tum regularum, quae obedientiam, humilitatem, silentium et paupertatem a Confratribus omnibus exigunt.

Quod si statuta requirunt in fratres recipiendos esse, qui ob gradus et ministerii qualitatem praestantes sunt; id intelligendum esse de tempore quo admittuntur, vel quo Confratres adhuc sunt, quin respectus ad praeteritum habeatur; quandoquidem in statutis de huiusmodi tempore mentio nulla fit.

Quod statuta, quoad hunc punctum, aliter accipienda haud sint, ideoque Eleucadium Natali iure electum fuisse, confirmant epistolae tum Principis Chigi, tum Rmi Paulini Carlucci, ambo Ven. Archiconfraternitatis SSmi Cordis Iesu Urbis Romae priores, qui ad rem sciscitati, responsum pro validitate electionis dederunt, addentes poenas contra rebelles a statutis praescriptas adhibendas quoque esse.

Quo vero ad alteram difficultatem ab aetate deductam observatum fuit, hanc regulis praefixam haud fuisse, quae ab Episcopo Leonardi approbatae fuerunt; sed posterius statutam fuisse in quibusdam statutorum mutationibus a Romana

Archiconfraternitate peractis, quae, saltem pro hac parte, ab Episcopo Asculano approbatae haud fuisse videntur: siquidem plures alii, etsi annos 55 praetergressi essent, admissi fuerunt, quin aliqua adnotatio vel oppositio ad rem facta fuisset.

Relate ad Archiepiscopi Firmani sententiam, hanc iustam fuisse etiam pro ea parte, qua a censura et suspensione fratres Cantalamessa, comes Saladini, et Ferrari absoluti fuerunt, ex facto probatum videtur, quod ii, contra ea quae praescribuntur in statutis ad Caput XIX, absque praevia monitione, et ratione sufficienti suspensi fuerunt. Idque manifestum erumpit ex dictis quatuor Confratrum patroni, qui datae suspensionis poenae hanc adducit rationem, scilicet quod ii auctoritati ecclesiasticae contra Priorem et Fratres Priori adhaerentes recursum porrexerant.

Tandem quod Episcopus ius habeat confirmandi officiales, nullatenus dubitare sinit decretum, quo Episcopus Leonardi Confraternitatem erexit, ubi ad rem haec leguntur: ... *ac officiales a Nobis ac successoribus Nostris confirmandos.*

Idipsum confirmatur a S. C. C. quae in *Asculana diei 3 Maii 1725*, dubio « *An liceat Rmo Episcopo removere officiales et ministros a Confratribus electos, quatenus non sint idonei et graves exceptiones patiantur* » respondere censuit: *Affirmative.*

Hinc nulla esse videntur Consilia omnia sive secreta, sive generalia a die 26 Augusti 1882 habita; nec non electio in priorem Marchionis A. Odoardi, ceu a sententia Curiae Archiepiscopalis definitum fuit.

Ex dictis pariter consequi Archiepiscopalem sententiam confirmandam esse etiam pro ea parte, qua decretum fuit ut frater Formica ab Albo sodalium deleretur.

Hisce pro utraque parte expositis, Eñi Patres rogati fuerunt ut dirimere dignarentur sequens

Dubium

An et quomodo sententia Curiae Archiepiscopalis Firmanae confirmanda vel infirmanda sit in casu.

Resolutio. Sacra Congregatio EE. et RR. in plenario conventu diei 27 Iulii 1888 rescriptum edidit: *Ad mentem:* et mens erat, quod Archiepiscopus Firmanus una cum Asculano Episcopo, utpote de personis interesse habentibus ac de controversia instructi, rem pacifice componere curarent.

Conaminibus in irritum cessis Archiepiscopus Firmanus et Asculanus Episcopus schema conciliationis et responsum negativum Confratrum, seu melius Prioris Odoardi ad II. S. C. remiserunt.

Quibus acceptis, sub die 21 Decembris anni 1888 controversia in plenario Eñorum Patrum conventu, sub dubio superius excripto, denuo proposita fuit. Et Eñi Patres, spe freti quod res de bono et aequo componi posset, rescribere censuerunt: *Dilata et ad mentem: mens est:* Archiepiscopus firmanus actoribus indicet, ut in termino 10 dierum schema conciliationis tam ab Ipso quam ab Episcopo asculano propositum *pure et simpliciter* acceptum habeant. Et casu quo Confratres obtemperare recusent, S. Congregatio causam *in statu et terminis* reproponet, et sententiam ad normam iuris pronuntiabit.

Verum, cum hac quoque vice Archiepiscopi conamina optatum exitum obtinere haud potuissent, causa iterum, sub dubio super enunciato, sapientissimo Eñorum Patrum iudicio proposita fuit.

Resolutio. S. Congregatio EE. et RR. omnibus mature perpensis, sub die 15 Martii 1889 propositum dubium sequenti responso dimittere censuit: *Sententiam Curiae archiepiscopalis firmanae esse confirmandam et amplius.*

Ex quibus colliges: I. Extensionem iurisdictionis quam Episcopus super sodalitiis suae Dioecesis exercet, ex decreto institutionis seu erectionis dimetiendam esse.

II. Nihilominus ex iure facultatem ipsi competere eadem sodalitia visitandi non solum in propriis oratoriis, sed etiam in regularium ecclesiis, in his quae respiciunt administrationem et adimplementum onerum, vel relationem habent ad Confratres.

III. Ipsi ius quoque inesse removendi Officiales et Ministros a Confratribus electos, quatenus non sint idonei et graves exceptiones patiantur.

IV. In themate sententia Curiae archiepiscopalis firmanae in omnibus confirmata fuisse videtur, quia Episcopus asculanus, in actu erectionis Confraternitatis, omnia iura sibi reservavit, quae Cardinalis Vicarius relate ad Archiconfraternitatem SSmi Cordis Iesu Urbis Romae habet, cui Confraternitas Asculana aggregata est.

V. Huiusmodi vero iura consistere in facultate statuta in melius mutandi, reformandi, ampliandi, et ipsam Archiconfraternitatem suae ordinariae visitationi ac iurisdictioni et suorum successorum in perpetuum subiiciendi.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

ORATIO
AD SANCTUM IOSEPHUM

Ad te, beate Ioseph, in tribulatione nostra confugimus, atque, implorato Sponsae tuae sanctissimae auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quaesumus, quae te cum immaculata Virgine Dei Genitrice coniunxit, caritatem, perque paternum, quo Puerum Iesum amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad haereditatem, quam Iesus Christus acquisivit sanguine suo, benignius

ORAZIONE
A SAN GIUSEPPE

A te, o beato Giuseppe, *stretti dalla tribolazione ricorriamo, e fiduciosi invochiamo il tuo patrocinio dopo quello della tua Santissima Sposa.*

Deh per quel sacro vincolo di carità, che ti strinse all'Immacolata Vergine Madre di Dio, e per l'amore paterno che portasti al fanciullo Gesù, riguarda, te ne preghiamo, con occhio benigno la cara eredità che Gesù Cristo acqui-

respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras.

Tuere, o Custos providentissime divinae Familiae, Iesu Christi sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem, propitius nobis, sospitator fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e caelo adesto; et sicut olim Puerum Iesum e summo eripuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende: nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in caelis beatitudinem assequi possimus. — Amen.

stò col suo sangue, e col tuo potere ed aiuto sovvieni ai nostri bisogni.

Proteggi, o provido Custode della divina Famiglia, l'eletta prole di Gesù Cristo; cessa da noi, o Padre amantissimo, cotesta peste di errori e di vizii, che ammorba il mondo; ci assisti propizio dal cielo in questa lotta col potere delle tenebre, o nostro fortissimo Protettore; e come un tempo campasti dalla morte la minacciata vita del pargoletto Gesù, così ora difendi la santa Chiesa di Dio dalle ostili insidie e da ogni avversità: e stendi ognora sopra ciascun di noi il tuo patrocinio, acciocchè a tuo esempio, e mercè il tuo soccorso, possiamo virtuosamente vivere, piamente morire, e conseguire l'eterna beatitudine in cielo. E così sia.

Qui per mensem octobrem in recitatione publica *Rosarii* orationem supra scriptam adiunxerint, iis Sanctissimus D. N. Leo PP. XIII indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concedit. (Epist. Encycl. *Quamquam pluries*, die 15 Augusti 1889). (1)

(1) Adest haec epistola hoc Vol. XXII, 65.

APPENDIX II.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

RUTHENEN.

Inter Dubia a Rmo Episcopo Ruthenen. Sacrae Rituum Congregationi novissime proposita, quorum aliqua utpote iam alias resoluta praetermissa fuerunt, insequentia habebantur, nimirum:

Dubium I. Quaenam sub nomine Dominicae infra Octavam veniunt ex duabus Dominicis, quarum una, idest die ipso Festi habentis Octavam, altera in die Octava? Et quatenus neutra ex iis habenda sit pro vera et propria Dominica infra Octavam, quot Orationes, et qualis Praefatio eisdem Missae de Dominica erunt assignandae, cum in aliquibus Ecclesiis Regularium vi propriae Rubricae aut ex concessione Apostolica Conventualis celebratur praefata Missa de Dominica, praeter alteram conventualem de Festo aut de die Octavae?

Dubium II. Num in Missa conventuali de feriis Quadragesimae, vel de Vigilia, aut Quatuor temporum, aut Rogationum etc. quae in Ecclesiis Cathedralibus et Regularium celebratur post Nonam, occurrenti Festo saltem adiungi possit et debeat 1°. collecta imperata pro vivis ex. gr. Ecclesiae, vel pro Papa, etiam in casu festi I. Classis? 2°. Collecta pro Defuncto sive imperata, sive ad libitum etiam Sacerdotis celebrantis, ita ut iis in casibus attendatur solummodo qualitati Missae, minime vero ad ritum festivitatis diei?

Dubium III. Iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 13 Augusti 1701 in una Ordinis Eremitarum s. Augustini, qui privatim celebrat de Simplici vel reassumit Missam Dominicae praecedentis in Feria secunda vel prima die mensis non impedita, tenetur ne dicere secundam Orationem *Fidelium* tam in Missa Conventuali quam in ceteris privatis haud exceptis Missis de Feria aut de Vigilia?

Dubium IV. Utrum Collecta pro particulari defuncto imperata ab Ordinario ex. gr. pro Papa aut Episcopo defuncto, maiori gaudeat privilegio, ac Collecta pro defuncto, quae ad libitum celebrantis permittitur in Missis privatis ad mentem Decreti diei 2 Decembris 1864 in una Ord. Canonicorum Regularium Lateranen. N. 6, ita ut Collecta imperata dicenda sit etiam in Missa conventuali iis saltem diebus quibus vi praelaudati Decreti Collecta funeralis permittitur ad libitum in

Missis privatis et etiam in quacumque Missa pro vivis quae plures aut duas saltem ex se Orationes admittat?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, hisce Dubiis accurato examine perpensis, post auditam sententiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare censuit:

Ad I. Quoad primam partem, neutri convenire; quoad secundam, ut in Missali cum Praefatione de Trinitate.

Ad II. Affirmative ad utramque partem.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative.

Atque ita declaravit, ac rescripsit. Die 25 Augusti 1882.

VICARIATUS APOSTOLICI BOMBEYEN. SEPTENTRIONALIS.

In Vicariatu Apostolico Bombeyen. Septentrionali nonnulli Missionarii curam parochialem exercent in pluribus simul Oppidis valde dissitis, in quorum uno tantum regulariter resident. In aliquibus illis locis Ecclesiae benedictae habentur, ad quas christianae Communitates tamquam tot Parochiae pertinent. Quum Dubium exinde ortum sit: utrum Missionarius pluribus illis Ecclesiis adscriptus, dum in una tantum proprie residet, teneatur ad celebrandum officium Titularium omnium illarum Ecclesiarum, idque sub ritu duplici I. classis cum octava? hodiernus Rm̃us Vicarius Apostolicus huiusmodi dubii declarationem a S. R. C. humillime expetivit. Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re accurate perpensa sic rescribere rata est: Negative, attentis peculiaribus circumstantiis, sed tantum Ecclesiae, apud quam residere solet, vel digniori. Atque ita rescripsit. Die 25 Augusti 1882.

ARGENTINEN.

Rm̃e uti Frater, exponens A. T. in plerisque Germaniae Dioecesibus decisiones Sacrae Apostolicae Sedis circa approbationem Litaniarum ab Ordinariis, speciatim Monitum Sacrae huius Rituum Congregationis sub die 16 Iunii 1880 latum variis diversisque interpretationibus explicari, ab eadem Sacra Congregatione nonnullis propositis quaestionibus seu dubiis authenticam hac super re declarationem expetivit. Sacra porro Rituum Congregatio propositis ab ipsa A. T. quaestionibus accurate expensis, in sequenti unico responso satisfaciendum duxit, videlicet: Monitum de quo agitur, respicere Litanias in liturgicis et publicis Functionibus recitandas; posse vero immo teneri Ordinarios alias, seu novas Litanias examinare, et quatenus expedire iudicaverint

approbare; at nonnisi pro privata atque extraliturgica recitatione.

Romae die 29 Octobris 1882.

Rmo Dno uti Fratri Episcopo Argentinen.

ADIACEN.

Quum a S. Rituum Congregatione Rmus D. Paulus Matthaeus de la Festa Episcopus Adiacen. declarari petierit: An tolerari possit Canonicos quoscumque sive in Cathedrali sive in aliis Ecclesiis uti, iuxta veterem Dioeceseos consuetudinem, Rochetto, Mozzetta, et Stola supra Mozzettam in administratione Sacramentorum, in benedictione domorum, quae fit in Sabbato Sancto, nec non in aliis benedictionibus, processionibus, et associationibus funerum gallice *convois funèbres?*

Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare rata est: Negative iuxta Decreta praesertim in Valentinen. die 23 Maii 1836 (1): in Ambianen. 31 Augusti 1867 (2) et in Viterbien. die 23 Maii 1846 (3). Atque ita declaravit. Die 25 Septembris 1882.

(1) VALENTINEN. Sacerdos Spiritus Gustavus Iouve Canonicus, et Eleemosynarius Episcopi Valentinensis quaerit 1. Utrum teneatur ferre super habitu chorali Stolam, quando assistentiam praestat Episcopo, dum in Oratorio privato, aut alibi Missam celebrat: in hypothesi vero negativa, quaerit 2. Utrum sibi liceat, absque violatione Rubricarum, Stolam ferre in casibus supradictis? Et Sacra Rituum Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subsignati Secretarii, respondendum censuit.

Ad 1. « Negative. »

Ad 2. « Obstant Decreta. » Die 12. Mart. 1836.

(2) AMBIANEN. relata fuit Vol. IV. Acta s. Sedis pag. 62.

(3) VITERBIEN. Etsi in Litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis a sa. me. Benedicto Papa XIV. usque ab anno 1740. Capitulo, seu Canonicorum Collegio Parochialis Ecclesiae Civitatis Vetrallae intra fines Dioecesis Viterbien. indultum fuerit, ut Canonici ipsi in ecclesiasticis Functionibus intra propriam Ecclesiam, et dum collegialiter incedunt, licite ac libere gestare valeant Rochettum cum suis manicis, et Mozzettam violacei coloris; attamen decursu temporis in huiusmodi Insignium usu nonnulli irrepsere abusus, queis ut occurratur aliqui ex memoratae Collegiatae Parochialis Ecclesiae Canonici Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuere, nimirum:

1. An, ea stante in Bulla Benedicti XIV. verborum clausula, *Dum collegialiter incedunt*, Archipresbyter Vetrallensis, aut quisquam ex Canonicis seiunctus a Collegio, et separatim agens tam intra Collegiatam Ecclesiam, quam extra, Rochetti, et Mozzettae usu gaudeat?

2. An eo gaudere Archipresbyter unus putandus sit, ex eo quod primus est inter aequales, non obstante quod Bulla mentionen eius rei singularis nullam faciat?

3. An Archipresbyter, vel Canonicus in genere Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, aliaque administraturus, tam in Ecclesia Collegiata, quam extra inducre sibi possit Choralia Insignia praedicta, desuper imposita Stola? et, quatenus ne-

DUBLINEN.

Anno 1851 a S. Sede concessum fuit universo Hiberniae Regno Officium Puritatis Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici maiori, recolendum Dominica prima post Kalendas Maii non impedita, officio duplici. Quum vero dubitetur an Festum hoc considerandum sit tamquam Festum occurrens, adeoque celebrandum infra Octavam Corporis Christi, si eo tempore occurrat prima Dominica, potius quam tamquam Festum translatum, ideoque post Octavam transferendum; Emus et Rmus D. Card. Eduardus Mac-Cabe Archiepiscopus Dublinen. a Sacra R. C. huiusmodi Dubii declarationem expetivit.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Ma-

gative, an Superpelliceo, et Stola tantum in Sacramentorum, et Sacramentalium omnium perfunctione rite uti teneatur?

4. An forsan uni Archipresbytero propter personam, quam gerit Parochi, liceat Rochetto, Mozzetta, et Stola induto Sacramenta in Paroecia sua administrare?

5. An uti valeat ea Veste in benedictione domorum, quae fit in Sabbato Sancto?

6. An in associatione funeris sive in sua, sive in aliena Paroecia?

7. An in associatione funeris una cum toto Collegio Canonicorum?

8. An in publicis Supplicationibus, quum Archipresbyter coniunctim cum Capitulo incedit?

9. An habitus ullus sit, qui rite competat Archipresbytero, si adstat benedictioni Matrimonii, quod administrat alius Sacerdos ab eo deputatus, et in casu an sit Rochettum, Mozzetta, et Stola?

10. An Archipresbyter vel Canonicus rite adhibeat choralia Insignia, et desuper impositam Stolam in Concione, et quatenus negative, an uti possit Rochetto, Superpelliceo et Stola?

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum subsignata die in ordinario Coetu coadunata, referente me subscripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, iuxta alias Decreta respondendum censuit.

Ad 1. « Posse intra Collegiatam, extra illam non posse. »

Ad 2. « Negative. »

Ad 3. « Negative, et servandum Decretum alias editum. »

Ad 4. « Negative, sed tantum in casu cum Rochetto et Superpelliceo. »

Ad 5. « Negative. »

Ad 6. « Negative. »

Ad 7. « Affirmative, si incedat sine Stola. »

Ad 8. « Ut ad proximum. »

Ad 9. « Semper in casu sine Stola, et cum habitu chorali in propria Ecclesia tantum. »

Ad 10. « Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam, si adsit consuetudo. »

Atque ita rescripsit, servarique mandavit.

Die 23 Maii 1846.

gistris, declarare rata est: Festum in casu considerandum tamquam occurrens. Atque ita declaravit. Die 25 Septembris 1882.

NIVERNEN.

Rmus D. Stephanus Antonius Alfridus Lelong Episcopus Nivernen. divini cultus decorem, et sacrae liturgiae exactiorem observantiam promovere satagens, nonnulla animadvertit, quae Sacrae Rituum Congregationi exponenda duxit ad opportunas solutiones concessionesque obtinendas, videlicet:

I. Ex quadam ordinatione ab uno e suis Praedecessoribus edita, nec non et alicuius Indulti minus recta interpretatione, quindecim ab hinc annis invaluit usus solemniores SSmi Eucharistiae Sacramenti Expositiones inchoandi Missae lectae celebratione, Missamque solemnem aut cantatam postea coram SSmo Sacramento iam exposito celebrandi, eo nimirum fine, ut numerosiores huic secundae Missae tardioribus horis celebratae Fideles adesse valeant.

Postulavit itaque idem Rmus Episcopus iuxta votum proxime habitae suae Synodi, ut praxis exposita servari licite valeat, ut in una De Nicaragua diei 27 Septembris 1864 saltem toleratum legitur.

II. In nonnullis Ecclesiis, aut publicis Communitatum Oratoriis, etsi deinceps Expositio tota nocte sequenti perdurata sit, horis serotinis deponitur SSm̃um Eucharistiae Sacramentum, ut solemnis benedictio Fidelibus confluentibus impertiatur, iterumque exponitur usque ad crastinam diem, qua minus solemnis fit depositio ante vel post Missam lectam. Hisce positis Rm̃us Orator expetivit, ut talis consuetudo licite servari possit.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris hisce postulatis, sic rescribendum rata est:

Ad I. Expositam consuetudinem tolerari posse facto verbo cum SSm̃o.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 25 Septembris 1882.

Facta itaque per eumdem Secretarium relatione SSm̃o D. N. Leoni Papae XIII Rescripti Sacrae ipsius Congregationis quoad primum postulatum; Sanctitas Sua illius resolutionem approbare, et ratam habere dignata est die 28 eodem mense et anno.

CIVITATIS CASTELLI.

Rm̃us D. Ioseph Moreschi hodiernus Episcopus Civitatis Castelli, quae sequuntur Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit:

In Kalendario sibi commissae Dioeceseos non iscribitur Festum Titulare singularum Paroeciarum, quae sunt numero 160 sub com-

petenti ritu, ita ut non omnes Parochi exacte respectivum officium persolvant, praesertim quoad Octavam, haud transferendo Officium, quod incidit tum in diem Festi, tum in diem Octavae Titularis ipsius. Insuper cum adsint plures Paroeciae in eodem loco, Ecclesia matrix praeter Titulare habet etiam Festum Patroni, quod aliquibus in locis celebratur sub duplici praecepto. Sunt etiam aliquae Paroeciae Civitates sive Oppida ut aiunt *Capoluoghi* spectante extra Dioecesim sita, paeculiari suo Patrono praedita; et nonnullae ad duas distinctas Civitates vel Oppida, immo Fideles unius Paroeciae ad tres Civitates vel Oppida pertinent. Porro harum neque Ecclesiarum Rectores umquam Festum sancti Patroni extradioecesani, neque Fideles sub duplici praecepto eadem celebrarunt.

Quibus expositis idem Rmus Orator insequentia postulata eidem Sacrae Congregationi subiecit:

I. Quid agendum quoties Festum Titulare concurrat cum duplici primae classis aut cum Dominica privilegiata vel Adventus, vel Quadragesimae?

II. Quaeritur an in die Octava Festi Titularis fieri tantum sufficiat simplex Commemoratio Octavae, ne Festum occurrens omitti debeat, siquidem plurima habeantur Festa in Kalendario Dioecesano inscripta?

III. An et quomodo transferri possit Officium Festi die Sancti Titularis, ob defectum Semiduplicium, ac Feriarum in Kalendario?

IV. Num in Ecclesia matrici tantum, vel etiam in ceteris celebrandum sit Festum Patronale Locorum?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus rite expensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. et III. Satis provisum per tabellam occurrentiae.

Ad II. Consulatur Rubrica Breviarii de Octavis.

Ad IV. Negative ad primam partem: affirmative ad secundam, dummodo agatur de Patronis proprie dictis, et in sensu liturgico; ac serventur Decreta.

Atque ita rescripsit. Die 25 Septembris 1882.

ANNECIEN.

Exoptans Rmus Aloisius Isoard Episcopus Annecien. ut ea omnia quae ad sacram liturgiam spectant in sibi credita Dioecesi rite usquequaque peragantur, Sacram Rituum Congregationem adivit ab ea insequentium Dubiorum declarationem humillime expostulans, videlicet:

Dubium I. Quum Expositio, et Repositio SSmi Sacramenti fit immediate ante, et post Missam, seu Officium, ita ut celebrans eiusque ministri ab altari non recedant, licetne retinere Conopoeum et altaris paramenta coloris quem exigit

Officium diei, praesertim cum non ita facile sit ea tunc temporis immutare?

Dubium II. Sacerdos extraneus celebrans in Oratorio nec stricte publico, nec stricte privato, qualia sunt Oratoria erecta in Seminariis, Hospitalibus et Domibus religiosis, quae ingressum non habent in publico, debetne quoad Missam, et colorem Paramentorum sese gerere eodem modo ac si celebraret in Ecclesia, an potius non aliter ac si celebraret in Oratorio stricte privato?

Sacra vero eadem Congregatio, exquisito voto alterius Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii S. C. R. propositis Dubiis accurate perpensis sic rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Debere se conformare Kalendario Dioecesano, nisi Oratorium sit hac in re privilegiatum.

Atque ita rescripsit, declaravit. Die 1 Decembris 1882.

POLICASTREN.

A Rmo D. Iosepho Maria Cione Episcopo Policastren. insequentia Dubia enodanda Sacrae Rituum Congregationi proposita sunt, nimirum:

Quum in consecrandis altaribus ex declaratione Sacrae Congregationis in una Sancti Flori diei 9. Februarii 1807. Pontifex bina Crucis signa dextero pollice oleo Catechumenorum inuncto, facere debeat supra quinque partes a Pontificali Romano praescriptas, quumque ab eodem Pontificali (ut de Patenae et Calicis consecratione) praecipiatur a Pontifice signandam esse pollice sancto Chrismate peruncto patenam ab ora in oram, et calicem a labio in labium, quaeritur:

Dubium I. In consecratione Patenae et Calicis debet ne Pontifex pollice sancto Chrismate inuncto binas cruces vel unam tantum signare super patenam et calicem, interim dicens *Consecretur et sanctificetur?*

Dubium II. Et quatenus affirmative ad primam partem, possunt ne haberi valide consecrati calices cum patenis, super quibus unum tantum crucis signum cum pollice impressum fuit?

Dubium III. Et quatenus negative ad secundam, invalidae censendae ne sunt Sacrorum Ministrorum ordinationes, in quibus Calices cum patenis haud valide ut supra consecrati adhibiti sunt?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce Dubiis accurate perpensis respondendum censuit:

Ad I. Affirmative ad I. partem; Negative ad II.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit. Die 1 Decembris 1882.

CEPHALUDEN.

Hodiernus Superior Confraternitatis a SSmo Crucifixo nuncupatae in loco vulgo *Lascaris* existentis infra fines Dioeceseos Cephaluden. Sacrae Rituum Congregationi exposuit Confraternitatem sub titulo B. Mariae Virginis de Monte Carmelo ibidem mense Aprili Anni 1881 fuisse institutam, ac deinde mense Septembris eiusdem anni supradictam quae a SSmo Crucifixo nomen mutuatur. Quum nuper contentio inter utramque orta sit quoad praecedentiam in Processionibus habendam, quoniam haec postremo a suo titulo, altera a prioritate institutionis huiusmodi praecedentiae honorem sibi vindicat, ab ipsa Sacra Congregatione idem superior humillime percontatus est: cuinam ex duabus praefatis sodalitatibus ius spectet alteram praecedendi in sacris Processionibus?

Sacra eadem Congregatio referente subscripto Secretario re rite expensa, auditaque sententia Rmi Episcopi Cephaluden. de informatione, et voto requisiti, declarandum censuit: Praecedentiam in casu spectare ad Confraternitatem sub titulo B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, et ita ut haec ante Clerum in processionibus incedere possit, prout iam ab Episcopo decretum fuerat. Atque ita declaravit, ac rescripsit. Die 1 Decembris 1882.

NESQUALIEN.

Iuxta Decreta Sacrae Rituum Congregationis vetitum est in Exequiis et Missis cantatis de Requie nigro panno, et pallio eiusdem coloris ornare altare in quo asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum. Quum vero in nonnullis locis Dioecesis Nesqualien. idem Sanctissimum Sacramentum asservetur vel in maiori altari Ecclesiae, vel in unico altari, aliis deficientibus, hodiernus eiusdem Dioeceseos Episcopus ab eadem Sacra Congregatione exquisivit: Utrum prohibitio de qua supra respiciat Altare, ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum extra tempus, quo illud exponitur, et in Ecclesiis ubi huiusmodi Altare maius vel unicum est?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, sic declarare censuit: In casu tum sacri Tabernaculi Conopoeum, tum Pallium Altaris esse debent violacei coloris. Atque ita declaravit, ac rescripsit. Die 1 Decembris 1882.

ROMANA.

Quum in Collegiata et Parochiali Ecclesia sub titulo Sanctorum Celsi et Iuliani in Urbe die 22 Iulii celebretur Festum S. Mariae Magdalenae Poenitentis ritu duplici maiori ob insignem eius Reliquiam, et subsequenti die 23 S. Liborii Episcopi et Confessoris sub eodem

ritu duplici maiori pariter ob insignem ipsius Reliquiam; Rmus D. Ioannes Baptista Annibali praefatae Ecclesiae hodiernus Archipresbyter a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii declarationem humillime exquisivit, nimirum: An Vesperae diei 22 fieri debeant de antecedente cum commemoratione S. Liborii, vel potius de S. Liborio cum commemoratione S. Mariae Magdalenae?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem infrascripti Secretarii, re accurate perpensa, sic decernere rata est: In casu Vesperas esse dimidiandas iuxta Rubricam tit. XI. de concurrentia Officii N. 2. Atque ita decrevit. Die 1 Decembris 1882.

VICENTINA.

Ab hodierno Rmo Episcopo Vicentino Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione duae insequentes liturgicae quaestiones propositae fuerunt, nimirum:

I. Cum etiam post Constitutionem Pii Papae VII. *Decet. Rom. Pontif.* 4 Iulii 1823, S. Rit. Congr. declaraverit posse servari immemorabilem consuetudinen, ut Canonico solemniter celebranti assistat praeter sacros ministros Diaconum et Subdiaconum, unus Presbyter cum pluviali; dubitatur an hic presbyter se gerere possit more Presbyteri assistentis Episcopo solemniter celebranti, prouti tradunt Bauldry aliique veteres Rubricistae, an vero debeat assistere dumtaxat ad librum, prout absque pluviali et cum superpelliceo tantum Rubricae Missalis permittunt in ritu celebrandi Missam Cap. VII. n. 11 et Cap. VIII n. 8.?

Ratio dubitandi est, quia praedicta constitutione quam cognoscere nequibant Bauldry, aliique veteres Rubricistae, vetitum est omnino Canonicis adhibere ritus, et caeremonias Episcoporum proprias absque speciali Apostolicae Sedis indulto non obstantibus quavis firmitate roboratis consuetudinibus, et quia usus Presbyteri assistentis ritu pontificali est expresse interdictus Canonicis n. 16 Decreti per praedictam Constitutionem confirmati, quemadmodum interdictus est etiam ipsis Protonotariis Apostolicis ad instar Participantium nuncupatis n. 15 Decreti per Constitutionem Pii Papae IX *Apostolicae Sedis Officium* confirmati die 29 Augusti 1872.

II. An in prima Missa novi Sacerdotis eamdem solemniter celebrantis assistere possit praeter Sacros Ministros, ut supra, unus Presbyter cum Pluviali, non obstantibus decretis Sacrae Rituum Congregationis ac praesertim Decreto diei 15 Martii 1721 in Pistorien. quo huiusmodi abusus in Missa solemni cuiuscumque simplicis Sacerdotis omnino interdictus est. Ratio dubitandi est quia nonnulli conten-

dunt id permitti recentiori Decreto diei 11 Martii 1837 in Mathelicen. quo (aiunt ipsi) prohibitae sunt tantum aliquae actiones huius Presbyteri assistentis cum pluviali novo Sacerdoti, veluti aspersio aquae benedictae ante Missam, gestatio stolae subtus pluviale, ministratio patenae ad fidelium Communionem, incensatio celebrantis facienda loco diaconi etc. sed non est prohibita assistentia ipsius Presbyteri cum Pluviali.

Sacra vero Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, referente infrascripto Secretario, sic declarare rata est:

Ad I. Negative ad primam partem; ad secundam partem, ubi sit consuetudo immemorabilis posse cum pluviali assistere ad librum.

Ad II. Posse tolerari, dummodo assistat tantum ad librum.

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 1 Decembris 1882.

SOCIETATIS IESU.

Quum Rev. P. Ioannes Maria Cybeo e Societate Iesu Missionarius in Brasilia a S. Rituum Congregatione postulaverit, ut sibi ceterisque illius regionis Missionariis Palmas benedicere liceret extra tempus Paschale, quas fideles Missionariis tradere solent benedicendas, idque iuxta peculiarem formulam a se propositam; Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii his precibus ita annuendum censuit, ut adhibeatur formula quae in Appendice Ritualis Romani adnotatur pro benedictione cuiuscumque rei, seu ad omnia. Die 5 Decembris 1882.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BALNEOREGIEN.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS
ET ABSOLUTIONIS

Die 16 Februarii 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Sacerdos Dominicus Pacifici e loco *grotte S. Stefano* supremis tabulis, quibus anno 1850 decessit, bona sua haeredibus legavit, sub lege ne unquam venderent, aut dividerent haereditatem suam; et cum onere recitationis rosarii pro mortuis qualibet hebdomada in Ecclesia paroeciali, et recitationis missae cum cantu quotannis die 25 Iulii in perpetuum in dicta Ecclesia.

Sex parva praediola, quae tunc valoris 6684 libellarum aestimata sunt, haereditarium axem conflabant; sed, ut ait Episcopus, unus ex his fundis, cuius pretium est circa libellar. 500, transivit ad personam tertiam, titulo legati, a testatore ipso relicti. In cetera, anno 1883, successit familia Fulvi, quae oratrix adstat in causa, et exponit, se, quando haereditatem adiit, magnum aes alienum in eam inscriptum invenisse, aliasque molestias; ita ut opus fuerit, ut libera redderetur, et vendere ex parte et lites agere; quo factum est ut haereditas imminuta valde sit, et ad 3000 libellarum reducta, ut referunt oratores; vel ad 5000 circiter, ut Ordinarius potius censet. Ait enim duo supersunt fundi pro haeredibus; quorum alter valoris L. 4111, 40, alter L. 949, 93. Quae diversitas forte ex diversa aestimatione, hic catastali, illic reali methodo facta derivare potest.

Oratores post haec narrant, se ideo ultimis hisce annis ab onerum satisfactione abstinuisse, et hac de causa, cum conscientiae stimulo angantur, postulant absolutionem de praeterito tam super venditione quam super omissione pio-

rum operum praescriptorum, ac praeterea reductionem onerum in futurum ad unam vel duas missas lectas.

Parochus loci rogatus respondit: congruum esse ut petitioni annuatur, quum rosarium pro defunctis amplius recitari non possit ex defectu Sacerdotum. Quod tamen non intelligitur; nam non deest in loco parochus, vel alius sacerdos qui parvum hoc opus, aliquo stipendio certe auctum, singulis secundis feriis exantlare possit.

Episcopus vero opinatur, quod ob sacerdotum inopiam, illo in loco, concedatur commutatio rosarii pro mortuis et missae cum cantu in aliquas missas lectas, quolibet anno in perpetuum; hac tamen sub conditione, ut hoc onus imponeretur oratoribus in solidum.

Disceptatio Synoptica

Quin verba fierent de sanctissima lege quae iubet sartas tectasque servari pias fidelium voluntates, et vicissim de potestate, quam habet Ecclesia eas in casibus necessitatis evidentisque utilitatis commutandi, hoc unum in themate animadversum fuit, ex vi maiori, bona legata esse imminuta. Certum enim est, praediola ab initio legata sex fuisse, ex quibus unum, ipso Episcopo testante, tertiae personae cessit, cetera aeris alieni et litis causa divendita sunt; nec superesse oratoribus nisi duo; quae utrum 3000 libellarum, ut oratores aiunt, vel potius 5000, ceu Episcopus autumat, aestimentur non refert; cum ceteroquin constet, sortem esse valde imminutam.

Porro aequitas suadet ut imminuantur onera, saltem ex gratia, si redditus sint valde imminuti. « Siquidem, ut docet Fagnanus in *cap. Ex parte n. 2 De const.*, fructus oneribus respondere debent ». Quod vel maxime obtinet, ubi diminutio ob calamitates vel publica tributa, prout in casu contigit, S. C. C. in *Mazarien. Reduct. miss.* 11 Iulii 1846.

At nihilominus cum recitatio rosarii pro mortuis semel in hebdomada, et annua celebratio unius missae solemnis adeo

parvum onus sit, quod non videatur excedere vires superstantis haereditatis, remissum fuit EE. Patribus decernere utrum preces viderentur gratiâ dignae.

Quibus adnotatis, quaesitum fuit quomodo essent preces dimittendae.

Resolutio. Sacra Cong. C. re visa sub die 16 Februarii 1889 censuit respondere: *Pro gratiâ absolutionis quoad praeteritum, celebratis tribus missis; quoad futurum pro gratiâ commutationis missae cum cantu in tres missas lectas, et recitationis parvae coronae in recitationem bis in mense; libellis quingentis Episcopo datis, ab eodem caute investiendis pro implemento legati in perpetuum, facto verbo cum SSmo.*

NEAPOLITANA (1).

CONCURSUS

Die 4 Maii 1889.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

Compendium Facti. Die 11 Octobris 1886 vacata, ex morte, parochiali ecclesia S. Mariae Gratiarum in Monte Sancto, eius oeconomus curatus electus fuit sacerdos Ioseph Contarini, qui una simul cum sacerdotibus Adamo Oriente et Salvatore Ciliberti ad concursum se obtulit, quod fuit celebratum die 21 Martii 1887.

At Ioseph Contarini, eo quod homiliam in textu evangelii non peregit iuxta schema doctrinae quod ad explanandum illum Evangelii locum propositum fuerat, sed sub alio respectu, nec approbationis nec reprobationis dignus est habitus, sed reiectus ab examinandorum albo. Ciliberti approbatus fuit; sed unus Adam Oriente inter omnes concurrentes mansit electus.

(1) Confer quoad concursuum materiam Vol. VII, 340, 467; XI, 131 nota in calce; XIII, 119; XV, 370; XVII, 542, 597; XIX, 295.

Conquestus de hac re sacerdos Contarini, sed vagis promissionibus diu pastus ac detentus, moras nexuit, nec ante diem 27 Aprilis sequentis anni 1888 ad S. Sedem contra malam examinatorum relationem appellavit.

Patronum sibi adlegit sacerdos Contarini, qui allegationem suam typis impressam rite exaravit. Huic accedunt duo ab eomet Contarini confecta opuscula. Sed consultor omnia quae ad rem pertinent, brevi ac dilucide exposuit, adeo ut in eius voto eminenter contineantur ea ipsa quae Contarini patronus in clientis favorem concinnavit.

Et ideo ex officio animadversum tantum fuit quod contra actorem et pro curia et parocho investito facere videtur, nempe appellationem a mala relatione examinatorum vel ab irrationabili iudicio Episcopi intra decem dies proponi unice posse. Ita quidem expresse Clemens XI ap. lit. *Quo parochiales* 10 Ianuarii 1721, relatis et confirmatis a Benedicto XIV ap. aliis lit. *Cum illud:* « Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei qui magis idoneus ac dignior iudicatus fuerit ecclesia parochiali, non admittitur appellatio aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi nisi intra 10 dies a die collationis interponatur. »

Porro appellatio sacerdotis Contarini diu post collationem beneficii videtur interposita. Siquidem post annum et amplius ab examine peracto signata est.

Utrum tamen parcendum sit huic formae defectui, vel ex causae iustitia, vel eo quod si moras nexuit Contarini, nec formalem appellationem intra decendium interposuit, hoc ideo evenit quia pastus fuerat spe, cito per aliam viam decori ac iustitiae provisum iri, remissum fuit definire EE. PP. discretioni aequitatique.

Disceptatio Synoptica.

Votum Consultoris. Antequam cetera inspiciamus, ait Consultor, duo hic inquirenda veniunt, scilicet 1. an revera sit de essentia concursus ut conciuncula exaretur proposito

evangelico textui accommodata, idque sub poena nullitatis concursus? 2. an revera ad factum quod spectat, R. D. Ioseph Contarini conciunculam non exaraverit iuxta propositum textum evangelicum?

Consultor ideo quaesivit: I. An in concursibus ad vacantes Ecclesias parochiales, conciuncula ita absolute et substantialiter necessaria sit, ut, ea omissa, vel non exarata iuxta evangelicum propositum textum, per hoc solum, concursus utpote irritus et nullus habendus sit?

Et in primis fateor, ait, me semper in ea opinione fuisse, quod nullimode requiratur in parochis, ut expeditam habeant Dei Verbi praedicandi facultatem, cum neque explicite, neque implicite hoc in ipsis requiratur a Tridentino.

Et quidem, quod Tridentinum explicite non requirat in parochis expeditam Dei verbi praedicandi facultatem ex eiusdem verbis apertissime deducitur. Quoties enim loquitur Concilium de examine subeundo a concurrentibus ad vacantes paroecias, toties idoneitatem experiendam dicit quoad aetatem, mores, doctrinam, prudentiam, aliaque ad vacantem ecclesiam gubernandam opportuna, nullo speciali facto verbo de idoneitate ad praedicandum evangelium Christi.

Scio equidem Concilium Tridentinum requirere, ut parochi diebus, saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis; *Sess. 5. De refor. c. 2.* Scio pariter non deesse auctores, et quidem gravissimos, qui docent, parochos, nisi fuerint legitime impediti, teneri id praestare per seipsos, ita ut graviter suo muneri deficerent si per annum id aliis committerent.

At quomodo haec intelligenda sint explicant provincialia illa Concilia, quae statim post Tridentinum celebrata fuerunt eo praesertim fine, ut quae a sacrosancta synodo sancita fuerant in praxim redigerentur.

Hinc examini subdit Concilium Provinciale mediolanense 1. in quo, praeside s. Carolo Borromeo, post prolatum Concilii Tridentini decretum de concionibus a parochis habendis,

ita patres loquuntur: « Si qui autem propter inscitiam id praestare non poterunt, ad peritos confugiant, quorum auxilium implorantes vel homilias sibi praescriptas, vel latinos sermones auctoris ab Ecclesia recepti in vulgarem linguam conversos, approbatos tamen ab Ordinario, aut memoriter aut de scripto pronuntient. Id autem tamdiu fiet quoad liber homiliarius ad hunc curatorum usum metropolitani cura prodibit in lucem. » *Part. I. c. VI.* Nec alia est mens Concilii Biturcensis, celebrati an. 1584 dum tit. III, can. II haec statuit, videlicet. « Provideant Episcopi ut parochialium Ecclesiarum rectores verbum Dei praedicent populo singulis diebus Dominicis. . . . et si per ipsos concionari non possint aut memoriter recitent, aut saltem legant homilias vernacula lingua, quae ipsis ab Episcopo praescribentur. »

Mediolanensi et Biturcensi consonat et quidem verbis vel maxime explicitis Concilium Burdigalense dum ait: « Sed quoniam plerique parochi minus apti sunt, idcirco statuimus ut singuli aliquem librum lingua gallica editum, a Nobis et rr. Coepiscopis approbatum penes se habeant, ut eo in pronis uti possint, donec a nobis homiliarius liber publicetur. Praecipimus autem omnibus parochis, quicumque tandem fuerint, ut editis in lucem illis homiliis et concionibus ex scripto in pronis recitent diebus dominicis et festis homiliam, officio diei propriam et accommodatam ». *Cap. XX.*

Quinimo et parochis praecipitur, ut omnino se abstineant a veris concionibus habendis, *nisi expresse ad hoc examinati, per Episcopum in scriptis fuerint approbati:* sed statuitur, ut loquantur, ad populi aedificationem vel faciendo *pronum iuxta ritum ab Episcopo praescribendum*, uti vult *Conc. Narbonense cap. 32* vel seligendo *Patrum homilias*, ut statuit Conc. aquense de parochis, vel adhibendo *Romanum Cathechismum*, ut insinuat Conc. Romanum de parochis, vel non omittendo *instructionis formulam legi solitam* ut docet Conc. Ebredunense *cap. V.* Unde Benedictus XIV in sua *Notificazione X*, haec habet: « Crediamo

non essere i parrochi obbligati a far predica formale, ma bensì una *parlata* domestica, ed adatta alla capacità del popolo. . . . »

Quam quidem sententiam clarius expressam invenimus in Conciliis Turonensi, Cameracensi, et Rhemensi dum aiunt: « In pronis. . . orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum fidei, confessionis methodum, sacramentorum numerum. . . . lingua vernacula populo declarent; *Conc. Turon. c. 14.* Quod si minus docti fuerint. . . . sint contenti simplici doctrina Ecclesiae, hortenturque plebem ad timorem Domini; *Conc. Camer.* § *V, c. 3.* Curiones potissimum doceant quae scire omnibus necessarium est ad salutem. Quod si ad hoc minus ipsi fuerint idonei vocent quam saepissime poterunt, qui sibi eam operam impendant. » *Conc. Rhem. Stat. II.*

Neque hoc satis fuit Concilio Narbonensi et Burdigalensi, quae insuper statuerunt, ut parochi, quos sumpserint sermones ex patrum homiliis mittere teneantur, singulis mensibus, Episcopis, *in propriae capacitatis testimonium.*

Stat igitur quod consultor asserit neque implicite neque explicite probari posse ex Tridentino, quod parochi teneantur expeditam possidere Dei verbi praedicandi facultatem ; cum conciones illas, ad quas tenentur pro plebis aedificatione, assumere possint, imo et quandoque debeant, ex Patrum homiliis, vel ex probatis auctoribus, easque vel memoriter recitare, vel etiam ex scripto pronuntiare. Quae omnia fieri possunt etiam ab eo, qui nulla pollet in dicendo capacitate.

Sed dato parumper , saltem ex hodierna disciplina vel consuetudine, requiri omnino, ut parochus valeat per se ad populum verba facere, quin recursum habeat ad probatos auctores, et ad patrum homilias, ut eas vel memoriter recitet, vel ex scripto pronuntiet. Quid igitur? Etiam in hac hypothesi, nullimode probari poterit in concursibus ad vacantes paroecias conciunculam adeo necessariam esse, ut, ea omissa, nullus habeatur et irritus concursus.

Duo enim probe distinguenda sunt, scilicet concurrentis in dicendo idoneitatem probare, et illam probare per conciunculam. Primum quidem potest aliquo, etsi latissimo, sensu ex Tridentino deduci, alterum nullimode. Quoties igitur ex actis concursus iuridice probari possit concurrentis idoneitas ad praedicandum Dei verbum, toties absurdum esset, ex omissa conciuncula cassum et irritum declarare concursum.

Atqui optime et non uno, sed pluribus argumentis iuridice constare potest examinatoribus de concurrentis idoneitate ad praedicandum Dei verbum independenter a conciuncula, 1. quidem si resultet ex actis concursus, puta ex notula requisitorum, concurrentem iam fuisse per aliud speciale examen approbatum ad praedicandum Dei verbum: 2. si pateat ex eadem notula concurrentem in praedicationis munere excellere, eique pluries satisfecisse, et quidem cum laude et animarum fructu: 3. si documentis comprobetur concurrentem iam a suo Rño Ordinario alia munera obtinuisse, quibus est necessario adnexum officium praedicationis. Haec vel si horum unum verificetur, satis, superque probata manebit concurrentis idoneitas, ita ut ridiculum esset dubitare de eiusdem idoneitate tantummodo ex non exarata conciuncula.

Nec valet recursus ad encyclicas huius S. Congregationis Literas, quae prodierunt sub die 10 Ianuarii 1721, quasque confirmavit et ampliavit Benedictus XIV in sua Constitutione, quae incipit « *Cum illud* » data sub die 14 Decembris 1742. Qui enim sit huius constitutionis et harum literarum sensus, historia patefaciet, consequentes resolutiones docebunt, ac demum verborum sensus evidentissime confirmabit.

Et sane notum est hanc S. Congregationem, tum in Cassanen. *Concursus*, tum in Nucerina *Parochialis* sub die 11 Maii 1720, respondisse. - Dilata et ad mentem - mentemque fuisse « ut exquireretur an adesset modus coercendi frivolas appellationes, quae a non approbatis in concursu interponun-

tur vel a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi. » Hinc, Lambertini secretario, nonnulla prodierunt - Dubia Concursuum - optime sapienterque concinnata, inter quae illud vel maximum. « An praecipiendum ut unusquisque ex concurrentibus sermonem scribat super textu evangelii omnibus concurrentibus assignando? »

Iam vero S. C. C. in plenaria Congregatione habita die 16 Novembris 1720 ad propositum dubium respondendum censuit: - *Affirmative per modum instructionis*. Hinc approbante Clemente XI, prodierunt praecitatae illae literae, quas Benedictus XIV, confirmavit, ampliavitque in sua Constitutione *Cum illud*. Quo igitur iure conciuncula necessaria putabitur ad validitatem concursus, quando S. haec Congregatio illam proposuit *per modum instructionis?*

Si literarum verba attente perpendamus videbimus profecto S. Congregationis mentem fuisse Episcopos *hortari*, eisque methodum *proponere*, non absolute, sed ex mero consilio et suasione servandam. Dicitur enim: « S. Congregatio Concilii Tridentini interpres. . . omnes et singulos Episcopos, aliosque praelatos, penes quos sit ius et auctoritas faciendi concursum, *hortari*, ut examen eiusmodi instituere non graventur, quale iam et multae dioeceses etc. . . . . itaque. . . haec quae sequuntur ex S. Congregationis sententia, *consilio*, suasione, servanda *proponuntur*. » Iam age, qui proponit non imponit, qui suadet non iubet, qui hortatur non imperat. Et siquidem quae iussione continentur, ad substantiam pertinent; quae consilio et suasione proponuntur, ad formam tantum pertinere censenda sunt. Quae autem ad formam pertinent, substantiam non destruunt si deficiant.

Quid plura? demus conciunculam pertinere ad substantiam concursus. At undenam, quaeso, undenam deduci poterit ipsam ita necessario exarandam esse super evangelico proposito textu, ut, nisi id fiat, nullus et irritus evadat concursus?

Ni fallor, qui talia putant, argumentum desumere debent

ex sententia illa, quam protulit Sacra haec Congregatio, in Beneventana *Concursus*, diei 19 Decembris 1857. Orto enim dubio an valeret concursus, in qua conciuncula exarata non fuerit super themate ab Episcopo proposito, responsum fuit *Affirmative*. - Cuius responsionis, in discursu secretarii, haec statuitur ratio, quod concurrens conciunculam exaraverit evangelico textui maxime accommodatam. Hinc vellent nonnulli deducere quod Sacrae Congregationis responsio fuisset negativa, si concurrens neque super evangelico textu conciunculam exarasset. Ast perperam. Secretarii enim mens fuit excludere suspicionem, quod concurrens conciunculam paratam haberet; idque probat ex facto quod si conciunculam non exaravit super themate ab Episcopo proposito; exaravit tamen super evangelico textu, *qui, eo ignorante, propositus fuit*.

Hinc, ex mente secretarii, si concurrens conciunculam non exarasset super evangelico textu, non inde sequuta esset nullitas concursus, sed potius necessitas inquirendi alia argumenta ad purgandam suspicionem, quod concurrens potuerit conciunculam illam etiam ex aliena manu paratam habere, quo casu *dicendi pro concione facultas* probata non mansisset. Quae posteriora verba consulto adducenda putavi, ut magis, magisque clarescat, qui sit conciunculae finis, eiusque in concursu necessitas.

Et re sane vera cum, ex supra disputatis, parochus non teneatur formiter praedicare, nisi fuerit ad hoc specialiter ab Episcopo examinatus et approbatus; sequitur quod in concursibus ad parochiales Ecclesias conciuncula non requiratur ad hoc, ut pateat, an concurrens sciat interpretare ss. Scripturas, sed potius ad hoc ut manifestet an aliquam in dicendo capacitatem possideat; quod certe satis est, ut possit gregi suo ea quae ad salutem obtinendam scitu necessaria sunt explicare. Hoc autem probari potest per conciunculam, etiamsi non fuerit evangelico textui accommodata. Hinc Conc. mediolanense V, ad probandum - *an*, concurrentes, *sermones contexere, habereve sciant?* exigit ut *si quos*, sermones,

habuerint, dicant *unde sumpserint, aut quam illis contexendis, conscribendisve rationem adhibuerint*. Et deinde quaerendum adiungit. - *An in eo genere aliquid ex tempore possint?* et *tunc extemporaneo, brevique sermone periculum fiat quanto in concionando valeant*. At, quaeso, quis unquam ignorare poterit, aliud esse probare utrum concurrens aliquid extempore possit; et aliud exigere ut aliquid extempore faciat; ita ut nisi recte fecerit per hoc solum sit omnino reprobandus?

Equidem certo scio distinguendum esse paroeciam inter et paroeciam, praesertim quia concurrentium idoneitas non absolute probanda sit, sed relate ad vacantem Ecclesiam. Hinc etsi approbationem mereri possit pro plebana Ecclesia ille, qui aliorum scriptis indiget ad gregem instruendum; is certe approbandus non esset pro Ecclesia urbana, et multo minus pro Ecclesia cathedrali. At non sequitur ex hoc quod conciuncula sit medium unicum et absolutum ad probandam concurrentium in dicendo facultatem.

Haec enim, ut iam dixi, probari potest vel examinatorum experientiâ, vel cordatorum hominum testimonio, vel facto aliquo ab ipsa Ordinarii Curia proveniente. Quorum singula vel nonnulla si erui possint ex actis concursus, concurrentis idoneitas iuridice probata manebit, etsi vel momentanea mentis aberratione, vel involuntaria distractione, vel alia quacumque speciali causa, minus recte et minus adaequate conciuncula exarata fuerit. Hoc postremum si accidat, ad summum minuendus erit favorabilium suffragiorum numerus; ast ex hoc tantum concurrentem reiicere, praesertim si cetera omnia rite peracta fuerint, omnium esset, ni fallor, vel maxima iniustitia.

Hinc ad propositum dubium, meo quidem, sed meliori salvo aliorum iudicio, respondendum putarem: « Negative et ad mentem. Mens est quod etsi conciuncula pertineat ad formam concursus, et ab omnibus exaranda sit iuxta sensum literarum encyclicarum diei 10 Ianuarii 1721; tamen ad substantiam quod attinet, et attenta diversitate parochiarum,

sufficere si concurrentium aliqualis in dicendo facultas probetur ex actis concursus, etiam independenter a conciuncula. »

Consultor quaesivit II. An revera concursus habitus a D. Iosepho Contarini, prout in casu, nullus et irritus habendus sit, ex defectu conciunculae?

Si quae possunt adduci argumenta ad probandam alicuius concurrentis in dicendo idoneitatem, haec omnia certe reperiuntur in concursu habito a domino Contarini; eius enim in dicendo idoneitas, ex actis concursus, tripliciter demonstratur, scilicet 1. ex gravissimo praesuntionis argumento; 2. ex non suspecto aliorum testimonio; 3. ex ipsa quam in concursu exaravit, conciuncula. Ex quo fit, ut neapolitani examinatores irritum declarantes eius concursum quoad scientiam, quia homeliam haud concinnavit ad propositum textum evangelicum iniuriam vel maximam Eño Archiepiscopo, et gravamen vel maxime onerosum ipsi intulerunt concurrenti.

Et re quidem vera sciendum est dominum Contarini non se sponte praesentasse ad concursum, sed ad ipsum vocatum fuisse a suo Eño Archiepiscopo, qui insuper ipsum Dominum Contarini iam constituerat in Curatum oeconomum illius paroeciae, pro qua obtinenda ad concursum vocatus fuerat. Duplici igitur argumento Eñus Archiepiscopus recognoverat domini Contarini idoneitatem ad praedicandum Dei verbum, 1. quidem vocando ad concursum, quia ex Tridentino Episcopus vocare non debet, nisi quos idoneos putat; conferendo oeconomicam paroeciae administrationem, quo facto, ipsi praedicationis munus commisit. Neapolitani igitur examinatores irritum declarantes concursum domini Contarini eo vel quia non concinnavit homeliam iuxta evangelicum textum, iudicarunt minime idoneum fuisse, quem Eñus Archiepiscopus iam idoneum declaraverat, et aptum non esse ad praedicandum Dei verbum, illum, cui Episcopus iam praedicationis munus commiserat. Et haec sustinuit Eñus Archiepiscopus?!

Fateor equidem pro iustitia certandum esse, et iudicium ex conscientia proferendum, non obstantibus quibuscumque. At miror inibi iustitiam positam fuisse, ubi evidentissime iniustitia patet.

Et sane si parumper inspiciamus acta concursus, videbimus profecto domini Contarini in praedicando verbo Dei idoneitatem extra omnem dubitationem positam fuisse, et esse ab omnibus ponendam. Etenim ex amplissimo aliorum testimonio, quod habetur in notula requisitorum, et contra quod nulla facta fuit ab examinatoribus exceptio, evidentissime patet, dominum Contarini plurimum valere in triplici praedicationis genere, scilicet 1. in ea praedicatione, quae locum habet tempore missionum, in qua zelo et studio enituit; et quum unus esset ex missionariis s. Birgittae, 2. in praedicando verbo Dei studiosae iuventuti, cui plures per annos sermones habuit, 3. denique in concionibus ad populum praedicando magna cum laude, iuxta Iesu Christi charitatem et animarum profectum. Quo igitur iure putant examinatores minus aptum ad praedicandum Dei verbum, quem sciunt, ex actis concursus, praedicationis munus sustinuisse plures per annos cum laude magna, zelo et profectu?

Eheu! miseranda rerum conditio! Putant examinatores conciunculam a domino Contarini haud accommodatam fuisse evangelico textui, qui fuerat ab Emo Ordinario propositus. Et saltem ita esset! Sed e contra miror quomodo tale potuerint proferre iudicium. Etenim sciendum est textum propositum ab Emo Archiepiscopo desumptum fuisse ex fer. II post Dominicam IV Quadragesimae; in qua legitur evangelium Ioannis de eiectione vendentium et ementium e templo Domini.

Iam vero haec eiectio, quae nullimode confundenda est cum alia, de qua loquuntur ceteri Evangelistae, locum habuit initio praedicationis Christi. Unde bene notat Cornelius a Lapide quod Christus suam praedicationem *pie et recte et ordine congruo a religione et domo Dei ordiri voluit, ex ea eiiciendo vendentes, illam profanantes.* Hinc apostolicos

concionatores ad eamdem Christi praedicationem provocat, ut eadem faciant Christi exemplum sequentes. *(In Evang. Ioan. II, 14).*

Quid igitur dominus Contarini? Post assertam efficaciam verbi Dei, demonstrandum assumit in sua conciuncula quomodo Iesus Christus in praesenti evangelio nobis praebet praeclarum exemplum, ad docendos praecipue nos sacerdotes de ratione praedicandi cum zelo verbum Dei, praesertim ob venerationem Ecclesiae debitam.

Hinc pluribus deductis exemplis demonstrat divinum verbum a Sacerdotibus praedicatum cum zelo, fulgore potentius et melle suavius esse. Quod quidem confirmat ex eo quod bona omnia nobis provenire censenda sint ex praedicatione verbi Dei, quia verbum Dei vita est, et extra illud non est nisi mors.

Quibus positis, homines describens, qui Verbum Dei non audiunt, videtur comparationem quamdam instituere inter ipsos, et profanatores Templi Dei, ut inde deducat quod ad dissipandas humani cordis profanationes nullum aptius medium inveniatur, quam sanctum Dei verbum a Sacerdotibus praedicatum.

Quod si hoc Dei Verbum « questa santa parola » aliquando fructum non facit; id evenire asserit et probat, quia pergitur ad Ecclesiam pauca cum veneratione, et alium ob finem quam ad utilitatem capessendam: quasi nempe comparans hos christianos cum illis vendentibus, qui templum adibant non Deum adoraturi, sed templum ipsum profanaturi.

Fateor equidem haec omnia, neque concinnate, neque satis explicite, neque perfecto ordine a domino Contarini prolata fuisse. Addam insuper, si hoc cupiunt Examinatores, fieri posse ut unum vel alterum asseruerit Contarinius quin adverteret ad consonantiam illam, quae vigebat inter sua verba et evangelicum textum. At haec non probant conciunculam illam, prout in actis reperitur, non esse evangelico textui accommodatam; nescio enim, ad substantiam

quod attinet, an potuerit accommodatior exarari. Itaque cum domini Contarini in praedicando idoneitas probata maneat et quidem ex actis concursus 1. praesumptione, 2. testimonio, 3. experimento. iam patet per se ad propositum dubium esse omnino respondendum. - Negative. -

Hisce igitur sic stantibus, iam sponte sua solvenda veniunt sequentia dubia videlicet :

I. An sit locus appellationis a mala Examinatorum relatione in casu?

II. An constet de nullitate concursus in casu?

III. Quomodo providendum in casu?

Atque ad primum quod attinet, nulli dubium quod respondendum sit - Affirmative. - Constat enim de gravamine illato concurrenti, idque duplici de causa, quia scilicet errarunt examinatores in iure et in facto: in iure quidem quia putarunt conciunculam esse unicum medium substantiale ad probandam concurrentis in dicendo idoneitatem, illamque putarunt absolute exarandam fuisse super evangelico proposito textu, sub poena nullitatis concursus: in facto vero evidentissime errarunt putantes conciunculam exaratam a domino Contarini non fuisse evangelico textui accommodatam, cum tamen constet fuisse accommodatissimam.

Hinc cum gravamen certissime existat, omnis ratio expostulare videtur ut domino Contarini ius concedatur appellandi a mala examinatorum relatione, etiamsi utile tempus effluxerit a lege permissum. Ideoque ad propositum dubium respondendum censerem: praevia restitutione in integrum, affirmative.

Nec minus evidenter patet responsio ad secundum: ubi enim alicuius ius certissime violatum est, ibi actus per se nullus sit oportet. Quod quidem in casu maius pondus vel inde desumit, quod si examinatores rectum iudicium protulissent, dominus Contarini vacantem ecclesiam, cuius iam administrationem gerebat, sine dubio obtinuisset. Et sane, praetermissis etiam extraiudicialibus, quae abundant, argumentis, certum est ex actis concursus, scilicet ex notula

requisitorum et ex peractis casuum resolutionibus, quod dominus Contarini talem habere potuerat favorabilium suffragiorum numerum, ut approbatus primo loco evaderet. Hoc autem in casu, quisnam putabit Emum Archiepiscopum illum electurum non fuisse ad vacantem ecclesiam, quam ipsi iam administrandam concrediderat?

Ceterum, teste Fagnano in *cap. Eam te, n. 15,* quem adducit Benedictus XIV *De Syn. dioec. lib. IV cap. VIII n. III.* Sacra haec Congregatio sub die 2 Augusti 1607 nullum censuit concursum *si examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates prout Concilium requirit:* atqui in casu, examinatores, falso et erroneo iudicio, non retulerunt, nisi quoad sola requisita, nullo facto verbo de doctrina, saltem quoad casuum solutiones: ergo concursus tamquam irritus et nullus est omnino retinendus. Ideoque ad propositum dubium respondendum videtur: — affirmative. —

Et haec quidem relate ad primum et alterum dubium, circa quae nulla quaestio, et nulla dubitatio admitti posse videtur. At non ita cum sermo instituitur de tertio dubio, circa quod gravis exurgit et difficillima disceptatio. Quaestio enim moveri potest sub triplici respectu, unde triplex providendi modus, scilicet vel per indictionem novi examinis in curia, vel per collationem beneficii, nomine S. Sedis, in favorem domini Contarini, vel denique per compositionem quamdam inter partes, vi cuius dominus Contarini, per Eminentissimum Archiepiscopum esset aequivalenter providendus.

Et re quidem vera quoties, probato gravamine, quaestio mota est circa iudicium latum ab examinatoribus, super doctrina concurrentium; toties censuit Sacra haec Congregatio novum esse in curia examen indicendum. At, ni fallor, hoc tantum valere dicendum est, quando examinatorum iudicium simpliciter erroneum fuisse supponitur. Verum in casu contendit Contarinius Examinatores illum scienter reprobare voluisse; unde examinanda veniunt quae ab ipso adducuntur, ut prudens simul et iustum iudicium proferri possit. Atque ut ordine

procedamus, incipiamus ab iis, quae concursum praecesserunt. Itaque paucis ante concursum diebus, rumor vulgari coepit quod examinatores favebant cuidam ex concurrentibus, qui erat cum quodam canonico spirituali cognatione coniunctus. Haec cum a pluribus rescivisset dñus Contarini, Rñum adiit Vicarium generalem, ut quae vera essent certo cognosceret. Idque eo vel magis quod ipse Contarini, veluti a Curia coactus, ad concursum accedendum statuerat, cum quadam promissione beneficium obtinendi, servatis de cetero de iure servandis. Rñus Vicarius generalis rumorem vulgatum asseruit ab ipsis domini Contarini inimicis, eique iam factam promissionem iterum confirmandam putavit.

Interim, rumoribus succrescentibus, dies pervenit pro concursu designata. Adsunt concurrentes, perficiuntur casuum solutiones, exaratur de more conciuncula: et dum haec, ex loci consuetudine, exhiberi soleant obsignato concurrentis nomine, exigitur pro hac vice ut subscriptio omnibus pateat. Nec satis: etenim dum casuum solutiones et conciunculae ceterorum concurrentium subscriptae reperiuntur, prout iure statuitur, a singulis examinatoribus; tantummodo solutiones et conciuncula domini Contarini, nullas praeseferunt examinatorum subscriptiones.

Post haec, scriptorum incipit examen; et perlectis solutionibus datis a domino Contarini, vox auditur, quae exclamat: bene scripsit Contarini! Sed statim, examinata conciuncula, quae bene scripta fuerant, irrita declarantur. Sese opponit Eñus Archiepiscopus, renuunt ceteri Examinatores; sed unus ex illis propositam exclusionem sustinet, eo vel quia conciuncula exarata non fuerat super proposito evangelico textu. Res nova videtur et numquam in usum deducta. At pariter nova lex statuitur, quae ab ea ipsa die vim suam exerere debeat. Quae omnia, etsi ab uno asserta domino Contarini; tamen silente Eño Archiepiscopo, silentibus et examinatoribus Pro-Synodalibus, adeo gravia apparent, ut saltem suspicionem pariant quod examinatores scienter excludere voluerint dominum Contarini a beneficii collatione.

Nisi igitur contrarium probetur, sacrorum Canonum iustitia exigit, ut Dño Contarini beneficium conferatur nomine S. Sedis, absque ullo alio experimenti gravamine.

Quod si, attentis temporum circumstantiis, et ratione habita *R. Placiti*, quod iam retulit dominus Adamus Oriente, iudicaret haec S. Congregatio esse aliud remedium adhibendum: tunc vel lubens proponerem ut Dñus Contarini aequivalenter provideatur ab Emo ac Rmo Archiepiscopo, nullo imposito ulteriori gravamine, vel concursu.

Quibus praenotatis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

I. *An iudicium Curiae archiepiscopalis sit confirmandum vel infirmandum in casu.*

Et quatenus negative ad 1. partem, affirmative ad 2.

II. *An et quomodo providendum sit in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 4 Maii 1889 censuit respondere: *Non esse locum appellationi, et ad mentem: mens est ut scribatur Emo. Archiepiscopo, examinatores non sufficienter servasse constitutionem Benedictinam* Cum illud *quoad concurrentem Contarini.*

Ex quibus colliges. I. Ad mentem Concilii Tridentini examinatores debent renunciare quotquot idoneos repererint, praevio iudicio cumulativo super aetatem, mores, scientiam, prudentiam, aliosque requisitos ad determinatam paroeciam proficue regendam.

II. Conciunculam non pertinere ad substantiam concursus erui ex S. C. Concilii resolutionibus; per quas patet non esse imponendam per viam praecepti, sed per *modum instructionis*, ut quilibet ex concurrentibus sermonem scribat super textum evangelii.

III. Siquidem patet ex Benedicto XIV mentem esse S. Congregationis, hortari Episcopos eisque methodum proponere, quae servaretur ex mero consilio et suasione, non absolute, quoad conciunculam concinnandam ad evangelicum textum.

IV. Quamobrem si conciuncula non iubetur, sed tantum suadetur, ad formam pertinet, minime ad substantiam; ast quae ad formam pertinent, substantiam non destruunt si deficiant.

V. Ex Constit. *Cum illud* Benedicti XIV examinatores, expensis coniunctim doctrinâ aliisque requisitis, inhabiles per suffragia eiiciant, atque idoneos Episcopo renuncient.

VI. Seu, ut habet eadem Constitutio, examinatores debent *arcto foedere doctrinae consociare honestatem morum, gravitatem, prudentiam, praestita Ecclesiae servitia, omniumque virtutum ornamenta.*

VII. In themate examinatores videntur retulisse tantum quoad requisita, aliis praeteritis essentialiter a iure volitis, et ideo iudicium eorum falsum fuit, quia non fuit servata sufficienter Constit. *Cum illud.*

VIII. Posse, quatenus velit, Apostolicam sedem parcere defectui formae quoad appellationem quae interponi debet infra decem dies, si iustitia laesa fuerit.

IX. In themate praetulit respondere non esse locum appellationi, forsan ut vitarentur difficultates ex parte Gubernii, a quo alius electus iam immissus fuerat in possessionem paroeciae.

MONTISALTI

COMPOSITIONIS

Die 4 Maii 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Marchio Matthaeus Ricci-Petrocchini supplici prece exponit, publico instrumento diei 18 Ianuarii 1886 se, qua patronum, redemisse bona collegiatae Montis Elpari in dioecesi Montisalti, quae a spolio status, vulgo *Demanio,* occupata iam fuerant, diuque retenta. Praecedens enim patronus Amicus Ricci-Petrocchini socors ad id faciendum fuerat.

In hac collegiata sex erant ab initio canonici, duoque clerici coadiutores. Sex canonici hodie vita sunt functi, et duo tantummodo supersunt beneficiati, quibus itaque solvenda adhuc est ex lege vitalitia pensio, iuncto tenui quodam supplemento pro cultus expensis. Imo in adiudicatione bonorum favore patroni fiscus exegit, ut congrua cautio in schedis publici consolidatus daretur pro huius vitalitiae pensionis solutione.

Iamvero orator hodie supplex orat, ut duo beneficiati permittant eidem recuperare schedas reditus publici, loco pignoris traditas pro solutione respectivarum praestationum cultusque expensarum; dum ipse in correspectivum, onus sibi imponeret assignandi Ecclesiae s. Gregorii perpetuum reditum libellarum annualium 250, sive per census a vinculo resolutos, sive per aliam rationem, Apostolicae Sedis benevisam, idque ultra pensiones clericis debitas, eorum vita perdurante.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, et ut referret ea omnia quae ad rem erant, auditis etiam duobus beneficiatis, haec respondit:

« Ecclesiam Collegiatam Montis Elpari, de qua in adiunctis precibus Marchionis Matthaei Ricci-Petrocchini sermo est, Cardinalis Gregorius Petrocchini f. r. suis sumptibus aedificavit, ac romanorum scutatorum sex millibus (sc. 6000) dotavit. Subinde vero, accedentibus aliorum benefactorum donationibus, qui nonnulla missarum legata, nonnullasque religiosas functiones in eadem Ecclesia peragendas instituerunt, factum est, ut ipsius Ecclesiae dos usque ad libellarum triginta septem millia (L. 37, 000) excreverit. »

« Orator ad quem Ecclesiae ius patronatus pertinebat, a gubernio petiit et obtinuit, sub initio anni 1886 integrae istius dotis, quae ex bonis quibusdam immobilibus, nonnullisque censibus constabat, vindicationem, solvendo taxam undecim millium et centum libellarum (L. 11, 100), necnon aliam summam pro foenore quinque annorum dictae taxae. Attamen si lex patrono vindicanti onus huiusmodi imposuit,

eidem etiam ius dedit repetendi a gubernio fructus omnes praeteritos universae dotis Ecclesiae Collegiatae a die suppressionis eiusdem, demptis iis, qui loco pensionis canonicis et beneficiatis adhuc vitam agentibus denegari non poterant, et qui pro divino cultu impendi in Ecclesia debebant. Profecto tot labentibus annis, non paucae ex dictis personis morte defecerunt, ideoque fructus illi patrono in dies adcreverunt; ita ut a vero fortasse non discederem, si affirmarem summam, quae a gubernio patrono restitui debuit, aequasse, imo superasse illam, quam patronus pro taxa et foenore gubernio solvere coactus fuit. »

« Quia vero quoadusque superstes sit vel unus illorum clericorum qui Ecclesiae servitio quomodocunque addicti erant, divinus cultus in ea omitti nequeat, ex dispositione legis, neque annuum stipendium dictis personis denegari, gubernium, liberam proprietatem bonorum Ecclesiae Collegiatae restituens, iussit penes se deponi a vindicante loco pignoris tot cartulas obligationis status, vulgo *cartelle del debito pubblico*, quot sufficerent, tum pro solvendis pensionibus beneficiatis adhuc viventibus, tum pro solvendis impensis ad divini cultus exercitium necessariis. Quae cartulae obligationis status, defunctis omnibus beneficiatis, in liberam vindicantis possessionem redibunt. Verum patronus vellet eas recuperare in praesenti, se subiiciendo oneri solvendi beneficiatis easdem pensiones, eamdemque summam statutam a gubernio pro divini cultus impensis. Petit proinde beneficiatorum consensum. Qui hac super re a me interrogati, reposuerunt, se libenter oratoris desiderio annuere, ea conditione tamen, ut tum pro solutione pensionum, tum pro solutione summae pro divini cultus impensis constitutae, cautionem ipse offerat legalibus praeditam conditionibus. »

« Orator bona immobilia locavit pro annua summa libellarum mille septingentum octoginta, L. 1780, ex fructibus vero censuum percipit libellas quadringentum viginti quinque, L. 425. Scilicet annui redditus, quos ipse complexive

percipit, summam libellarum duorum millium bis centum et quinque, L. 2205, attingunt. »

« Praelaudatus Cardinalis fundator statuit, ut ex fructibus dictorum scutatorum sex millium, scutata quadraginta impenderentur pro manutentione fabricae Ecclesiae, et suppellectilium provisione, reliqua inter sex canonicos et duos clericos beneficiatos, quos omnes ipse constituit pro divinorum officiorum celebratione, et Ecclesiae cura et administratione, distribuerentur. Eisdem tamen, insimul acceptis, onus imposuit celebrandi quotannis missas octingentum octuaginta quatuor, 884, quae tamen successu temporis per Apostolicum Indultum redactae fuerunt ad quingentum sexaginta et unam, 561. »

« Praeter huiusmodi onera, ea aderant, quae ceteri subsequentes benefactores instituerunt, scilicet tum annua celebratio aliarum triginta octo missarum, tum celebratio functionis mensis Maii in honorem B. M. Virginis, necnon functionibus sic dictae duodecim sextarum feriarum praecedentium diem festum s. Francisci de Paula. »

« Orator pro compositione offert, ut in precibus, annuum redditum libellarum biscentum quinquaginta; quam summam sperari tantum potest, uti mihi relatum est, ipsum aucturum esse usque ad libellas tercentum sexaginta, si iste sacer Consessus id ei praecipiat; asserens se congruentem cautionem esse ad rem praestiturum. Vellet tamen eiusmodi summae solutionem non inchoare nisi post beneficiatorum mortem, scilicet cessante obligatione solvendi eam summam, quae a gubernio adsignata est pro eorumdem pensione, tum alteram, quae adsignata est Ecclesiae pro divini cultus impensis. »

« Pensio assignata uni ex dictis beneficiatis ad libellas biscentum septuaginta tres, L. 273; quae assignata est alteri, ad libellas biscentum quadraginta sex, L. 246, ascendit; quae constituta et pro cultus impensis libellas centum nonaginta non excedit, L. 190. »

« Profecto annui redditus libellarum biscentum quinqua-

ginta, vel ad summum tercentum sexaginta, parvi momenti esse videntur, respectu habito ad valorem vindicatae dotis, sicuti etiam parum favorabilis est pro Ecclesia Collegiata conditio non solvendi eam summam, nisi post actualium beneficiatorum mortem, praesertim cum alter ex eis in sexagesimo tertio, alter in quadragesimo septimo aetatis anno sit adhuc constitutus. At e contra scio oratorem ita hisce conditionibus velle compositionem, quam petit, subordinari, ut si vel summam maiorem praedicta, vel eamdem solvere cogatur, viventibus adhuc beneficiatis, nuncium mittet potius cuicumque compositioni; quod profecto nedum in animae eius praeiudicium, sed etiam in damnum Ecclesiae Collegiatae vergeret. »

Disceptatio Synoptica.

Deplorabilis profecto est tristis haec animi dispositio quae dicitur esse in marchione Ricci-Petrocchini, maximeque dolendum, ut christianus vir sibi retinere studeat ea quae Ecclesiae legitime acquisita sunt, et tantummodo per vim ac nefas ad eius manus pervenere. Insuper, si gratia indulgeatur, dum reditum non suum, 2000 libellarum, quotannis marchio tranquille sibi vindicabit, vicissim Collegiata extincta manebit, onera missarum piarumque supplicationum annussim non implebuntur, congrua emolumenta pro cultus et fabricae expensis deficient, ac tandem violentiae et nequitiae cedendo, ansa forte malumque exemplum dabitur ceteris rerum ecclesiarum iniuste detentoribus.

Si tamen non obstante evidenti hac laesione ac iniustitia, nihilominus ad praeiudicium animae, licet immerentis praecavendum, et ad partem sin minus bonorum Ecclesiae praeservandam, compositionem admittere, aut saltem eam ad terminos magis aequos reducere iuvet, EE. PP. definire debent.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra Concilii Cong. re visa sub die 4 Maii 1889 censuit respondere: *Prout petitur negative.*

MELEVITANA

FATALIUM APPELLATIONIS PROSEQUENDAE

Die 4 Maii 1889.

Sess. 22 cap. 7 De reform.

Compendium facti. Proposita fuit haec quaestio die 17 Decembris 1887 sub dubio, *an iudex a quo possit coarctare ad duos menses terminum fatalium ad prosequendam appellationem in casu*. Cui EE. PP. responderunt: *Nihil innovetur dispositioni iuris communis* (1).

Verum Ordinarius qui eam ecclesiam tunc administrabat, cum hanc responsionem cognovisset, subsumendum censuit: novi me satis clarum non fuisse in factorum expositione; quod facere nunc omnino studeo. Me non latet, legem constitutere diversos appellationis terminos, sed sufficienti claritate haud retuli, numquam Melitae dispositiones iuris quoad hos terminos fuisse observatas, consuetudinemque inolevisse, longe diversam ab eisdem. Et re quidem vera, pars victa, quae generaliter loquendo impedimentum opponit, infra decem dies appellationem interponit; sed post hoc, nil aliud fit, exceptis casibus, valde raris, quibus vere prosequi iudicium constituitur. Interdum mei Antecessores in Dioecesis administratione, ab immemorabili tempore censuerunt appellantem, ita negligentem, iure appellationis prosequendae non destitui ante annum a die appellationis interpositae. Quaesivi originem huius consuetudinis qua nempe Melitae iudicia instituuntur, et nihil aliud inveni, quam eiusdem antiquitatem.

Nihil a me innovatum fuit huius consuetudinis gratiâ, et nihil innovabitur, donec mihi innotescat sententia Eñorum Iudicum quoad eiusmodi consuetudinem, quae cum omnibus nota sit, haud est abs re credere eam fulciri aliquo statuto perantiquo, et particulari, quando nempe perdifficilis

(1) Relata fuit quaestio haec Vol. XX, 518.

erat communicatio cum Roma; quod nunc longe aliter sese habet. Insuper addidit Episcopus, censeo iustitiam non laedere, si praecipiam quod volens impedimentum opponere teneatur prius depositare apud Cancellarium eam pecuniae vim quae satis sit impensis processus prosequendi. Tali modo, qui non fulciantur bono iure, aut moveantur animo vindictae, facilius abstinebunt ab hac oppositione facienda.

Disceptatio Synoptica

Porro cum, iuxta ea quae relata sunt in folio diei 17 Decembris 1887, multum in hac re iudicis discretioni deferatur; adeoque in eius facultate existat moderari aut exasperare fatalia prosequendae appellationis; iam apparet quod in materia summus facultativorum, in quibus iuxta nota principia, non currit praescriptio. Unde dubitari legitime potest num consuetudo Melitae inolita protrahendi ad annum haec fatalia, legem consuetudinariam, an potius nudum factum constituat.

His stantibus EE. PP. rogati fuerunt definire

Dubium

An et quomodo providendum sit in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 4 Maii 1889 censuit respondere: *In decisis; et ad mentem: idest spectare arbitrio Episcopi tempus determinare, quo nisi apostoli et documenta petantur, appellatio deserta habeatur.*

Ex quibus colliges. I. Salva iuris communis dispositione qua appellanti conceduntur triginta dies ad petendos apostolos; esse in facultate Episcopi determinare tempus, quo nisi apostoli petantur, appellatio uti deserta habeatur.

II. Proinde Episcopum melitensem posse pro nihilo habere consuetudinem inolitam in sua Dioecesi et tempus sibi benevisum determinare, non brevius tamen triginta diebus, infra quod evanida appellatio fiat, nisi a sua Curia apostoli et documenta expetita fuerint ad iudicem superiorem deferenda.

SALERNITANA

FACULTATIS BINANDI

Die 4 Maii 1889.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Prior Sodalitii a SSmo Dei Nomine et B. V. M. de Rosario loci Fisciano Archidioecesis Salernitanae die 10 Iulii 1888, supplici oblato libello Sanctitati Suae, exponebat in Ecclesia praedicti sodalitii deesse missam pro diebus festis, et impossibile fuisse et esse reperire Sacerdotem hac in Dioecesi, qui defectui satis esset; et ideo petebat ut concederetur Parocho s. Petri Apostoli, intra cuius paroeciae limites reperitur cappella Sodalitii, facultas litandi alteram missam post paroecialem, aut alterum delegandi, quatenus, iustis de causis, Parochus impediatur.

Missam pro eo Sodalitio, prosequebatur, esse omnino necessariam ad illius existentiam; tum quia absque hac Missa colligi in unum nequirent huius sodalitii fratres, et suffragia defunctorum deficerent; tum quia quamplurimos ex hac paroecia Missam auscultare non valerent, eo quod una tantum celebratur Missa, cui adesse nequeunt omnes, quoniam populus frequens est. Episcopus rogatus de informatione, retulit vera esse exposita.

His tamen non obstantibus die 28 Augusti 1888 rescriptum fuit: *Negative*. Verum die 6 Octobris elapsi anni Prior confraternitatis geminatas preces SSmo obtulit; quas Rmus Salernitanus Archiepiscopus die 6 Decembris 1888 iterum amplissime commendabat.

Disceptatio Synoptica

His in facto adnotatis, animadversum fuit, Apostolicam Sedem facultatem binandi concedere dummodo gravissimae concurrant causae: nempe ubi necessitas urgeat: « id vero intercedit, Lucidi *part. 1 vol. 1 pag. 438,* cum unus parochus duabus paroeciis praeest, vel duos populos valde seiun-

ctos regit, vel parochiani eadem hora ad missam audiendam una simul convenire nequeunt, et alioquin alius sacerdos inveniri nequit. »

Benedictus XIV in constitutione *Declarasti*, citans canonem Synodi Nemausinae haec habet: « Et potissimum verba diligenter observari debent: *Ubi non est nisi unus sacerdos:* nec non alia: *Nec sunt in ecclesia duo sacerdotes*. Ex quibus clare perspicimus non licere parocho si alius sacerdos praesto sit, duo sacra perficere diebus festis, ut populus missae sacrificio intersit, sive missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus, ut in supra cit. syn. Limana, sive una tantum sit ecclesia in qua missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in Synodo Nemausensi. »

Insuper in cap. *Consuluisti 3 Decret.* ubi textus constituit unam missam esse ab unoquoque sacerdote celebrandam, nisi aliter *causa necessitatis suadeat*, Glossa ad verbum *necessitatis* addit *utilitatem*, et utramque satis esse affirmat, ut unus sacerdos bis in die missam celebret. Hoc consonat menti Benedicti XIV, qui in *cit. const.* animadvertit, « quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis, non celebrantis. »

Et revera in hisce negotiis necessitas fere confunditur cum utilitate: et vera causa iterandi missam est ne populus, vel pars populi cum magno spirituali dispendio privetur bonis ex sancto sacrificio manantibus, et a praecipuo actu sanctificationis festorum impediatur.

Verum ubi unus est sacerdos et populus frequens, difficile imo moraliter impossibile est, ut omnes ad audiendum sacrum eâdem horâ conveniant, quemadmodum bene adnotat Pasqualigus *De Mis. sacrif. q. 844 n. 11:* quod praxi probavit S. C. C. indulgens binandi facultatem ad hanc difficultatem tantummodo tollendam: uti in *Monasterien. 11 Iunii 1845.*

In themate autem constat unum tantummodo existere sacerdotem in loco Fisciano, pariterque populum fidelem non

posse in eadem hora insimul convenire ad audiendum Sacrum.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii re visa, sub die 4 Maii 1889 censuit respondere : *Pro facultate binandi, quoadusque praesentes circumstantiae perduraverint.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

ANAGNINA

REPARTITIONIS REDDITUUM MASSAE CAPITULARIS

Die 12 Augusti 1887.

Compendium facti. Insignis Ecclesia Cathedralis Anagnina 26 canonicatus *massae communis* appellatos ab origine habebat, quorum reditus, ex eo quod verae distributiones quotidianae erant, dividebantur *pro rata servitii* inter 24 Canonicos et Praepositum, qui duplici canonicali praebenda fruebatur.

Res tali modo statutae usque ad Pontificatum Summi Pontificis Urbani VIII perdurarunt, qui Ecclesiae gubernacula ab anno 1623 ad 1644 rexit.

Verum sub tanto Pontifice res aliquantulum immutatae fuerunt, et Beneplacito Apostolico praescriptum fuit, ut quatuor canonicatuum reditus pro octo beneficiatis erigendis erogarentur, cum normis quae habentur in Cap. XI Constitutionum Capitularium, in quo onera describuntur, quibus novi Beneficiati satisfacere deberent.

Relate vero ad distributiones, praescribitur: « ut dicti » Beneficiati sic instituti, ut praefertur, percipiant omnes et » singulas distributiones, obventiones, proventus, anniver- » saria mortuaria, *quas et quae lucrarentur* et perciperent

» quatuor Canonici suppressi, dividenda inter ipsos *pro rata* » *servitii* per quemlibet ipsorum praestiti et non alias. Dicti » beneficiati substineant partem oneris tam missarum, quam » anniversariorum, quae ad dictos quatuor Canonicos sup- » pressos iure legatorum a particularibus relictorum, ac alio » quovis iure spectarent etc.... contribuant denique ad omnes » et singulas expensas capitulares, tam pro Ecclesiae repa- » ratione, quam alia quavis occasione pro tempore faciendas, » et ad omnia alia onera, tam ordinaria, quam extraordinaria » pro rata quatuor canonicatuum suppressorum. »

In vim huiusmodi erectionis necesse fuit ut annuus massae capitularis reditus, in duas massas divideretur, quarum altera 22 portionibus constans, inter 20 Canonicos et Praepositum, cui duae portiones competebant, subdividebatur: altera vero quatuor portionum inter octo Beneficiatos *pro rata servitii* subdividenda. Ex quo patet Canonicos inter et Beneficiatos adfuisse reciprocam exclusionem tam a fallentiis, quam a respectivis quotis vacantibus.

Praeter mox relata, constitutum quoque fuit, ut casu quo a suprema auctoritate ecclesiastica alii canonicatus in posterum supprimerentur, eorum reditus in sacrarii vel Ecclesiae fabricae commodum erogari deberent.

At legibus civilibus contra asse ecclesiasticum promulgatis, et canonicatibus ad tredecim, Praepositus enim duplici praebenda gaudet, Beneficiatis vero ad sex imminutis; bona omnia massae capitularis, sicut antea, *in duos cumulos* distributa fuerunt, quorum unus 22 portionibus, alter vero 4 constans, dividebantur *pro rata servitii* inter Canonicos et Beneficiatos praesentes in choro, quin contra huiusmodi divisionem per *12 annos* observatam aliquid obmussitatum fuerit.

Verumtamen vertente Augusto 1885, nonnulli ex Beneficiatis Episcopum adiverunt edicentes, memoratam divisionis rationem observari amplius non posse, ex eo quod reditus imminutus fuerat, Canonici ad 13, Beneficiati vero ad 6 redacti. Hinc reditus quotas inter 16 dividendas esse; nempe 13 inter Canonicos, 3 vero inter Beneficiatos; quippe qui,

ad normam institutionis, quotae medietatem Canonico debitae, percipere debebant.

Rem de bono et aequo Capitulum componere studens, nonnulla transactionis schemata exhibuit, quae tamen Beneficiatis non arriserunt. Quavis conciliationis spe amissa, Episcopus sub die 14 Ianuarii 1887 decretum edidit, quo statutum fuit: « 1. Unam esse massam capitularem, eamque » tam Praeposito et Canonicis, quam Beneficiatis commu- » nem, cuius reditus, a quavis passivitate immunes, a die » quo participantium numerus imminutus fuit inter 16 divi- » dendi sunt. 2. Commodum aut damnum, quod massa per- » tulerat ex facto gubernii, ab omnibus participantibus sen- » tiendum esse, iuxta participationis proportionem. 3. Distri- » butiones vero ordinarias vel extraordinarias, quae integrae » remanserunt, ex eo quod a legibus demanialibus immunes » fuerunt, in 26 portionibus dividendas esse, ut partibus » *ius accrescendi* sartum tectumque sit. 4. Non esse locum » damnorum refectioni, quae Beneficiati in liquidatione le- » gatorum *Spinelli* et *Lancati*, parvam ipsorum massam con- » stituentium, persenserunt; neque solutioni ex parte Capi- » tuli eleemosynae Missarum, quae pro duobus beneficiatis » suppressis celebratae fuerunt. 5. Massam communem a Be- » neficiatis reintegrandam esse de eo, quod ipsa amiserat pro- » pter legata *Spinelli* et *Lancati*, occasione liquidationis a » *Fondo-culto* peractae. »

Mox citati decreti primus numerus haud placuit Canonicis; qui idcirco controversiam penes S. C. EE. et RR. detulerunt.

Disceptatio Synoptica

Quae canonicis favent. Canonici, antequam quaestionis meritum aggrediantur, perpendunt se divisioni subiicere reditum a die 27 Octobris 1873 in consolidatum conversum, iuxta liquidationem a demanio peractam, qui 30 pro singulis 100 lib. detraxerat. Animadvertunt praeterea se a massa non subtrahere suppressorum canonicatuum quotas, quas guber-

nium fecerat suas; sed detrahere quotas novem canonicatuum a cumulo canonicorum, et a beneficiatorum cumulo quotas duorum beneficiorum.

Hisce addunt ab utroque cumulo se non detrahere decem praecise vigesimas partes, novem scilicet a primo et unum a secundo; sed ab unoquoque canonicatu lib. 1543,96 detrahere asserunt, quot adamussim gubernium liquidaverat; a duobus vero beneficiis simul sumptis lib. 1690,30, quotquot a liquidatione resultant tum parvae massae legatorum *Spinelli* et *Lancati*, quae ad beneficiatos exclusive pertinent, tum libellarum 4126 massae capitularis a capitulo reformatae.

Canonici denique declarant se in 26 portionibus massam seu reditum dividere, qualis erat ante suppressionem novem canonicatuum et duorum beneficiorum; ac de 22 vigesimis partibus canonicorum gubernio tribuere novem quotas, minus lib. 537,66 pro canonicatibus suppressis; de quatuor vero vigesimis partibus beneficiatis spectantibus, duas quotas praeter lib. 86,60 pro beneficiis suppressis. Ita ut undecim canonici cum Praeposito superstites minus percipiant quam ipsis deberetur, si inter ipsos dividerentur integrae 22 vigesimae partes massae decem vigesimis imminutae, ceu Episcopi decretum supponit.

Vicissim sex Beneficiati, cum inter se dividant quatuor vigesimas partes primevae massae, detractis portionibus gubernio debitis, multo magis percipiunt, quam si ipsis attribuerentur quatuor vigesimae partes massae decem vigesimis imminutae.

Hisce praemissis, quoad quaestionis meritum animadvertunt conceptum massae quotidianarum distributionum a conceptu quotarum massae esse omnino diversum. Hinc reditus massae qua tales esse *indivisos;* ideoque participantes omnes ius habere ad lucrandam propriam portionem, et redituum augmentum vel diminutionem ipsorum participantium commodo vel damno cedere.

E contra massae *quotas* esse reditus massae, sed in tot portiones *divisas pro rata servitii:* hinc damnum vel lucrum,

quod quotae persentiunt, illos solos afficere, ad quos quotae pertinent, quemadmodum damni refectio utilitati illorum cedit, quibus quotae spectant.

Iamvero posito, quod massa distributionum dotem 22 canonicatuum et 8 beneficiorum choralium constituat, hac tamen conditione, quod cuilibet canonicatui pars vigesima integri reditus ab expensis immunis spectet, quatuor vero vigesimae partes octo beneficiatis competant; consequitur quodlibet augmentum vel imminutionem reditus massae indivisi debere esse commune Canonicis et Beneficiatis, habita proportione quotarum, quae ipsis spectant; et damnum quodcumque quotis massae vacantibus illatum, quae a massa, *fictione iuris*, reapse separatae sunt, illos tantum sentire debere, quibus ipsae quotae, durante vacationis tempore, accrescunt. Idcirco si quotae canonicatuum vacantium minus damnum quam beneficia vacantia persentiunt, hoc commodo canonicorum superstitum cedere debet, et versa vice; quandoquidem *quotae* a priori praefigi nequeunt, cum ipsae a maiori vel minori singulorum servitio dependeant.

Hisce praeiactis, canonici confutare conantur rationes, quibus decretum ab Episcopo editum nititur. Et relate ad primum punctum observant se nunquam asseruisse inter canonicos et beneficiatos duas distinctas massas existere; sed tantummodo dixisse massam capitularem, post ipsius erectionem, canonicorum et beneficiatorum patrimonium commune permansisse, cuius reditus in quatuor vigesimas partes pro beneficiatis et in viginti duas pro canonicis dividendi sunt. Et ex hoc concludunt damnum vel commodum, quod quotis obvenit, beneficiatis et canonicis commune esse non posse, sed illis exclusive tribui oportere, ad quos dictae quotae vacationis tempore pertinent.

Relate ad ceteras decreti rationes, Canonici asserunt falsum esse quod gubernium pro praebendis suppressis, praecise decem vigesimas massae partes sibi arripuerit; videlicet vigesimam partem pro duobus beneficiis et novem pro canonicatibus, cum in facto sit ipsum libellis 537,66 valedixisse.

Hinc absurdum esse contendunt, quod ex adverso praetenditur, scilicet singulis beneficiatis medietatem reditus competere, quem singuli canonici percipiunt. Lex enim civilis suppressionis solam massam divisam affecit, vel quam uti talem *fictione iuris* retinuit ; ideoque solas canonicatuum vel beneficiorum suppressorum quotas tetigit.

Tandem ad evincendam repartitionis iustitiam, quae in capitulo locum obtinet, canonici addunt, in vim legis suppressionis summam gubernio tributam a portionibus massae indivisae detrahi oportere, seu duorum beneficiorum valorem a quatuor vigesimis beneficiatorum et valorem novem canonicatuum a viginti duabus vigesimis canonicorum portionibus. Quapropter de eo quod in praesentiarum superest ex massa portionibus imminuta, quas Gubernium sibi arrogavit, beneficiatis superstitibus non aliud spectare, quam residuum quatuor vigesimarum portionum, valore duorum beneficiorum iam suppressorum prius sublato ; neque aliter sentiendum esse de canonicatibus, a quibus pariter novem canonicatuum suppressorum valor detrahi debet.

Porro ut hoc obtineatur, necesse est ut reditus massae in portionibus 26 dividatur, quarum quatuor vigesimae partes beneficiatis, viginti duae vero canonicis tribuantur, dempta a canonicorum portionibus summa novem canonicatuum; et a beneficiatorum quotis summa duorum beneficiorum suppressorum pariter subtracta. Reditibus ita divisis illud quod superest, pro rata servitii inter canonicos et beneficiatos distribui oportere canonici propugnant.

Quae favent beneficiatis. Beneficiati e contra pro viribus sustinent massam capitularem unicam esse, eamque tam ipsis quam canonicis communem, quia essentia massae communis in coniunctione reali consistit, quae tum habetur, quum ipse fundus tantum per *intellectum* dividitur. Huiusmodi fuisse massam communem ante beneficiatorum erectionem et huiusmodi post erectionem permansisse. Quandoquidem sex Beneficiati habent reditum proprium, qui in legato *Spinelli* consistit et alia parva legata missarum a massa

communi distincta. Neque ex eo quod *ius accrescendi* est inter ipsos distinctum, asseri valet massam capitularem in duo distingui debere; in massam scilicet canonicorum et in massam beneficiatorum propriam.

Huiusmodi principia exemplis evincere student, et praesertim ex maioribus massae capitularis reditibus, qui in massae communis utilitatem redundant, quin dici queat duplicem massam haberi. Hanc rem comprobari ex facto, quod fundi massae capitularis *indivisi* ingiter permanserunt, et utile ab ipsis derivatum tam canonicis, quam beneficiatis *ab immemorabili* commune fuit. Ex quo concludunt, quodlibet augmentum sive relativum sive absolutum a fundo capitulari proveniens, ceu antea in usu fuit, in praesentiarum utrisque debere esse commune.

Praeterea subdunt in conventionibus a capitulo cum demanio initis multos errores, partim voluntarios partim vero involuntarios irrepsisse, quorum aliqui in damnum, aliqui vero in utilitatem verterunt. Et ex hoc derivasse aiunt, quod in reditu complexivo lib. 68071,52 reditus comprehensi fuerint missarum legatis et beneficientiae exclusive reservati, qui idcirco taxae lib. 30 pro singulis centum obnoxii haud erant, et capitulari reditui uniri haud debebant, ex quo gubernium suppressorum canonicatuum et beneficiorum quotas postea efformavit, sibi usurpans, praeter taxam 30 lib. pro singulis centum, decem vigesimas portiones residuae summae, quae legatorum propria erat.

Aiunt insuper, quod antequam quotae canonicorum et beneficiatorum efformarentur, ut novem ex illis et quatuor ex his gubernio tribuerentur, praeter missarum onera subduci debebant nonnullae aliae summae pro cultu, pro operibus caritatis seu beneficientiae, pro functionibus administrativis et pro ecclesia reficienda constitutae. Quod cum actum haud fuerit, subdunt canonicorum culpa contigisse, quod quota a gubernio usurpata lib. 2216,46 loco lib. 1690,30 tetigerit, quodque summa onerum missarum lib. 2300 ad lib. 4257 elevata sit.

Cum itaque, ex beneficiatorum sententia, dubium haud sit, quod utilitas massae capitulari obvenerit ex assignatione quam gubernium fecit, consequitur quod huiusmodi utilitas inter omnes capitulares dividenda sit. Porro ex huiusmodi utilitate beneficiati nihil percipiunt, ex eo quod canonici quatuor tantum vigesimas partes ipsis assignant. Ut igitur aliqua utilitas et ipsis obveniat necesse esse, ut divisio inter sedecim canonicos fiat. Hoc in casu beneficiati aliquid de utili perciperent, quia tres ex canonicis a sex beneficiatis repraesentantur. Quod demonstrare etiam conantur cum ipsa beneficiatorum institutione; quorum singuli medietatem eius, quod quisque canonicus percipit, habere debet; et confirmare contendunt hac potissimum ratione innixi, quod scilicet cum Ecclesia in nullo pretio habeat legem civilem suppressionis; divisiones bonorum ecclesiasticorum fieri debent iuxta decretum a S. C. C. die 26 Februarii 1876 promulgatum; seu tamquam si bona ecclesiastica nulli innovationi obnoxia fuissent.

Hisce itaque pro utraque parte perpensis, enodandum propositum fuit sequens

Dubium

An et quomodo sit standum vel recedendum ab Episcopi decreto in casu.

Resolutio. Sacra Episc. et Reg. Congregatio, re discussa. die 12 Augusti 1887 respondere censuit: *Decretum, in parte a Capitulo appellata, esse confirmandum iuxta modum; nempe a die motae litis quoad divisionem.*

Causae prosequutio. Canonici in vado posito summam lib. 537,66, quam in suppressione novem canonicatuum sibi arripere gubernium neglexerat, ad solos canonicos superstites, vel ad canonicos et beneficiatos pertinere, iuxta proportionem qua de mensa capitulari participant, asserunt, quod antequam massa inter 16 dividatur, ab ea singulis annis separari lib. 537,66, quaeque inter solos canonicos distribui debent ob sequentes rationes: 1. quia per legem canonicam reditus

novem canonicatuum, quos gubernium arripiebat in morte illorum qui ipsis investiti erant, et per Constitutiones capitulares constanter observatas, reditus canonicatuum vacantium exclusive ad canonicos, quemadmodum reditus beneficiorum vacantium ad solos beneficiatos *pro rata servitii* pertinent. Ex quo arguunt falsam esse rationem decidendi, qua innitebatur Episcopi decretum, scilicet canonicis et beneficiatis commune esse damnum ex novem canonicatuum et duorum beneficiorum suppressione illatum.

Sane, inquiunt, si gubernium tum cum ad novam canonicatuum liquidationem devenit in errorem non incidisset, profecto cognovisset summam lib. 537,66 partem dictorum canonicatuum constituere. Quo posito sustinent lib. 537,66 eorum favore praecidendas esse, antequam massa inter 16 dividatur; idque eo magis quia, temporibus consuetis, praedicta summa inter canonicos, qui servitium praestitissent divisa fuisset.

Praeterea aiunt a massa communi summam sin minus lib. 100 pro singulis canonicatibus suppressis, et lib. 50 pro unoquoque ex duobus beneficiatis, ipsamque inter canonicos et beneficiatos superstites distribuendam esse, in compensationem maiorum onerum quibus, ob suppressionem huiusmodi canonicatuum et beneficiorum, gravati sunt; sed ipsos huiusmodi compensationi valedicere subdunt, dummodo praedicta summa lib. 537,66 ipsis tribuatur.

Post haec ad confutandas rationes ex adverso adductas gradum faciunt; ac praeprimis observant veritati haud conforme esse, quod unica massa communis existat; et pro viribus sustinent, ante suppressionis legem, reditus ex fundo capitulari provenientes exclusive inter canonicos iugiter distribui solere.

Duplicis massae capitularis existentiam ab ipsis beneficiatis admitti, dum retinent damnum ex duorum beneficiorum suppressione derivatum, non esse duobus partibus contendentibus commune, sed ad beneficiatos exclusive pertinere.

Falsum praeterea esse quod gubernium a libellis 68571,52

quae communi divisioni subiacent, expensas haud subtraxerit duorum beneficiorum suppressorum. Ac per consequens alienum a veritate esse, quod in summa dividenda, ex qua suppressarum praebendarum quotas gubernium excerpserat, reditus beneficentiae seu dotes, reditus legatorum missarum, taxa lib. 30 pro singulis 100 et cultus expensae comprehensae fuerint.

Utilitatis vero, quam ex detractione eleemosynae missarum et cultus expensarum canonici retulerunt, beneficiatos quoque participes fuisse; idque ex rationum redditione, penes Curiam episcopalem existente, manifestum fieri.

Tandem veritati haud conforme esse ab adversariis obiectum, nempe beneficiatis medietatem reditus competere, qui canonicis debetur. Hoc siquidem ut contingere posset, necesse foret, ut quilibet beneficiatus medietatem lib. 40 solveret, quas singuli canonici persolverunt pro taxa, quam concursus quotam appellant. In hac hypothesi beneficiati actuales persolvere deberent plusquam perciperent, si ad participationem lib. 537,66 pro tribus ex sedecim portionibus admitterentur.

Ultimo denique loco canonici pro se invocant iuris principium die 26 Februarii 1876 a S. C. C. constitutum, quod scilicet reditus dividi debent, perinde ac si nulla innovatio contigisset. Porro cum in facto sit, quod ante civilem suppressionis legem massa capitularis in 26 portionibus dividebatur: sponte fluit huiusmodi dividendi rationem etiam post praedictam suppressionis legem adhiberi oportere; ita ut 22 ex citatis portionibus canonicis, 4 vero beneficiatis tribui debeant.

Hisce ex canonicorum parte denuo perpensis, propositum fuit diluendum suetum

Dubium

An et quomodo recedendum sit a decisis die 12 Augusti anni 1887 in casu.

Resolutio. Sacra Congregatio die 16 Martii 1888 respondere censuit: *In decisis iuxta modum. Modus est:*

quemadmodum canonici lib. 537,66, ita beneficiati conferre debent fructus quibus fruuntur, usque dum beneficium servabitur.

Huiusmodi resolutione Beneficiati existimantes sua iura pessumdata fuisse, novum recursum S. H. C. porrexerunt clausulae suppressionem petentes: tum quia aiunt ipsam circa rem versari, quae in quaestione non erat, tum quia ultra petita additam fuisse subdunt.

Quod ut evincant, perpendunt gubernium retinuisse massam capitularem tot praebendis divisis constare: quotas beneficiorum ex reditibus praedictae massae expensis obnoxiae constitutas fuisse, et ideo nimis pingues; quotas vero Canonicorum ex reditibus massae a quavis passivitate immunes, et ideo nimis pingues fuisse, et hac de re errorem lib. 537,66 derivatum fuisse.

Ex quo deducunt summam lib. 537,66 non ab aliquo fundo canonicorum proprio oriri; sed ex massa, quae tum ex lege ecclesiastica, tum in vim Constitutionum capitularium Canonicis, et Beneficiatis communis est. Praedictam summam, ceu partem quotarum canonicorum suppressorum haberi haud posse, quin eodem tempore admittatur legitimam esse repartitionem ab auctoritate civili peractam, eamdemque ius habere convertendi in praebendas, id quod per legem ecclesiasticam massa communis erat.

Hisce in facto praehabitis, arguunt 1. paritatem inter summam lib. 537,66 et beneficium *Salvatori* admitti non posse. Summam lib. 537,66 esse partem massae capitularis communis, quam gubernium scindere et inter Canonicos ac Beneficiatos dividere haud valebat. Beneficium vero *Salvatori*, utpote unum ex sex qui servati fuerunt, ad massam subalternam pertinere, ideoque *ius accrescendi* solis Beneficiatis spectare eadem ratione, qua Canonici nonnullas pingues fallentias privative lucrantur ab ipsorum massa subalterna provenientes.

Falsum secundo loco esse arguunt quod e contra asseritur, nempe divisionem exclusivam beneficii *Salvatori* osten-

dere massam haud communem esse. Hoc enim ad summum demonstraret massam *mediatam* et servitio anteriorem esse quidem communem; huiusmodi vero naturae non esse duas massas subalternas immediatas, quae post praestitutum servitium efformantur. Atque hoc in usu fuisse affirmant ante annum 1873, tum cum Capitulum fundos possidebat. Tunc temporis utilitates et damna, quae perdurante anno contingebant, canonicis et beneficiatis communia fuisse; fructus vero ex huiusmodi fundis provenientes in 26 partes aequales dividi solitum esse, de quibus quatuor portiones beneficiatis assignabantur, ut ipsorum favore iterum subdividerentur.

Tertio loco animadvertunt nihil referre, quod beneficium *Salvatori* sit vel non de beneficiis quae servata dicuntur. Quandoquidem pecunia, quam gubernium persolvit, cum sit compensatio antiquorum fundorum, induit naturam massae communis, quae propterea, nullo habito respectu ad repartitionem a gubernio peractam, iuxta normas legis ecclesiasticae inter 13 Canonicos et 6 Beneficiatos dividi debet; ita tamen ut post praestitum servitium inter duos ordines denuo subdividenda sit.

Ex quo arguunt quod beneficium *Salvatori*, si ex suppressis esset, partem summae usurpatae seu massae communis constitueret; si vero ex servatis foret, ad massam specialem pertineret, quae beneficiatorum propria est.

Canonicorum dilemma in themate attendi non posse, quia beneficium *Salvatori* naturam beneficii induit, cuius fallentiae beneficiatis iugiter spectant; e contra summa lib. 537,66. partem *massae communis* efformat.

Pariter in nullo pretio habendum esse aiunt liquidationis prospectum a demanio confectum, in quo summa ab ipso persoluta ceu quota unius ex canonicatibus suppressis apparet; siquidem beneficiati observant civilis auctoritatis factum non esse attendendum, sed legibus ecclesiasticis standum esse.

In facto pariter haud consistere quod beneficiatus *Salvatori* beneficio nuncium miserit; cum ex omnibus actis manifestum fiat, praedictum beneficium vacans haud existere. Ve-

rum admissa etiam adversariorum visione, eorum causa nihil proficeret; quia, cum agatur de beneficio, quod ex servatis est, ipsius reditus iuxta vigentes Constitutiones Capitulares, ad Beneficiatos exclusive pertineret.

Tandem ad lites et arbitrarias interpretationes evitandas beneficiati postulant, ut S. H. C. praefinire et distinguere dignetur summas, quae massam communem constituunt, ab illis quae massam specialem efformant.

Ex parte vero sua Canonici ea, quae in anteactis propositionibus adduxerunt, ferme exhibentes, aiunt 1. a veritate alienum esse, quod quilibet beneficiatus medietate reditus frui debeat, quo gaudent singuli Canonici, cum explorati facti sit quod singuli beneficiati praeter reditus proprii beneficii, iis quoque perfruantur, qui ipsis ex beneficio *Salvatori* proveniunt. A veritate quidem abhorrere reditus massae capitularis Canonicis et Beneficiatis communes esse debere; cum constet beneficium *Salvatori* ab anno 1873 solis beneficiatis iugiter devolutum fuisse. Falsum tandem esse massam capitularem Cathedralis massam communem efformare; patet enim ipsius massae partem, quotam exclusivam quorumdam ex participantibus constituere.

Secundo loco asserunt beneficium *Salvatori* rationem sufficientem haud esse posse resolutionem diei 16 Martii 1888 reformandi; etsi in ipsa resolutione supponatur illud beneficium ad numerum beneficiorum suppressorum pertinere. Rationem ob quam S. Congregatio huiusmodi resolutionem dare censuit, hanc esse affirmant, quia scilicet retinuit massam capitularem fuisse massam communem, et reditus beneficii *Salvatori* aeque ac summam lib. 537,66 novem canonicatibus suppressis spectantem a dicta massa provenisse. Hinc arguunt huiusmodi rationem subsistere sive illud beneficium servatum, sive non servatum fuisse censeatur.

Tertio loco canonici sustinent iustum non esse reformare decisionem pro ea tantum parte, qua beneficiati gravantur, et impedire quominus ad trutinam revocetur pro ea parte, qua Canonici se gravatos existimant. Hinc hoc utuntur di-

lemmate: massa capitularis vel communis est, vel non. Si communis est, tam summa lib. 357,66, quam reditus beneficii *Salvatori* canonicis et beneficiatis communes esse debent, ex eo quod ab eadem massa communi aeque proveniunt; ac proinde praedicta resolutio nullo pacto revocari poterat. Vel massa communis non est, et in hac hypothesi quemadmodum reditus beneficii *Salvatori* solis beneficiatis tribui debent, ita lib. 537,66, utpote canonicatuum suppressorum reditus, solis canonicis assignari debent, ideoque tam pro ea parte quae beneficiatos, quam pro altera, quae canonicos respicit, ratio decidendi deficeret.

Nec obiicere valeret massae communis naturae haud repugnare quasdam quotas ad aliquos tantum cum aliorum exclusione *iure accrescendi* pertinere; et ideo non esse absurdum quod in Cathedrali Anagnina habeatur massa communis, licet beneficii *Salvatori* reditus ad solos beneficiatos pertineant in vim *iuris accrescendi*, quod ipsis competit super massae quotis, quae ipsorum beneficia constituunt. Huic siquidem offensioni occurrunt, animadvertentes huiusmodi argumentandi genus valere etiam favore canonicorum; ex eo quod ipsi quoque in vim Constitutionum capitularium *ius accrescendi* habent super massae quotis, canonicatus efformantibus, quibus lib. 537,66 adiudicandae forent, de quibus quaestio fit.

Novis hisce deductis Eminorum Patrum examini subiectis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An et quomodo sit confirmanda vel infirmanda resolutio diei 16 Martii 1888 quoad modum circa beneficium Salvatori *in casu.*

Resolutio. S. H. C. omnibus denuo perpensis, proposito dubio die 21 Decembris 1888 respondit: *Recedendum a decisis quoad modum tantum et amplius.*

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

CONCHINCHINEN. — DECRETUM beatificationis seu declarationis Martyrii Petri Luú sacerdotis in odium fidei interfecti.

Saeviente persecutionis procella anno MDCCCLIX in regionibus Vicariatus Apostolici Conchinchinae Occidentalis, inter strenuos Confessores, qui pro Christo gloriosam mortem obierunt, maxime enituit ven. Dei servus Petrus Luú sacerdos indigena. Qui quum Christianos in carcere urbis Mitho detentos frequens visitaret, ut eos solaretur, postremo a satellitibus agnitus et in carcerem trusus, iudiciali sententia propter Fidei confessionem ad mortem damnatus, ineunte anno MDCCCLXI capite plexus fuit. Pertinet is ad coronam triginta quatuor Martyrum, quorum Causae Commissionem Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII die 13 Februarii anno MDCCCLXXIX signavit. Verum quum eo tempore documenta authentica de eius martyrio a Vicario Apostolico tunc diligenter collecta ob persecutionis vicissitudines periissent, nomen ipsius in Causa eo anno introducta includi haud potuit. Hodiernus autem Vicarius Apostolicus Conchinchinae Occidentalis praeclara eiusdem ven. servi Dei fama sanctitatis permotus, de eius martyrio Processum ordinarium rite construxit, atque ad Apostolicam Sedem transmisit. Hinc ad instantiam Rev. Patris Francisci Xaverii Cazenave Procuratoris generalis Seminarii Parisiensis Missionum ad exteras gentes et Postulatoris Causae praefati ven. servi Dei, Sanctissimus idem Dominus benigne concessit ut Dubium super signatura Commissionis introductionis huiusce Causae pertractaretur eodem prorsus modo, forma ac peculiari Sacrorum Rituum Congregatione, sicuti actum est pro introductione Causae aliorum triginta quatuor venerabilium Servorum Dei Stephani Theodori Cuénot Episcopi Metellopolitani et Sociorum, praevia tamen exegesi a s. Fidei Promotore elucubranda. Hanc porro peculiarem Congregationem constare voluit Sanctitas Sua, per decretum diei 8 Iunii 1888, ex Emis Rmis Cardinalibus Pitra, Oreglia a S. Stephano, Ledochowski, Parocchi, Schiaffino et Bianchi praefecto et relatore; una cum Praelatis Officialibus. E vivis postea erepto cl. me. Cardinali Pitra, eadem Sanctitas Sua, per Decretum diei 8 Aprilis vertente anno, substituit Emum et Rmum Dnum Cardinalem Laurenzi S. R. C. Praefectum, ut una cum Cardinali Bianchi relatore ceterisque Cardi-

nalibus et Praelatis Officialibus eiusmodi Causa tandem extenderetur. Coadunata itaque fuit haec particularis Congregatio subsignata die ad Vaticanas Aedes, atque in ea ab Emo et Rmo Cardinali Relatore propositum fuit Dubium : *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* Omnes porro Suffragatores, nimirum Emi et Rmi Cardinales Monaco La Valletta, sacri Collegii Decanus loco et vice Cardinalis Laurenzi, eidem Congregationi Praefecti, Parocchi, Bianchi, Schiaffino et Zigliara loco et vice Cardinalis Ledochowski, nec non RR. PP. DD. Praelati Officiales Panici protonotarius, Nussi secretarius, Caprara s. Fidei Promotor et Persiani assessor in hanc devenere sententiam: *Signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 9 Iulii 1889.

Facta postmodum de his per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem particularis Congregationis ratam habuit, propriaque manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae ven. servi Dei Petri Luú praedicti. Die 24 iisdem Mense et Anno.

RAPH. Card. MONACO

L. ✠ S.

Vinc. Nussi S. C. R. *Secretarius.*

NAMURCEN. — DECRETUM beatificationis et canonizationis ven. servae Dei Iuliae Billiart fundatricis Congregationis Sororum B. Mariae Virginis.

Superioris saeculi labentis nostrique ineuntis luctuosis sane temporibus insignis in messe Domini operaria effloruit venerabilis Dei serva Iulia Billiart, quae in humili pago, cui nomen vulgo *Cuvilly* Dioeceseos Bellovacensis, vitam duxit. Praeclaris ornata virtutibus, diuturna aegritudine aerumnisque probata, laboriosam vitam pretiosa morte, quam Namurci die octava Aprilis MDCCCXVI oppetiit, supernis quoque donis ditatam explevit. Fama sanctitatis huius inclytae Dei famulae, quae potissimum in locis, ubi diversata fuerat, iugiter viguit, post eius obitum latius splendidiusque percrebuit per Institutum Sororum a Beata Maria Virgine nuncupatarum, cuius ipsa auctrix extiterat ad animarum salutem provehendam. Quippe illud ad instar bonae arboris, cui benedixit Deus, succrescens, in dissitis etiam regionibus extendit ramos suos, uberesque pertulit fructus in vinea Domini, opera filiarum, quae egregiae Matris spiritu refertae, zelumque imitantes, animabus iuvandis sese devovent.

Exinde factum est ut complures fideles Servae Dei sanctimoniam admirati, eam apud Deum uti mediatricem adhibentes, haud exiguas illius intercessione se gratias divinitus accepisse testati sint.

Hinc in Curia ecclesiastica namurcensi processus ordinaria auctoritate super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum ad iuris tramitem conditus fuit; cui accesserunt deinceps postulatoriae litterae inprimis serenissimi Austriae Imperatoris, et serenissimae Reginae Belgii, nec non quamplurium Emorum S. R. E. Cardinalium, rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate illustrium, ac Societatum utriusque sexus Regularium et Laicarum, quae eamdem sanctitatis famam luculenter comprobarunt.

Eapropter quum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII iam benigne indultum esset ut de dubio signaturae Commissionis introductionis huiusce Causae ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet nondum elapso decennio a die praesentationis processus informativi in Actis ipsius Sacrae Congregationis, neque praefatae Servae Dei scriptis adhuc perquisitis atque examinatis, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Laurenzi, Sacrae eidem Congregationi praefectus et Causae ipsius ponens ad instantiam Rmi Dni Raphaelis M. Virili Antistitis Urbani, eiusdem Causae postulatoris, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi post auditum R. P. D. Augustinum Caprara Sanctae Fidei promotorem, qui sententiam suam voce et scripto protulit, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 25 Maii 1889.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua, rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae Ven. Servae Dei Iuliae Billiart praedictae, die 26 Iunii anno eodem.

RAPH. Card. MONACO

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, S. R. C. *Secretarius.*

APPENDIX III.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

ALMERIEN.

Aliqui Canonici Ecclesiae almerien. in Sacrae Rituum Congregagationis responsione data die 25 Novembris 1675 in causa controversiarum vertente inter Dignitates ex una, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae Amalphitanae ex altera, et in alia responsione facta die 22 Novembris 1631 de Capitulo Cathedralis Alexandrinae agentes fundati dubitarunt, an deberent praestare nec ne servitium pro Diacono Dignitatibus solemniter celebrantibus. Quum autem in rebus ambiguis in eadem Ecclesia standum sit pro dispositis in Metropolitana, et iuxta metropolitani Capituli consensum; idcirco ab ipsomet Capitulo Sacrae Congregationi pro opportuna declaratione humillime proposita fuere sequentia Dubia, nimirum:

I. An debeant Canonici huius Ecclesiae servire pro Diacono Dignitatibus solemniter celebrantibus?

II. In dubio utrum debeant nec ne servire, an recte procedant sese aptando Capituli metropolitani consensui iuxta huius Ecclesiae erectionem.

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare censuit:

Ad I. Si praebendae sunt omnes presbyterales, non teneri iuxta Decretum in Amalphitana diei 23 Novembris 1672 (1), si secus habentes praebendas Diaconales, et Subdiaconales, teneri iuxta Decretum in Alexandrina diei 21 Novembris 1631 (2).

Ad II. Provisum in primo. At-

(1) AMALPHITANA. In causa controversiarum vertente inter Dignitates ex una parte et Canonicos Cathedralis Ecclesiae Amalphitanae ex altera, de, et super assistentia unius ex praedictis Canonicis pro Diacono praetensa a Dignitatibus, dum celebrat in solemnioribus; S. R. C. referente Emo D. Card. Vidono, utraque parte hinc inde informante, censuit: « Attento quod Praebendae canonicales sint Presbyterales, non teneri inservire pro Diaconis. » Et ita declaravit. Hac die 23 Novembris 1675.

(2) ALEXANDRINA. Capitulum Cathedralis alexandrinae narrans, tam vigore Statuti particularis, quam antiquae consuetudinis, seu ultimos Canonicos teneri, et obligatos esse, licet Sacerdotes, inservire pro Diacono, et Subdiacono Canonicis antiquioribus solemniter celebrantibus; et modo Canonicos sex novissimos recusare

que ita declaravit ac rescripsit. Die 15 Decembris 1882.

SANCTI IOANNIS IN AMERICA.

Rmus Dnus Ioannes Severny hodiernus Episcopus S. Ioannis in America Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum:

Dubium I. Utrum ex quocumque lapide confici possit operculum sepulchri, an vero debeat esse marmoreum?

Dubium II. Utrum in nova altarium portatilium consecratione, quorum sepulchrum gypso, vel cera clausum fuerit, praeperari debeat coementum, quemadmodum pro regulari altarium consecratione in Pontificali Romano praescribitur, an vero commune sufficiat?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, dummodo sit vere lapis naturalis; ad secundam provisum in prima.

Ad II. Standum dispositioni Pontificalis Romani.

Atque ita rescripsit, et declaravit. Die 15 Decembris 1882.

RAVENNATEN.

Metropolitanae Ravennatensis Ecclesiae sacrarum Caeremoniarum Magister a S. Rituum Congregatione insequentium Dubiorum resolutionem humillime expostulavit, nimirum:

In quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis die s. Marci aliisque diebus Rogationum post Nonam fit Processio Litanias Sanctorum decantando. Hisce absolutis, unus e Beneficiatis sive Cappellanis canit Missam Rogationum, in qua Crux Capituli adstat in cornu Evangelii. Post Missam Capitulum redit in Sacrarium cum acolythis absque Cruce prout diebus ferialibus. Quaeritur:

I. In Missa Rogationum quae canitur a Beneficiatis sive Cappellanis collocari ne potest Crux Capituli in cornu Evangelii, sicut fit in Missis canonicalibus?

II. Absoluta Missa, reditus in Sacrarium fieri ne debet processionaliter cum Cruce?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit:

Ad I. Negative iuxta consuetu-

haec munia peragere; supplicavit eos abstringi sub poena, quod non faciant fructus suos. Et S. C. respondit: « pro Diacono, et Subdiacono inservire debere habentes praebendas diaconales, et subdiaconales, non obstante statuto, et consuetudine in contrarium allegatis, quam consuetudinem abusum esse declaravit. » Et ita in Cathedrali Alexandrina omnino servari mandavit die 22 Novembris 1631.

dinem sacrosantae Archibasilicae Patriarchalis Lateranensis.

Ad II. Provisum in primo. Atque ita rescripsit. Die 5 Ianuarii 1883.

URGELLEN.

R. D. Ioachim Solans sacrae Liturgiae in Seminario Urgellen. Professor, de consensu sui Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia resolvenda humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. Mos est in Ecclesiis praesertim Parochialibus Crucem deferre, in qua Reliquia inclusa invenitur s. Crucis dum a sacristia ad altare progreditur celebrans cum ministris, Missam solemnem celebrantibus in Festis solemnioribus. Sed non una eademque est praxis Ecclesiarum; in aliis enim defertur Lignum s. Crucis a Subdiacono praeeunte cum velo humerali, in aliis a Diacono, in aliis vero a Celebrante. Quum vero a Rubricis, et Decretis nihil circa hoc disponatur, quaeritur 1°. a quonam in casu deferenda sit praedicta s. Crucis Reliquia? 2°. ubinam collocanda in altari, inter candelabra, an vero supra mensam in medio post Corporale, 2°. an auferenda est in casu Crux Altaris?

Dubium II. Episcopus Missae solemni assistens pluviali vel cappa indutus, dum benedicit aquam, debet ne orationem *Deus qui humanae* proferre et illam Celebrans omittere; an potius praedictam orationem tenetur Celebrans recitare, et Episcopus benedicendo aquam tantum dicere debet *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen?*

Sacra eadem Congregatio, audita relatione infrascripti Secretarii, sic rescribere rata est:

Ad I. Usum deferendae Crucis in casu esse eliminandum.

Ad II. Servetur consuetudo.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 27 Ianuarii 1883.

CORDUBEN.

Rmus Episcopus Corduben. Sacrae Rituum Congregationi duo insequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime proposuit, nimirum:

I. An exequiae pro Defuncto, dum effertur corpus, expleri valeant in Ecclesia diebus festis solemnioribus primae classis?

II. Num Collecta, *Et famulos tuos,* quae in fine Missalis Proprii Sanctorum Hispanorum legitur; dici debeat absque ulla variatione etiamsi immediate praecedat Oratio pro Papa, an omitti opus sit quando occurrit Nomen Sanctissimi?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, propositis Dubiis, rite expensis, sic recribendum censuit:

Ad I. Negative, et huiusmodi funera transferantur ad sequentem diem, aut minus ad horas pomeridianas post diei Festi Vesperas, et

sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali aeris campani sonitu.

Ad II. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit. Die 27 Ianuarii 1883.

CINCINNATEN.

Rmus D. Gulielmus Henricus Elder Episcopus Avaren. et Coadiutor Rmi Archiepiscopi Cincinnaten. quum nonnulla privilegia ab Apostolica Sede obtinuerit quoad recitationem Divini Officii pro eadem Archidioecesi, insequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Privilegia concessa tantummodo pro Cincinnatensi Archidioecesi quoad recitationem Divini Officii, valere ne possunt etiam pro aliis septem Dioecesibus, pro quibus simul cum ipsa Archidioecesi Cincinnaten. Ordo Divini Officii recitandi conficitur?

Dubium II. Missionarii uno, eodemque tempore septem diversis Ecclesiis uti Rectores stricte addicti, tenentur ne de singulis earum Titularibus celebrare Festa cum Officiis et Missis sub ritu duplicis primae classis cum Octava iuxta Rubricas?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia, propositis Dubiis sic respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative iuxta Decretum in una Vicariatus Apostolici Bombeyen. Septentrionalis diei 25 Augusti 1882. (1) Atque ita rescripsit. Die 27 Februarii 1883.

RHEDONEN.

Ex parte Monialium vulgo nuncupatarum *Adoratrices de la Justice divine* in Dioecesi Rhedonen. degentium Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia proposita fuerunt, nimirum:

I. An in recitatione Officii parvi de Beata Virgine Maria liceat ipsis dicere hymnum *Te Deum* in Festis Deiparae in Adventu, aut in Quadragesima occurrentibus?

II. An in Choro diebus in quibus celebrantur Festa Duplicia, duplicandae sint Antiphonae ad Matutinum, Laudes et Vesperas?

III. An possint licite addi Commemorationes de Septem Doloribus B. Mariae Virginis et de S. Ioseph? et quatenus negative, an eiusmodi consuetudinem a longissimis temporibus inductam S. Sedes benigne approbare dignetur?

Sacra eadem Congregatio referente infrascripto Secretario, post auditam alterius ex Apostolicarum

(1) Relata iam fuit huius voluminis pag. 120.

Caeremoniarum Magistris sententiam, sic declarare consuit:

Ad I. Hymnum *Te Deum* in Officio parvo B. Mariae Virginis recitari, sive dici debere a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam, et a Dominica Resurrectionis usque ad Adventum; in Adventu autem, et a Septuagesima usque ad Pascha nonnisi in Festis B. Mariae Virginis.

Ad II. Affirmative, si Officium recitetur integrum, id est cum tribus Nocturnis; Negative, si unum Nocturnum tantummodo recitetur.

Ad III. Affirmative quoad Commemorationem s. Ioseph tantum. Atque ita declaravit et rescripsit. Die 27 Februarii 1883.

DECRETUM

Romanorum Pontificum sollicitudo, quemadmodum in reliquis quae ad sacram Liturgiam pertinent, in eo etiam excelluit, quod ecclesiasticorum concentuum, maxime vero Gregoriani cantus, decori atque uniformitati semper consulerit. Quocirca, cum iuxta vota Sanctae Tridentinae Synodi, Pius IV Pontifex Maximus aliquot S. R. E. Cardinales reformationi liturgici cantus praefecisset, omnem hi curam adhibuere, ut cantus eiusmodi ad aptiorem simplicioremque formam reduceretur, et ita ab omnibus divinae psalmodiae operam dantibus recipi adoptarique facile posset. Qua in re perficienda plurimum illos iuvit solers industria atque eximia peritia Magistri Ioannis Petri Aloysii Praenestini, qui, iuxta recensitas prudentissimas normas, ita Romani Gradualis emendationem perfecit, ut simul proprios ac genuinos Gregoriani cantus characteres in eo conservaret. Graduale Romanum ita emendatum atque reductum deinceps Paulus V Pontifex Maximus typis Mediceis Romae imprimi iussit, et Apostolicis Literis in forma Brevis approbavit. Quo ex tempore in Pontificia Capella, atque in Patriarchalibus aliisque insignioribus Urbis Ecclesiis adhiberi illud coepit. Petri-Aloysii Praenestini aliquot discipuli coeptum ab eo opus, iubentibus Romanis Pontificibus, prosecuti erant. Aetate vero nostra cum sa. me. Pius IX Pontifex Maximus Romanam liturgiam in omnibus fere Ecclesiis feliciter adoptatam cerneret, etiam in votis habuit quoad cantum liturgicum se uniformitatem inducere. Idcirco per S. Rituum Congregationem peculiarem instituit Commissionem virorum ecclesiastici cantus apprime peritorum, qui sub eiusdem ductu, auspiciis et auctoritate Graduale Editionis Mediceae Pauli V iterum evulgarent, ceterasque partes, quae deerant eiusdem cantus, ad normam Gradualis perficerent. Huic voluntati obsecuta Sacra Rituum Congregatio editis per praefatam Commissionem circularibus litteris die 2 Ianuarii anno 1868 nomine Summi Pontificis invitavit typographos librorum liturgicorum editores tam

nostrates, quam exteros, qui vellent perhonorifico atque saluberrimo huic operi, sub directione Commissionis et auspiciis Sacrae Congregationis, manus admovere. At cum illud gravissimum esse omnes agnoscerent, magnasque expensas, diligentiamque plurimam requirere, unus Eques Fridericus Pustet Ratisbonensis, Summi Ponificis atque Sacrorum Rituum Congregationis Typographus, arduo se huic operi accinxit, ac feliciter. Graduale quod attinet, illud absolvit. Perfecta itaque fuit Romani Gradualis Pauli V editio, maturo studio et cura praedictae Commissionis ab eaque diligenter revisa, et tamquam authentica declarata, adeo ut merito Romana, et a Sacra Congregatione concinnata dici valeat. Eam Summus Pontifex Pius IX suis Brevibus literis datis die 3 Maii anni 1873 plurimum laudavit, atque ad unitatem cantus ecclesiastici inducendam reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus, quibus Musices sacrae cura est magnopere commendavit: addita hortatione ipsi editori, ut quae adhuc edenda supererant de Gregoriano cantu volumina, quibus inchoata olim a Paulo V perficitur editio, tandem in lucem proferret. Cum itaque deinceps idem Typographus, pari studio ac diligentia et iuxta praedictas normas, eam partem edidisset Antiphonarii atque Psalterii, quae Horas diurnas complectitur, Sanctissimus Dñus Noster Leo XIII alias edidit Apostolicas Litteras in forma Brevis die 15 Novembris anni 1878, quibus Praedecessoris sui decreta confirmans, eam Editionem a Viris ecclesiastici cantus apprime peritis, ad id a Sacra Rituum Congregatione deputatis, revisam approbavit atque authenticam declaravit; adiecta, iisdem verbis, quibus sa. me. Pius IX. usus fuerat pro edito Graduali, vehementi Editionis eiusdem commendatione ad Reverendissimos Ordinarios omnesque Musices sacrae cultores, *ut sic cunctis in locis ac dioecesibus cum in ceteris quae ad sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia.*

Interea temporis plures ecclesiasticae Musices cultores subtilius inquirere coeperunt, quaenam esset primigenia Gregoriani cantus ratio, quaeque fuerint per subsequentes aetates variae eiusdem phases. Verumtamen plus aequo huius investigationis limites praetergressi, ac nimio antiquitatis amore fortasse abrepti, negligere visi sunt recentes Sedis Apostolicae ordinationes, eiusque desideria pluries manifestata pro introducenda uniformitate Gregoriani cantus, iuxta modum prudentissimo Romanae Ecclesiae usu comprobatum. Scilicet, posthabito hoc iam sapienter constituto tramite, adhuc sibi integrum esse putarunt contendere, ut ad eam, quam ipsi putant, primaevam concentuum formam Gregorianus cantus redu-

catur, eo etiam sub obtentu quod Apostolica Sedes cantum Editionis ab se nuper approbatae authenticum quidem declaraverit, et magnopere commendaverit, at minime singulis Ecclesiis imposuerit; quin adverterent, uti oportebat, constantem esse Summorum Pontificum praxim ad nonnullos abusus tollendos persuasione magis quam imperatis uti voluisse; eo vel maxime scientes quod rmi locorum Ordinarii, eorumque Cleri verba exhortationis Summi Pontificis loco mandati pie et religiose interpretari solent. Quae quidem arbitrandi rationes cum per ephemerides, ac varia edita opuscula vulgarentur, ipsaque Editionis praefatae approbatio in dubium vocaretur, Sacra Congregatio sui officii esse duxerat Apostolicas Litteras sa. me. Pii IX iam editas, authenticas declarare, et eiusdem editionis approbationem iterum confirmare, decreto edito die 14 Aprilis anni 1877.

Nihilominus neque eo decreto, neque subsequentibus Apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri superius memoratis, illi acquiescere visi sunt: quin imo suas opinationes adhuc validius inculcare perrexere in eo conventu cultorum ecclesiastici cantus, qui, ut Guidoni Monacho solemnes deferrentur honores, superiore anno Aretii habitus est: non sine illorum offensione, qui Apostolicae Sedis auctoritatem, non minus quam in reliquis ad sacram Liturgiam pertinentibus, in cantus etiam ratione et uniformitate, unice sequendam esse iure merito existimant, sed quidquid hac in re improbandum irrepserit, quoniam ii, qui Aretii hac de causa convenerant nonnulla eadem de re vota, seu postulata Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII humiliter porrexerunt, eiusdem oraculum exquirentes: idem Sanctissimus Dominus Noster, attenta negotii gravitate, peculiari Sacrae Rituum Congregationis Coetui ab se delecto quorumdam S. R. E. Cardinalium sacris tuendis Ritibus praepositorum, atque aliquot Praesulum Officialium eiusdem Sacrae Congregationis illud expendendum commisit. Quae peculiaris Congregatio ad Vaticanum infrascripta die adunata, re mature accurateque perpensa, ac resumptis omnibus ad rem pertinentibus, exquisitisque etiam peritissimorum virorum sententiis, ita, si Sanctissimo placuerit, decernendum censuit:

Vota seu postulata ab aretino Conventu superiore anno emissa, ac Sedi Apostolicae ab eodem oblata pro liturgico cantu Gregoriano ad vetustam traditionem redigendo, accepta uti sonant, recipi probarique non posse. Quamvis enim ecclesiastici cantus cultoribus integrum liberumque semper fuerit, ac deinceps futurum sit, eruditionis gratiâ, disquirere quaenam vetus fuerit ipsius ecclesiastici cantus forma, variaeque eiusdem phases, quemadmodum de antiquis Eccle-

siae ritibus, ac reliquis sacrae Liturgiae partibus eruditissimi viri cum plurima commendatione disputare et inquirere consueverunt; nihilominus eam tantum uti authenticam Gregoriani cantus formam atque legitimam hodie habendam esse, quae iuxta Tridentinas sanctiones a Paulo V, Pio IX sa. me. et Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII, atque a Sacra Rituum Congregatione, iuxta editionem Ratisbonae adornatam, rata habita est et confirmata, utpote quae unice eam cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Quocirca de hac authenticitate et legitimitate inter eos, qui Sedis Apostolicae auctoritati sincere obsequuntur, nec dubitandum, neque amplius disquirendum esse. Ut vero cantus, qui in sacra Liturgia, stricto sensu accepta adhibetur, uniformis ubique existat in novis editionibus Missalium, Ritualium ac Pontificalium, eae partes, quae musicis notis designantur, ad normam Editionis praedictae a S. Sede approbatae, utpote continentis cantum liturgicum proprium Ecclesiae Romanae, ut praefert ipse titulus in fronte cuiusque libri appositus, exigantur, ita ut illius textui sint omnino conformes. De cetero quamvis, iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem cum de uniformitate in ecclesiastica liturgia inducenda actum est, praefatam editionem singulis Ecclesiis non imponat, nihilominus iterum plurimum hortatur omnes reverendissimos locorum Ordinarios aliosque ecclesiastici cantus cultores, ut illam in sacra Liturgia, ad cantus uniformitatem servandam, adoptare curent, quemadmodum plures iam Ecclesiae laudabiliter amplexae sunt. Et ita declaravit die 10 Aprilis 1883.

Facta autem de his omnibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit die 26 eiusdem mensis et anni.

ENGOLISMEN.

In Dioecesi Engolismen. plusquam sexaginta Ecclesiae reperiuntur olim Parochiales, deinde suppressae, quae etsi stricte filiales aliarum nunc temporis Parochialium non sint, tamen et administrationi Sacramentorum, et exequiis peragendis aliisque functionibus commoditati parochi et Fidelium inserviunt. Hos inter Rmus Dñus Alexander Leopoldus Sebaux hodiernus Episcopus Engolismen. exposuit existere parochialem Ecclesiam et adiacens territorium sub nomine s. Georgii Martyris, quem ex provectioribus incolis testimonio patet ante Concordatum fuisse Loci Patronum, ideoque tunc temporis ab operibus servilibus abstinuisse sacroque in die ipsius Sancti Martyris Festo interfuisse iidem

testantur. Hinc idem Rm̃us Orator insequentia Dubia pro opportuna resolutione enodanda proposuit, nimirum:

I. An s. Georgius, velut loci Patronus, habendus et colendus sit, quamvis territorium non amplius paroeciam distinctam efformet, sed alteri paroeciae unitum fuerit, cum de titulis Ecclesiarum tantum, non vero de locorum patronis Constitutio sa. me. Pii Papae VII., qui *Christi Domini,* et Decretum subsequens mentionem faciant? Et quatenus affirmative;

II. Utrum Parochus, qui nunc prope hodiernam Ecclesiam parochialem residet et non intra territorium s. Georgio dicatum, quique iam in die Festo s. Petri ad vincula Patroni tum parochialis Ecclesiae cum circumiacentis territorii Missam pro populo applicaverit, ad secundam Missam teneatur die festo sancti Georgii?

III. Utrum idem Parochus teneatur ad officium s. Georgii sub duplici I. classis cum octava recitandum; et quatenus affirmative, an translationes seu mutationes quascumque in Kalendario Dioecesis exinde sequentes observare teneantur tantum quando celebrat in Ecclesia s. Georgii, vel etiam quando celebrat in Ecclesia hodierna parochiali?

IV. Utrum idem Parochus possit vel debeat solemnitatem s. Georgii transferre in Dominicam sequentem, Missamque propriam de eodem Sancto cantare more votivo prout fit in Gallia pro Patronis iuxta ordinationem Cardinalis Caprara Legati a latere, atque utrum eam Missam in Ecclesia s. Georgii tantum vel etiam in Ecclesia Parochiali cantare possit aut debeat?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, attenta praesertim Oppidi denominatione a sancto Georgio, quod grave argumentum suppeditat Patronatus.

Ad II. et III. Affirmative in omnibus.

Ad IV. Affirmative in Ecclesia Oppidi a sancto Georgio nuncupati. Atque ita respondit ac rescripsit. Die 18 Maii 1883.

MARIANOPOLITANA.

Rm̃us Episcopus Marianopolitanus insequentium Dubiorum resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expetivit, nimirum:

Dubium. I. Utrum in Ecclesiis ubi non adest stricta obligatio chori, Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis omitti valeat aut debeat?

1. Quando Vesperis coram SSm̃o Sacramento exposito celebratis, statim fit repositio, qua peracta, clerus discedit?

2. Quando post Vesperas in-

choatur brevis expositio cum Ostensorio seu Pixide, clerusque post benedictionem et repositionem egreditur?

3. Quando inter Vesperas et supradictam repositionem intercedit concio vel processio?

4. Quando post Vesperas Ostiolum Tabernaculi ad privatam expositionem operitur, ac mox benedictione non impertita, clauditur?

Et quatenus affirmative, quomodo Vesperae sint concludendae?

Dubium II. Si contingat in recitatione privata, separari Matutinum a Laudibus, quaeritur quomodo concludendum sit Matutinum, praesertim in feriis maioribus, in quibus preces flexis genibus addendae sunt ad omnes Horas? et quomodo inchoandae sint Laudes?

Dubium III. Utrum festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis intra Quadragesimam occurrente liceat, ubi non existit obligatio chori, cantare, statim post Missam, Vesperas festivitatis? Et quatenus affirmative, an possit Celebrans, deposita stola, manipulo, pluviale super albam induere, an vero ad sacristiam recedere debeat, et cum superpelliceo et pluviali mox redire?

Dubium IV. Ex Indulto apostolico, recenter Provinciae Quebecensi concesso, semel in anno, die qua in unaquaque Ecclesia cum assensu Ordinarii fit expositio Reliquiarum ibidem asservatarum, licet unam Missam cum cantu celebrare de ss. Reliquiis, uti in Appendice Missalis Romani, exceptis Duplicibus primae classis, Dominica SSmae Trinitatis, nec non Dominicis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis, absque praeiudicio Missae conventualis vel parochialis de die vel festo occurrente, illis in Ecclesiis et diebus quibus praedictae Missae parochialis vel conventualis celebrandae obligatio existit, ac servatis Rubricis; quaeritur:

1. Quot et quales Reliquiae requirantur et sufficiant ut habeatur ius isto privilegio utendi? et quatenus satis foret exponere Reliquias Sanctorum non Martyrum, quisnam color in Missa esset adhibendus?

2. Quum in Appendice diversorum exemplarium Romani Missalis inveniantur diversae in honorem ss. Reliquiarum Missae, an eligi debeat aut saltem valeat ista Missa, cuius introitus incipit « Multae tribulationes » cum Oratione « Auge » Epistola « Hic vero » et Evangelium « Descendens Iesus »?

3. An ritus duplex primae classis assignandus sit supradictae Missae, an vero ritus inferior?

4. Ubi neque de iure, neque de facto celebratur Missa conventualis vel parochialis et altera Missa non cantatur conformis officio diei, quaenam regula sequenda sit quoad commemorationem Officii currentis, cantum Symboli, Praefationem in Dominicis ac ultimum Evangelium Dominicae aut Feriae maioris occurrentis?

5. Utrum nomine Ecclesiarum

veniant etiam Oratoria privata? et quatenus negative, idem Rmus Episcopus postulat ut sibi facultas impertiatur supradictam solemnitatem permittendi in Oratoriis sive publicis sive etiam piorum locorum internis, si hoc ad spirituale bonum fidelium et ad honorem Sanctorum promovendum expedire iudicaverit?

Dubium V. In Ecclesiis, ubi obligatio chori non existit, Expositio Quadraginta horarum peragitur ex mandato Ordinarii iuxta ordinationem Clementinam; quaeritur:

1. Utrum prima et tertia die, si non cantata fuerit altera Missa conformis Officio currenti, debeant in Missa votiva SSmi Sacramenti quaelibet commemorationes omitti? An vero Celebrans sub distincta conclusione cantare teneatur tum orationem Missae de die, quamvis sit de vigilia communi, de qua nihil fit in Duplici primae classis, aut de die infra octavam, festo simplici aut feria communi, quorum commemoratio locum non habet in duplici secundae classis, tum caeteras commemorationes speciales, quae adderentur in Missa occurrenti, v. g. de Dominica per annum, de die infra octavam etc.?

2. An secunda die, quando Missa *Pro Pace* seu alia votiva rite assignata celebratur, collecta SSmi Sacramenti sub una conclusione Oratione Missae adiuncta, commemorationes omittendae sint, an non sicut supra quaesitum est?

3. Utrum si primam vel tertiam diem impeditam esse contigerit:

A. Commemoratio SSmi Sacramenti post Orationem Missae. sub unica conclusione semper cantanda sit, non exceptis, feria V. in Coena Domini, Sabbato Sancto, ac festo Sanctissimi Cordis?

B. Adiungi debeant sub distincta conclusione, servato ritu Missae intrinseco, singulae commemorationes tum speciales tum communes quae in eadem Missa, si cantaretur, extra solemnis expositionis tempus essent faciendae?

4. Utrum si pari modo secunda dies fuerit impedita adiiciendae sint, tum Oratio Missae *pro pace* seu alterius legitimae assignatae, tum collecta SSmi Sacramenti? Et quatenus affirmative, quisnam locus utrique orationi sit assignandus?

5. An feria IV. Cinerum in unam ex tribus supradictae expositionis occurrente, tonus ferialis in cantu Orationum, Praefationis et *Pater noster* sit adhibendus? Utrum omittenda sit Oratio supra populum?

Dubium VI. Utrum Decretum, vi cuius Missae propriae Regularium in ipsarum Ecclesiis absque speciali indulto nequeunt ab extraneis Sacerdotibus usurpari, comprehendat pariter Missas proprias, quae apud varias Dioeceses atque Communitates, simplicia aut etiam nulla vota emittentes, ex Apostolica benignitate fuerunt Missali Romano additae.

Sacra porro Rituum Congrega-

tio, post exquisitum in scriptis votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem infrascripti Secretarii omnibus mature perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Quoad singulas partes, laudabiliter in casu dicitur Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis in fine vesperarum.

Ad II. Matutinum in casu concludendum Oratione de Officio diei, Laudes inchoandas ut in Psalterio.

Ad III. Licere, assumpto per Celebrantem pluviali super alba aut superpelliceo.

Ad IV. Quoad primam partem, sufficere aliquot Sanctorum Reliquias etiam parvo numero: si non adsit Reliquia SSmae Crucis, aut alicuius Sancti Martyris, paramenti color sit albus; quoad secundam partem affirmative; quoad tertiam, assignandus ritus Duplicis minoris; quoad quartam, sequenda regula a Rubricis descripta; quoad quintam negative: quod vero attinet ad petitam extensionem indulti, non expedire.

Ad V. Quoad primam, secundam, tertiam, quartam quaestionem, serventur Rubricae et Clementina ordinatio, scilicet: in Missa votiva SSmi Sacramenti pro solemni eiusdem expositione ac repositione omittenda est quaelibet commemoratio et collecta. Infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi Missa erit de Octava eadem cum Sequentia, et unica Oratione absque Commemorationibus et Collectis. In Dominicis vero privilegiatis primae et secundae classis, in festis pariter primae et secundae classis, feria IV. Cinerum, feria II. III. et IV. Maioris hebdomadae, a mane enim Feriae V. ad mane Sabbathi Sancti a praedicta expositione omnino cessandum, omnibus diebus Octavae Paschae, Pentecostes et Epiphaniae, Vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes, nec non Octava propria privilegiata, canenda est Missa diei currentis cum Oratione SSmi Sacramenti sub unica conclusione, omissis collectis et Commemorationibus. Quod si festum aliquod primae vel secundae classis occurrat in Dominica, tunc secundo loco sub distincta conclusione fit commemoratio Dominicae, et dicitur eius Evangelium in fine. Missae tandem *Pro pace* adiungitur Oratio Sanctissimi Sacramenti sub unica conclusione. In diebus tamen exceptis ut supra, Missa canenda erit diei currentis cum Oratione *Pro pace* sub unica conclusione. Quoad quintam quaestionem ad primam partem affirmative, ad secundam negative.

Ad VI. Affirmative. Atque ita rescripsit, declaravit, ac servari mandavit. Die 18 Maii 1883.

RAVENNATEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Eminentissimi Archiepiscopi et Ecclesiae Metropolitanae Ra-

venuaten., a S. R. C. humillime postulavit insequentium Dubiorum solutionem, nimirum :

Dubium I. Ex iure acquisito et antiquissima consuetudine, nec non a Dioecesana Synodo, par. 2 c. XI. II, 22, confirmato et approbato in cadaverum expositione, quae ex testatoris voluntate, vel haeredum fit in Ecclesia non propria, duplices celebrantur exequiae: Primum a Parocho defuncti per Nocturnum et exequias absque Missa, deinde a Rectore exponentis Ecclesiae per Nocturnum Missam et exequias. Quaeritur proinde an in utriusque exequiis recitari debeat Oratio *Non intres in iudicium?*

Dubium II. Et quatenus negative, in quibusnam exequiis sit legenda?

Dubium III. An Episcopi in Missis de tempore Passionis assumere debeant Manipulum ante ℣. *Deus tu conversus,* ut in aliis Missis de festo, seu vivorum; vel potius ante Crucem pectoralem, prout in Missis Defunctorum. Ratio dubitandi est, quia in Missis de tempore Passionis omittitur Psalmus *Iudica me* sicut in Missis de Requie, in quibus proinde Episcopi, ut aiunt Sacrorum Rituum expositores, accipiunt Manipulum ante Crucem pectoralem?

Dubium IV. Utrum Missa de Anniversario electionis et consecrationis Episcopi in collegiatis, et cathedralibus Ecclesiis vetita sit tantummodo Dominicis ceterisque diebus festivis, ut erui posse videtur ex Caeremoniale Episcoporum, lib. 2. cap. XXXVII. 1, vel etiam prohibeatur omnibus festis primae et secundae classis, non de praecepto?

Dubium V. Et quatenus affirmative ad secundam partem: utrum in Missa conventuali addi possit commemoratio Anniversarii sub unica conclusione? Ratio dubitandi est quia responsa S. Rituum Congregationis, dum respiciunt Missas cantatas et solemnes, videntur innuere Missas, quae non sunt Conventuales Cathedralium et Collegiatarum.

Dubium VI. An pariter prohibeatur haec Missa solemnis in Cathedralibus et Collegiatis ceteris diebus non festivis, sed duplicia excludentibus?

Dubium VII. Et quatenus affirmative; an pariter exclusa remaneat hisce diebus commemoratio Anniversarii in Missis lectis?

Dubium VIII. Utrum quod statuitur pro Anniversario electionis et consecrationis Episcopi, intelligi debeat statutum pro Anniversario electionis et coronationis Summi Pontificis?

Dubium IX. P. Aloisius M. a Carpo in suo Kalendario perpetuo in adnotationibus ad festa Ianuarii die 6 docet « nullas exequias mane palam esse peragendas in festis quibusdam solemnioribus, at officium cum precibus recitandum esse privatim sub vesperam »:

Quaeritur ergo utrum vere extet decretum aliquod vel lex statuens hisce diebus nullas exequias mane palam esse peragendas?

Dubium X. Et quatenus affirmative, an exequiarum nomine veniant et delatio solemnis cadaverum ad Ecclesiam, et aspersio aquae benedictae cum recitatione Psalmi *De Profundis* quae fit a Choro ad ianuam domus Defuncti, et iterum in Ecclesia priusquam cadaver ad coemeterium deferatur?

Dubium XI. An per viam recitari possint sine cantu quidem vel alternatim a Sacerdotibus Psalmi consueti?

Dubium XII. An item sine cantu recitari possint in Ecclesia Officium Defunctorum et preces exequiales?

Dubium XIII. Sacra Rituum Congregatio sub die 14 Maii 1606 in Placentina ad 14 declaravit rem gravem diei quando Missa votiva solemniter ab Episcopo et universo Clero et civitate cum interventu Magistratus. Quaeritur ergo utrum necesse sit ut Episcopus, nisi legitime impediatur, intersit Missae eiusmodi ut Missa dicatur pro re gravi, et cantari possit etiam in Duplicibus minoribus et maioribus; vel sufficiat ut pro hac Missa cantanda accedat tantum consensus Episcopi sine interventu?

Dubium XIV. An quando in altari lapis sepulchri firmus non invenitur, sed certo constat nunquam fuisse amotum, Episcopus possit vel per se vel per alium, quin lapis ipse amoveatur, firmare, novo addito caemento? vel altare eo ipso profanatum censendum sit, ita ut nova indigeat consecratione?

Dubium XV. Et quatenus affirmative ad primam partem; an idem dicendum in casu quo dubitari possit amotum fuisse lapidem. Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione infrascripti Secretarii, nec non sententia R. P. D. Augustini Caprara Sanctae Fidei promotoris, propositis Dubiis maturo examine perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. Oratio *Non intres* ex Rubrica Ritualis Romani in casu dicenda tantum finita Missa.

Ad II. Provisum in praecedenti.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta alias decreta.

Ad V. Affirmative quando non celebratur Duplex primae classis, in quo de anniversario nihil fit.

Ad VI. Affirmative iuxta Decreta.

Ad VII. Ut in antecedenti.

Ad VIII. Affirmative quoad Missam, ubi est praeceptiva, et quoad commemorationem.

Ad IX. et X. Dentur Decreta in

Placentina die 11 Augusti 1736 (1), in Lamacen. die 8 Iulii 1741 (2) et Decretum Generale die 16 Martii 1882 (3).

Ad XI. et XII. Quoad fieri potest, servetur Ritualis Romani praescriptum.

Ad XIII. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad XIV. Affirmative, attamen per se, nisi obtineatur Apostolica facultas subdelegandi.

Ad XV. In casu denuo consecretur forma consueta, vel breviore, si haec ab Apostolica Sede impetrata fuerit.

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit. Die 18 Maii 1883.

(1) PLACENTINA. Ex parte Magistri caeremoniarum cathedralis Ecclesiae Placentinae S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii demisse supplicatum fuit.

An in Feria VI. Parasceve, expleta huius diei officiatura, solemnes exequiae supra cadaver cuiusdam Monialis expositum in Ecclesia interiori, libere celebrari possint a Sacerdotibus in Ecclesia exteriori, ut moris est, decantantibus mortuale Officium cum intortitiis accensis?

Et S. eadem R. C., audita prius informatione Episcopi, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Zondadari: respondendum censuit: « Negative per totum triduum, et Officium, et Preces recitentur privatim. » Et ita declaravit. Die 11. Aug. 1736.

(2) LAMACEN. Moniales Monasterii das Chagas nuncupat. Civitatis Lamacen. sub regula s. Francisci Sac. Rit. Congreg. pro declaratione Dubii in infrascripto supplici libello idiomate vulgari porrecto, humillime supplicarunt, tenoris sequentis, videlicet:

« Emi e Rmi Signori: D. Antonio Telles Vescovo della Città di Lamego già » defonto, fondò un Monastero di monache in detta Città nuncupato das Chagas » sotto la regola di s. Francesco, imponendo a dette Monache di recitare quotidia- » namente l'Officio Divino, e che nell'ora di Terza si cantasse da un Cappellano » la Messa, che concordasse coll'Offizio suddetto, e questa terminata, si cantasse » un Responsorio sopra la sua sepoltura situata nella Chiesa di detto Monastero, » senza eccettuare verun giorno. Perlochè le Monache del Monastero suddetto Ora- » trici Umilis. dell'EE. loro, riconoscendo, che il cantarsi il detto Responsorio » ne' giorni festivi, ed in particolare di prima classe, o in occasione di qualche » festività, che si celebra in detta Chiesa, sia inconvenevole, e che rechi scan- » dalo al popolo, ricorrono all'EE. VV. umilmente supplicandole, dichiarare, se » ne' giorni impediti, come sopra, può lasciarsi di cantare il detto Responsorio » col farlo anticipatamente nel giorno avanti, oppure susseguentemente in giorno » non impedito, cantarsene quanti ne saranno stati tralasciati per causa de' giorni » impediti, che etc.? »

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, censuit, ut supradictum responsorium pro defunctis sic, Testatore iubente, quotidie possit decantari, exceptis duplicibus primae, et secundae classis, et Octavis eorumdem Festorum privilegiatis, nec non tota hebdomada maiori. In Festis autem primae classis, et Octavis privilegiatis, praedictaque maiori hebdomada, ne pia Testatoris voluntas defraudetur, recitetur, privatim in Choro a Monialibus praedictis, absolutis horis Canonicis. Et ita declaravit. Die 8. Iulii 1741.

(3) DECRETUM hoc generale iam relatum fuit hoc volumine pag. 52.

SANCTIMONIALIUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI CONGREGATIONIS CALVARII IN GALLIA.

Sanctimoniales Ordinis sancti Benedicti Congregationis Calvarii in Gallia in Dioecesi Pictavien. degentes a sa me. Pio Papa IX per decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 25 Ianuarii 1866 facultatem obtinuerunt persolvendi divinum Officium iuxta Kalendarium pro Congregatione Gallica Ordinis Sancti Benedicti approbatum. Quoniam vero in eo decreto haec leguntur « Sanctitas sua propositum Kalendarium suprema auctoritate sua clementer approbavit, indulsitque ut eidem conformare se possint Sacerdotes tum saeculares tum regulares in praedictarum Sanctimonialium Ecclesiis vel sacellis sacrum facturi »; sequentia dubia exorta sunt, quorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione, Rmo Episcopo Pictaviensi assentiente, expostularunt:

Dubium I. Sacerdotes in Ecclesia Sanctimonialium Sancti Benedicti Congregationis Calvarii celebrantes tenentur ne, vi huius Decreti, Missas dicere Sanctimonalium Officiis respondentes ea conditione, ut hae Missae legantur in solo Missali romano vel potius Missam celebrare propriam ad usum Congregationis Gallicae Ordinis Sancti Benedicti?

Dubium II. Possunt ne iidem Sacerdotes Missas legere pro quibusdam tantum locis approbatas, quando respondent Missis iisdem Sanctimonialibus concessis?

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito antea voto unius ex Consultoribus Congregationis ipsius, sic rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, exceptis die ac octava Sancti Benedicti; ad secundam negative.

Ad II. Negative, si Missae pro Dioecesi non sunt concessae. Atque ita rescripsit. Die 18 Maii 1883.

CUNEEN.

Rmus D. Andreas Formica Episcopus Cuneen. quum in pastorali suae Dioeceseos visitatione peragenda nonnulla reperiisset, quae liturgicis praescriptionibus haud plane conformia sibi viderentur, sui muneris esse duxit desuper his a Sacra Rituum Congregatione sententiam humillime exquirere insequentibus propositis Dubiis, nimirum:

Dubium I. Utrum Episcopus praecipere possit ut altaria ad quae per duos aut plures gradus ascenditur, sint insuper ligneo suppedaneo instructa, vel saltem tapete cooperta praesertim in diebus solemnioribus?

Dubium II. In Dioecesi Cuneen. usus invaluit relinquendi tempore Missae super altare, et quidem in

posteriori eius parte, circumvolutum ligneo bacillo stragulum, quod inservit tobaleis altaris extra Missam operiendis ne pulvere sordeant. Utrum huiusmodi usus probari aut tolerari possit?

Dubium III. Utrum tolerari possit usus statuendi crucem super throno, et in eo praecise loco, super quo publicae adorationi in ostensorio exponitur SSma Eucharistia? Et quatenus affirmative, num tolerari possit usus Crucem ipsam superimponendi corporali, quod Expositioni inservit?

Dubium IV. Utrum lampas, quod coram SSmo Sacramento collucere debet, sustentari liceat brachio ex metallo parieti infixo ad similitudinem cornucopiae, an potius suspensa ope chordularum esse debeat, prout universalis fert usus?

Dubium V. Utrum tolerari possit usus adhibendi huiusmodi lampades ex vitro non pellucido et diaphano, sed colore aliquo tincto v. g. viridi, vel rubro?

Dubium VI. Utrum occasione alicuius Festi, Tridui, Novendialis, aut Mensis v. g. Maii B. M. V. dicati, lunii in honorem SSmi Cordis Iesu, liceat SSmam Eucharistiam ab altari Maiori super quo asservatur, ad altaria transferre in Ecclesiae lateribus erecta, ut in Festo sive per Triduum, Novendiale, Mensem, et Sacra Communio in iis distribuatur et populo Benedictio impartiatur?

Dubium VII. In solemnitate SSmi Corporis Christi consuevit in hac Dioecesi Episcopus Missam planam, seu sine cantu, celebrare omnibus pontificalibus paramentis indutus, cum assistentia omnium Ministrorum paratorum et cum incensatione ad Introitum et ad Offertorium. Quum huiusmodi ritus videatur non omnino conformis praescriptioni Caerimonialis Episcoporum, quaeritur utrum attenta antiquissima consuetudine retineri possit?

Dubium VIII. Ex antiquissima pariter consuetudine in hac Dioecesi vigente, Episcopo quoties populum cun SSmo Sacramento ipse est solemniter benedicturus, Ostensorium porrigit, loco Diaconi assistentis, Presbyter assistens, qui idcirco praeter pluviale stolam induit. Quum vero id dissonum videatur a praescriptione Caeremonialis Episcoporum lib. 2 cap. 23 num. 12, et cap. 33 num. 20, unde videtur desumenda regula servanda in similibus functionibus, quae saepius per annum occurrunt, quaeritur num memorata consuetudo servari possit?

Dubium IX. Pontificale Romanum P. I. *De ordinibus conferendis* omnia perquam accurate describit et prosequitur quae sive ab Episcopo Ordines conferente sive ab ordinandis dicenda sunt vel agenda, eos veluti manu ducens per singulas sacri mysterii actiones. Cum vero pervenit ad ordinationem Diaconi, ait « Conversus (Pontifex)

cantat Orationem Missae diei cum oratione pro ordinatis et ordinandis sub uno *Per Dominum.* Finita oratione sedet Pontifex etc. » Ibi nulla fit mentio de aliis orationibus quae addendae essent in Missa diei iuxta rubricas Missalis, quae potius excludi videntur. Verumtamen extat Decretum S. R. C. diei 26 Ianuarii 1658 in Conchen. quo praedictarum Orationum recitatio generatim praescribi videtur. Hinc quaeritur utrum huiusmodi Decreti dispositio locum tantum habet in Ordinationibus particularibus, seu quae privatim fiunt ab Episcopo in suo Sacello, an etiam in generalibus quae fiunt in Cathedrali, sed sine cantu et sine assistentia ministrorum paratorum, an tandem etiam in iis, quae solemniter fiunt cum cantu et cum ministrorum paratorum assistentia ?

Dubium X. Licet ne Missam nocte Nativitatis Domini ita praemature inchoare, ut adveniente hora mediae noctis iam sit decantatum Evangelium ?

Dubium XI. Rituale Romanum in Ordine administrandi Sacram Communionem habet sequentem Rubricam « Sacerdos reversus ad Altare dicere poterit : *O Sacrum convivium* et ℣. *Panem de coelo etc.* ℟. *Omne delectamentum* etc. tempore Paschali additur *Alleluia.*» Quaeritur utrum *Alleluia* addendum etiam sit antiphonae *O Sacrum convivium* prout tradebant antiquiores Rubricarum expositores, an tantum versiculo *Panem de coelo* quod recentioribus placet ?

Dubium XII. Utrum, quando ostensorium a Sacerdote superpelliceo et stola induto defertur ab altare in quo asservatur, ad aliud super quo publicae adorationi exponenda est SSma Eucharistia, aperiri debeat extremitate veli humeralis e Sacerdotis collo pendentis ?

Dubium XIII. Quando duplex in responsoriis reperitur asteriscus, debet ne prima repetitio fieri usque ad versum, an usque ad asteriscum secundum tantum ? Recentiores sacrorum Rituum explanatores contra Gavantum et Meratum hanc postremam sententiam tenent duobus S. R. C. Decretis innixi, uni scilicet diei 6 Septembris 1834 in Lauretana, alteri vero die 7 Decembris 1844 in Mechlinien. ; sed horum Decretorum primum videtur tantum indultum, Basilicae Lauretanae concessum : alterum vero quum tantum respiciat primum responsorium Dominicae primae Adventus, et ultimum in Matutinis Defunctorum, de quibus nullum dubium enasci potest, videtur ad rem non facere.

Dubium XIV. In quadam recenti Breviarii Romani editione quae Taurini prodiit, legitur in die octava Dedicationis Ecclesiae sequens Rubrica « In tertio Nocturno Homil. ut in die festo, si omnes per Octavam lectae sint, secus quae primo omissa fuerint ». Quaeritur I. utrum haec Rubrica sit authentica:

II. Et quatenus negative, utrum saltem regula per eam tradita Rubricis et S. Rit. Congregationis Decretis sit conformis?

Dubium XV. Utrum tolerari possint planetae ex panno serico frondibus floribusque, uti assolet, ornatae partim acu pictis, partim vero coloribus penicilli ope?

Dubium XVI. Utrum occasione solemnis Tridui Expositionis SSmi Sacramenti pulsari liceat organum in Missa solemni de Dominicis vel feriis Adventus et Quadragesimae?

Sacra vero eadem Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii post exquisitam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, nec non Rmi Assessoris Congregationis ipsius sententiam, omnibus mature perpensis sic rescribere rata est.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Usum in casu improbandum.

Ad III. Negative in omnibus.

Ad IV. Utroque modo lampadem adhiberi posse; dummodo intra et ante altare continuo ardeat.

Ad V. Affirmative, idest tolerari posse.

Ad VI. Affirmative, dummodo tamen Sanctissima Eucharistia in duobus altaribus continuo non asservetur.

Ad VII. et VIII. Consuetudinem in casu utpote abusum et corruptelam esse omnino eliminandam, et servandum Caeremoniale Episcoporum.

Ad IX. Dispositionem allati Decreti in Conchen. in omnibus sacris ordinationibus locum habere.

Ad X. Servandam esse rubricam generalem Missalis Romani tit. XV num. 4.

Ad XI. In casu adiungitur *Alleluia* tum Antiphonae, tum ℣. et ℟.

Ad XII. SS̃mam Eucharistiam in casu non esse deferendam in ostensorio, sed in capsula, aut sin minus in sphaera.

Ad XIII. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam iuxta alias decreta, et ut suis locis notatur in Breviario.

Ad XIV. Legendae lectiones tertii Nocturni, quae primae infra octavam omissae fuerunt, quando vero omnes lectae sint, in Octava erunt ut in festo, ceu in Decreto Minoricen. 27 Augusti 1836 (1).

(1) MINORICEN. Ut in Ecclesiasticis Caeremoniis, Sacrisque Ritibus singula ex ordine procedant, Revm̃us Episcopus Minoricen. sui muneris esse duxit Sacram hanc Rituum Congregationem adire, ac insequentium Dubiorum declarationem efflagitare, nimirum:

I. An in Missa Sancti Vincentii Levitae Martyris, de quo in Regno Hispaniarum Officium quotannis persolvitur ex Apostolico Indulto diei 5 Iulii 1819 sub ritu secundae classis cum Octava dicendum sit Symbolum Nicaenum?

II. Quum ob elevationem ritus memorati Officii Sancti Vincentii, alia die instituendum sit Festum Sancti Anastasii Martyris: quaeritur an pro Officio Sancti

Ad XV. Tolerari posse. in casu servandam esse strictim
Ad XVI. Quoad Organi sonitum Caeremonialis dispositionem ; iuxta

Anastasii ad libitum assignari possint Lectiones tertii Nocturni, et Missa de Communi.

III. An item liceat ad libitum in quolibet Officio assignare Missam de Communi, quae est primo loco et Homiliam, quae in eodem Communi habetur vel secundo, vel tertio loco? et sic e converso?

IV. An stante Rubrica, quae in aliquibus Breviariis praecedit Evangelium: *Nolite arbitrari:* et Homiliam, scilicet pro Martyre non Pontifice, quando dicitur Missa: *In virtute tua:* aut ea, quae solum ait pro Martyre non Pontifice, intelligi debeat cum particula extensiva tantum?

V. Quum diversa opinentur circa designationem Lectionum tertii Nocturni in Octava Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, et in die pariter Octavae Dedicationis Ecclesiae, siquidem alii dicant sumendas esse de secunda die, alii de quarta die infra Octavam, quaeritur quae certa indubiaque regula servari debeat?

VI. Quum pro nonnullis Sanctis propriis Regni Hispaniarum, de quibus recitatur Officium ritu duplicis minoris habeantur Lectiones primi Nocturni de Communi, pro aliis vero de Scriptura occurrente, quaeritur quae certa regula sequi debeat quoad memoratas primi Nocturni Lectiones in Officiis duplicibus minoribus?

VII. An quoad easdem Lectiones primi Nocturni in duplicibus minoribus standum sit dispositionibus Directorii, vel Breviarii?

VIII. An licitum sit in duplicibus minoribus, et etiam semiduplicibus Lectiones primi Nocturni pro lubitu desumere vel de Communi, vel de Scriptura, quando diversitas extat inter dispositionem Directorii, et Breviarii?

IX. An illa Festa, quae prius concessa fuere aliquibus Ecclesiis, vel Dioecesibus cum Lectionibus primi Nocturni propriis, vel de Communi et deinde concessa fuit extensio pro omnibus Hispaniarum Regnis, vel pro toto Clero cum Lectionibus propriis, retinere debeant Lectiones primi Nocturni proprias, vel de Communi.

X. An in omnibus Festis, in quibus habentur responsoria propria, semper in Nocturno Lectiones sumi debeant de Communi?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, re mature diligenterque examinata, acceptaque a me infrascripto Secretario fideli relatione, singulis propositis Dubiis satisfacientes respondendum censuerunt.

Ad I. « Affirmative ex concessione, »

Ad II. III. et IV. « In casu dicendam esse Missam *In virtute :* cum Evangelio *Si quis venit:* instar concessionis factae Clero Ulysipponen. die 17. Sept. 1744. In similibus supplicetur particulariter. »

Ad V. « Servetur rubrica peculiaris Breviarii Romani, adeo ut quando nullae Lectiones intra octavam sint lectae, in die octava legantur, ut in secunda die: quando vero omnes fuerint lectae, in Octava erunt in Festo. »

Ad VI. « Lectiones primi Nocturni in casu esse de Scriptura, nisi diversae in Indulto expresse assignentur. »

Ad VII. « Iam provisum in proximo. »

Ad VIII. et IX. Ut ad proximum. »

Ad X. Affirmative »

Atque ita rescripsere, ac servandum omnino mandarunt. Die 27 Augusti 1836.

Decreta praesertim in Taurinen. 11 Septembris 1847 (1).

Atque ita rescripsit, declaravit, et servari mandavit. Die 2 Iunii 1883.

CADURCEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis cadurcensis Sacrorum Rituum Congregationi exposuit, moris esse in Processione solemni cum SSmo Eucharistiae Sacramento (et in die Adorationis perpetuae) quae fit in festo Sanctissimi Corporis Christi, non quidem mane celebrata Missa, sed post Vesperas, ut Sacerdos celebrans, Canonicus vel etiam simplex sacerdos, induatur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali, adsistentibus Diacono et Subdiacono paratis uti in Missa, sed sine manipulo. Hinc ab eadem Sacra Congregatione exquisivit: I. An eiusmodi usus sit secundum rubricas? II. Et quatenus negative; an Canonicus celebrans in casu debeat indui tantum rochetto cùm stola et pluviali, aut si simplex sacerdos, uti superpelliceo loco rochetti? Et III. An dum assistentes, diaco-

(1) TAURINEN. Hodiernus Praepositus Congregationis Oratorii in Civitate Taurinen. quum deprehenderit in Ecclesia suae Congregationis immemorabiles nonnullas consuetudines, quae Ecclesiasticis sanctionibus non apprime concordant, illas Sacrae Rituum Congregationi exponere censuit, ac insimul rogare ut illas permittere saltem dignaretur; nam de medio tollere difficile admodum arbitratur. Quae quidem consuetudines tribus sequentibus Dubiis exponuntur, nimirum:

1. An tolerari possit usus, ut tempore sacri Adventus, et Quadragesimae in Dominicis ad Missas solemnes et Vesperas pulsentur Organa?

2. An pariter tolerandus sit usus quod in Missis cum cantu praetermittatur cantus Introitus, Offertorii, Communionis, et quando post Epistolam occurrit, etiam Sequentia? Item quod in Missis defunctorum praetermittatur cantus saltem integrae Sequentiae *Dies irae*, et Offertorii, ac post easdem Missas defunctorum, quae tamen ex nulla obligatione decantantur, an praetermitti possit cantus saltem alicuius partis absolutionis?

3. Utrum itidem ferendus sit usus, ut post Vesperas Feriae quintae in Coena Domini denudatio Altarium fiat per simplicem Sacerdotem Superpelliceo et Stola indutum, cum duobus Clericis Superpelliceo pariter indutis, non vero a Celebrante cum Ministris, uti in Missali indicitur?

Et Sacra eadem Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente me subscripto Secretario, post accuratum, tum precum, tum Decretorum examen, rescripsit:

Ad 1. « Quoad Organi sonitum strictim servandam esse Caeremonialis dispositionem, non obstante consuetudine. »

Ad 2. « Vel non celebrandas Missas Defunctorum, vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respiciant. »

Ad 3. « Servari posse consuetudinem: dummodo Sacerdos Altaria denudet Feria quinta in Coena Domini. »

Die 11 Septembris 1847.

nus scilicet et subdiaconus, debeant assumere paramenta sui ordinis, vel potius superpelliceum cum pluviali?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic respondendum censuit:

Ad I. Affirmative prouti praescribitur in Caeremoniali Episcoporum.

Ad II. et III. Provisum in primo. Atque ita respondit. Die 15 Iunii 1883.

CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM OBLATORUM SS. ET IMMACUL. VIRGINIS MARIAE.

Ex bulla sa. me. Benedicti Papae XIV. data sub die 24 Februarii 1748 s. Franciscus Xaverius confessor habendus est uti Patronus Principalis Indiarum cum omnibus et singulis praerogativis quae iuxta Breviarii ac Missalis Romani Rubricas Sanctis praecipuis locorum patronis competunt, atque ideo eius festum sub ritu duplicis primae classis cum octava quotannis ibi peragendum est. Iam vero nunc dubium movetur an Regulares et Congregationes religiosae, quae proprium habent officium, plane subiiciantur praefatae Bullae praescriptioni; ac proinde debeant 1. Commemorationem eiusdem Sancti facere quotiescumque recitandae sunt Commemorationes communes in officio? 2. Festum ipsum celebrare sub ritu duplicis primae classis? Huius dubii solutionem quum Sacerdos Hector Maursit, e Congregatione Missionariorum Oblatorum Sanctissimae et Immaculatae Conceptionis Mariae Virginis in insula Ceylan a Sacra Rituum Congregatione humillime postulaverit; Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, sic rescribere rata est:

Ad I. Affirmative, posita consuetudine.

Ad II. Festum in casu a Regularibus celebrandum sine octava, nisi eisdem haec specialiter sit indulta. Atque ita rescripsit. Die 15 Iunii 1883.

URGELLEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis urgellensis et Sacrae Liturgiae professor, de Episcopi sui consensu sequens Dubium Sacrae Rituum Congregationi resolvendnm proposuit, nimirum:

Communis praxis est in Ecclesiis praesertim parochialibus recipere populi oblationes ad balaustium post lectum Offertorium in solemnioribus festis. Attamen, alii Lignum Sanctissimae Crucis, alii vero stolam vel manum praesertim viris, ad deosculandum praebent, interim dicentes *oblatio tua accepta sit Deo.* Idem observatur in Missis exequialibus quoad osculum

stolae vel manipuli. Continuari ne potest hniusmodi praxis maxime cum facile tolli nequeat?

Huiusmodi vero Dubio eadem Sacra Congregatio respondit sub die 30 Decembris 1881 « Servetur in omnibus Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 18. n. 16. et Celebrans in recipiendis fidelium oblationibus sileat. Consuetudo autem osculandi stolam aut manipulum servari potest, exceptis Missis Defunctorum. » Iam vero intuitu praefatae resolutionis quamplurimi Parochi huius Dioecesis, ad proprium Episcopum recurrerunt humiliter exponentes non leves difficultates quibus obnoxia est memorati decreti executio. Non aegerrime, prout asseritur, ferunt populi omissionem osculi stolae vel manipuli in recipiendis oblationibus in Missis Defunctorum, timentes ne ex hoc populi recusent oblationes facere (siquidem in sua rusticitate de hoc non discernentes, totam oblationis essentiam in praedictae stolae vel manipuli deosculatione constituunt) cum detrimento suffragiorum quae pro defunctis patribus vel propinquis ex oblationibus ut plurimum proveniunt et fiunt. Ex hac adeo salutari atque laudabili praxi fidelium pietas magnum lucrum absque dubio reportat, cum non tantum in Officiis exequialibus, sed etiam in quamplurimis diebus intra annum familiae seu propinqui defunctorum Ecclesiam adeant ad memorata donaria offerenda, et suffragia pro fidelibus defunctis procuranda, tam in Missis quam in aliis functionibus, praecipue durante luctus anno.

Hasce porro rationes mature perpendens Rmus D. Episcopus Urgellen. sui muneris esse duxit eamdem Sacrorum Rituum Congregationem adire, et ab ea suppliciter efflagitare ut dignetur memoratam consuetudinem osculandi manipulum vel stolam in recipiendis oblationibus quae fiunt in Missis et aliis officiis defunctorum tolerare, sicque tollatur occasio murmurationum in Parochos, populorum pietas foveatur augeaturque in dies charitas erga animas Defunctorum.

Item ad quaestionem ab eodem Caeremoniarum Magistro huic S. Rituum Congregationi propositam: « A quonam nempe deferenda esset Reliquia SSmae Crucis cum proceditur a sacristia ad altare in Missis solemnioribus per annum, si quidem ab antiquissimis temporibus viget generalis consuetudo, praesertim in hac Provincia Ecclesiastica Tarraconensi, praedictum Lignum SSmae Crucis deferendi in casibus enunciatis a Celebrante, an vero a Subdiacono? » Eadem Sacra Congregatio die 27 Februarii 1883, sic rescribere rata est « Usum deferendae Crucis in casu esse eliminandum ».

Cum autem non absimiles difficultates ac in quaestione praecedenti occurrant in exequenda praefata resolutione; timendum enim

est ne populi invehantur in Parochos omittentes Lignum Sñae Crucis in memoratis casibus deferre, eo quod non possint deosculari praedictam Reliquiam post lectum Missae Offertorium in actu praesentandi oblationes, quae quidem omnia in ipsorum iudicio maximam festo conferunt solemnitatem : ideo etiam ad evitandas dissensiones petit Episcopus Orator a S. Rituum Congregatione ut memoratam praxim deferendi SSmam Crucem in casu a celebrante tolerare permitteret.

Sacra vero Rituum Congregatio, réferente infrascripto Secretario, hisce postulatis accurate perpensis, sic rescribere rata est.

Ad 1. Attentis noviter deductis, quae casum clarius exponunt, servari posse consuetudinem tum in Missis vivorum quam pro defunctis dummodo fidelibus ad osculandum praebeatur vel manus vel fimbria manipuli aut stolae, excluso prorsus osculo Ligni SSmae Crucis, cui specialis omnino cultus in Ecclesia exhibendus est.

Ad II. In decisis et amplius; et ad declinandum omne scandalum ab Episcopo seu Parochis instruantur fideles de speciali atque altiori cultu qui salutiferae Crucis Domini Nostri Iesu Christi Ligno debetur.

Atque ita rescripsit. Die 25 Iunii 1883.

SENEN.

Hodiernus Prior Chori Metropolitanae Ecclesiae Senensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum solutionem, de consensu sui Rmi Archiepiscopi humillime petiit, videlicet :

Dubium I. An permitti possit adhiberi in Missa solemni a Canonico celebrante Sacerdotem assistentem indutum alba, amictu, et pluviali, et non superpelliceo, amictu et pluviali, ut palam disponit Caeremoniale Episcoporum?

Dubium II. An tolerari possit consuetudo, qua Sacerdos in exequiis Defunctorum cooperit caput suum bireto, quando imponit et benedicit incensum?

Dubium III. An tolerari possit consuetudo qua in Dominicis et in omnibus festis solemnioribus Beatae Mariae Virginis ad finem Completorii immediate post *Benedicat et custodiat nos* Chorus intonat hymnum *O gloriosa Virginum* etc. et ita processionaliter accedit ad altare B. Virginis ad canendam Antiphonam, seu *Ave Regina coelorum* seu *Alma Redemptoris mater* seu *Regina coeli* seu *Salve regina* iuxta tempus, et post huiusce antiphonae cantum immediate intonat et canit Litanias Lauretanas, supprimendo recitationem *Pater Ave* et *Credo* praescriptam a rubricis in fine Completorii?

Dubium IV. An in Litaniis maioribus S. Marci Evang. et Rogationum, impedita Processione extra Ecclesiam, Litaniae Sanctorum in Processione, quae intra Ecclesiam fit, duplicandae sint, prout dupli-

cantur Litaniae in Sabbatho Sancto et in Vigilia Pentecostes?

Dubium V. Utrum, quando olea consecrantur Feria V. in Coena Domini assistere debeant consecrantem Episcopum duo Diaconi assistentes, an Diaconi et Subdiaconi Missae?

Dubium VI. An tolerari possit consuetudo exponendi SS. Eucharistiae Sacramentum absque ullius hymni cantu et absque incensatione?

Dubium VII. An tolerari possit usus annuli in Canonico doctore, quando celebrat aut canit Missam?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, sic rescribendum censuit.

Ad I. Affirmative supposita immemorabili consuetudine, et Canonicus assistens indui debet pluviali super rochetto.

Ad II. Consuetudinem in casu non tolerandam, sed omnino tollendam.

Ad III. Servari posse consuetudinem; dummodo Officium integre recitetur, comprehensa Oratione *Sacrosanctae* etc.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Ad VI. Consuetudineem exponendi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum absque incensatione prorsus eliminandam.

Ad VII. Negative.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 30 Iunii 1883.

URBIS ET ORBIS.

Per Apostolicas Litteras in forma Brevis die 28 Iulii superiore anno editas Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, sententiam confirmans specialis Sacrorum Rituum Congregationis a se constitutae, cum aliquot Sanctorum atque etiam Beatorum Officia Kalendario universalis Ecclesiae, nec non Kalendario particulari Urbis addidisset: *quo in utroque Kalendario habeantur sedes liberae ad nova officia introducenda,* Rubricam generalem Breviarii Romani *Tit. X. de Translatione Festorum* immutandam praecipit, demptis videlicet translationibus Festorum Duplicium minorum (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum) et Festorum Semiduplicium. Itaque specialis ipsa Congregatio diebus 23 Iunii et Iulii vertentis anni iterum coadunata est ad perficiendam, iuxta praefatam normam, textus Rubricarum correctionem. Nutu autem eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, nonnulla insuper perpendere debuit immutatae Rubricae consectaria, quae novam aliquam opportunam dispositionem prorsus requirere censebantur. Compertum quippe est, coarctata translationum serie, superesse, quidem, iuxta novae editae legis finem, sedes quamplures omnino liberas ad nova of-

ficia in Kalendariis introducenda; interim tamen haud leviter inde augeri onus Officiorum Ferialium: quod imminuto hodie Cleri numero, auctisque aliis eius oneribus, minime convenire existimatur. Quemadmodum praeterea nuper Sanctitas Sua, ad evitandum ne Officia Sanctorum Benedicti Abbatis, Dominici et Francisci Confessorum, vigore immutatae Rubricae, saepe ad simplicem ritum reduci aut penitus omitti debeant, illa, attenta etiam tantorum Fundatorum praestantia, ad ritum Duplicis maioris elevavit; ita pariter censetur providendum quoad Festa Commemorationis Sancti Pauli Apostoli et Sanctorum Angelorum Custodum; perpensa peculiari utriusque Officii qualitate, nec non specialibus Rubricarum privilegiis, quibus ea hactenus gavisa sunt. Tandem animadvertere, hac oblata occasione, licuit, Commemorationem de Octava Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli impediri Festo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi ritus Duplicis secundae classis, ac Festo Visitationis Beatae Mariae Virginis ad eumdem ritum recenter elevato. Quod aegre ferendum Romae iure merito putatur, quam beatissimi Apostolorum Principes supra omnes mundi civitates tantopere nobilitaverunt, constituto ibi catholicae unitatis centro, supremoque et indefectibili veritatis magisterio.

Sacra igitur specialis Congregatio, hisce omnibus maturo examine perpensis, de singulis, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, ita decrevit:

I. Detur Indultum Generale tam Capitulis et Ecclesiasticorum Communitatibus quibuscumque, quam singulis de utroque Clero persolvendi Officia Votiva per annum loco Officiorum Ferialium, praeterquam in Feriis, Quarta Cinerum, totius tempore Passionis, ac Sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris inclusive: quoad choralem quidem recitationem, de consensu Capituli seu Communitatis ab Ordinario semel pro semper approbando; quoad privatam vero recitationem, ad libitum singulorum de Clero. Officia autem huiusmodi Votiva per annum, Missis Votivis in Missali Romano positis fere respondentia, haec pro singulis hebdomadae diebus adsignantur, nimirum: pro Feria II de Angelis, Feria III. de Sanctis Apostolis (Romae vero de Ss. Petro et Paulo), Feria IV de S. Ioseph Sponso Beatae Mariae Virginis, Catholicae Ecclesiae Patrono, Feria V de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, Feria VI de Passione Domini Nostri Iesu Christi, Sabbatho de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione. Officia ipsa a Sacrorum Rituum Congregatione approbanda erunt atque edenda. Firmis remanentibus aliis Votivorum Officiorum Indultis quibuscumque iam concessis:

II. Festa Commemorationis S. Pauli Apostoli die 30 Iunii, et SS. Angelorum Custodum die 2 Octobris, a ritu Duplicis minoris ad ritum Duplicis maioris eleventur pro universa Ecclesia:

III. De festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, die 29 Iunii, Romae agatur Commemoratio singulis Octavae diebus quocumque Festo occurrente.

Facta autem de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctismo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua hoc Sacrae ipsius Congregationis Decretum, indulgendo singula in eo contenta, in omnibus approbavit et confirmavit, atque evulgari iussit.

Die 5 eiusdem mensis Iulii, et anni 1883.

CONVERSANEN.

Rmus D. Casimirus Gennari hodiernus Episcopus Conversanen. Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Pluribus in locis memoratae Dioeceseos benedici consuevit populus cum pixide parvo conopoeo contecta absque usu veli humeralis. Quaeritur num huiusmodi usus possit tolerari?

Dubium II. In aliquibus festis popularibus in honorem Beatae Virginis vel alicuius Sancti absoluto chorali officio et post Missam Conventualem fieri solet Processio, ac deinde alia Missa cantari de Sancto. Saepe etiam, vel ex oblatione alicuius fidelis expetentis, vel ob onera Capituli adimplenda, post cantum Missae Conventualis, altera Missa in honorem festi currentis. Demum plures Missae de Requie eadem die saepe cantantur ut oneribus satisfiat. Quaeritur num expositae consuetudines licite continuari valeant?

Dubium III. In Rituali Romano pro administrando baptismate infantibus tantum initio insinuatur variandum esse genus (*ab eo* vel *ab ea*) pro diversitate sexus infantis, ac deinde nihil dicitur. Quaeritur num in singulis locis variandum sit?

Dubium IV. In administrando Confirmationis Sacramento debetne ab Episcopo simul et ab adstantibus recitari *Credo, Pater* et *Ave,* vel sufficit ut Episcopus moneat patrinos de obligatione docendi Confirmatos eas preces, uti praescribitur in Pontificali Romano?

Dubium V. In Ecclesiis Matrice et Collegiata loci *Rutigliano* nuncupati iampridem in octiduo fidelium Defunctorum, et per triduum post Dominicas Septuagesimae et Sexagesimae ex quodam legato post Completorium exponi solet SSmum Sacramentum a Sacerdote pluviali albo induto, et post cantum hymni *Pange lingua* et factam thurificationem velo cooperitur SSmum Sacramentum. Tunc a sa-

cerdote assumitur Pluviale nigri coloris et Defunctorum vesperae decantantur ; ac post absolutionem tumuli cum cantu *Libera me Domine,* rursus sacerdos induit pluviale albi coloris , et detegitur Sanctissimum Sacramentum. Quo demum post cantum *Tantum ergo* benedictio fidelibus impertitur. Quaeritur num liceat huiusmodi praxim servare ?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit :

Ad I. Negative.

Ad II. Satisfaciant celebrando Missam lectam de Sancto, unam aut plures extra chorum. Quoad Missas Defunctorum affirmative servatis rubricis et facto verbo cum Sanctissimo.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Consuetudinem ea recitandi, utpote laudabilem, servandam.

Ad V. Affirmative, dummodo SSmi Sacramenti expositio fiat absoluto Defunctorum officio, ac remoto si fieri potest tumulo, vel saltem extinctis candelis circa illum accensis. Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 13 Iulii 1883.

Facta autem SSmo Dno Nro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium relatione de secundo Dubio, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit die 14 Augusti eiusdem anni.

BREVE, quo Collegium Octavae augetur dignitate et iuribus catholicae Universitatis.

Cum Apostolica Sedes omni tempore curas suas ad tuendam fidei integritatem morumque disciplinam studiosissime adhibuit, tum etiam in eodem peradvigilavit, ut ampla domicilia doctrinis bonisque artibus excolendis catholicae iuventuti paterent, in quibus recta mentis atque animi institutio ad privatam ac publicam societatis humanae utilitatem posset hauriri, eademque cum opus esse censuit, numquam praetermisit, quin eorum domiciliorum dignitati, stabilitati et prosperitati adserendae suae auctoritatis et opis praesidia conferret.

Has ob causas gratissimum fuit Nobis intelligere iam inde ab anno Christi MDCCCXLVIII, Octavae praeclara in urbe Canadensis regionis, Collegium iuventuti catholicae instituendae conditum fuisse a Iosepho Eugenio Guigues, illustris memoriae, Presbytero Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae, qui primus Octavae Episcopus datus est, idemque Collegium ampliora in dies incrementa feliciter suscepisse, tum Collegii aedificio novis operibus amplificato, tum bibliotheca instituta, et museis omnique instrumento ad omnigenam eruditionem comparatis, tum concursu et frequentia alumnorum quos laus et fama institutionis e longinquis etiam locis excivit, adeo ut Collegium ipsum decreto edito a supremo Canadensis regionis Concilio legifero anno MDCCCLXVI dignum iudicatum fuerit, ut iustum ac legitimum Universitatis civilis studiorum nomen acciperet, omnibusque donaretur iuribus quibus caeterae Universitates potestatis civilis auctoritate fruuntur.

Cum haec Collegio Octawiensi fauste et feliciter evenissent, huic Apostolicae Sedi anno MDCCCLXXXVIII, preces oblatae sunt Praepositi Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae, ac doctorum decurialium Collegii, necnon litterae Archiepiscopi Octawiensis impense postulantium, ut idem Octawiense Collegium tot nominibus commendatum, dignitate et iuribus catholicae Universitatis, ex more institutoque Apostolicae Sedis augeretur.

Huiusmodi preces Nos libenter excipiendas censuimus. Novimus enim quantas opportunitates habeat Lyceum magnum optimorum

studiorum in urbe nobilissima Octawae Archiepiscopalis cathedrae honore aucta et civilis regiminis sede, constitutum, quae natura loci media inter alias Canadensis regionis urbes assurgens, omnibus commeantibus facile pervia est, ac ex praesentia insuper lectissimorum virorum, qui in supremis civilis potestatis consiliis sedent, quique rerum publicarum administrationem gerunt, splendidam capit accessionem dignitatis. Novimus etiam quo studio dilecti filii Sodales Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae ab anno MDCCCXLVIII rectae institutioni iuventutis operam dederint, curis pariter ac opibus suis in hoc salutare opus, eiusque tuitionem ultro collatis, et quantopere semper cordi fuerit eiusdem Congregationis Praepositis apud suos, obsequium erga Apostolicam Sedem et sacrorum Antistites, uti decet tueri et fovere, ac praestantes suae Congregationis alumnos ad docendi munus in Octawiensi Collegio promovere, quorum plures in hac alma Urbe in Gregoriano Lyceo Societatis Iesu doctrinae laurea ornati fuere, simulque advigilare ut philosophicae ac theologicae institutiones ex sancti Thomae Aquinatis doctrina traderentur, quibus rebus factum esse compertum habemus, ut plures praeclarique ex Octawiensium doctorum disciplina alumni prodierint qui existimationem et decus institutoribus suis late conciliarunt.

Nos igitur hisce rebus rite perpensis, et communibus votis libenter annuentes, tum Venerabilis Fratris Iosephi Thomae Duhamel, Archiepiscopi Octawiensis, tum Praepositi et Sodalium Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae aliorumque illustrium Octawiensium civium, hisce litteris, ad maiorem Dei gloriam, ac incrementum catholicae religionis, ac decus utilitatemque Canadensis regionis, Octawiense Collegium catholicae iuventuti erudiendae a Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae conditum, cuius regimen et magisteria a Presbyteris Congregationis eiusdem sub huius Sanctae Sedis, et Archiepiscopi auctoritate geruntur, canonica institutione ad dignitatem catholicae Universitatis studiorum evehimus, eidemque Universitati ius attribuimus, ut Magisterii lauream, aliosque gradus academicos in singulis doctrinae generibus ad consueta Universitatum statuta et leges conferre possit.

Cum porro plurimum intersit ad prosperitatem Universitatis et decus, eam rectis aptisque legibus prudenter instrui, quibus regimini eius opportune consulatur, volumus et statuimus, ut eiusdem Universitatis statuta, et leges huic Apostolicae Sedi, primo quoque tempore, exhibeantur, quo iis mature expensis, Ea possit

suae auctoritatis robur adiicere. Volumus praeterea, ut Apostolici Cancellarii munere in eadem Universitate, Venerabilis Frater Archiepiscopus Octaviensis et qui post eum futuri sunt in Archiepiscopali Sede, fungantur, atque ut ipse Archiepiscopus et successores eius, necnon alii Provinciae Octawiensis et Torontinae Episcopi, qui seminaria, collegia, aliaque huiusmodi instituta, praedictae Universitati aggregaverint, rectae sanaeque doctrinae tuendae in eadem Universitate praesint. Potestatem denique facimus eidem Universitati, ut ad morem Lycei Magni Quebecensis, alumnos, qui in Seminariis, Collegiis aliisque institutis ecclesiasticarum Provinciarum Octaviensis et Torontinae dumtaxat erudiantur, in numerum alumnorum suorum adsciscat eosque paribus ac caeteros Octawiensi Lycei auditores favoribus prosequatur. Haec volumus et statuimus ac propterea decernimus has Litteras Nostras firmas validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, atque irritum, et inane esse, si secus super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus licet speciali, atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die V februarii MDCCCLXXXIX, pontificatus Nostri anno decimo primo.

Pro Domino Card. LEDOCHOWSKI,

L. ✠ S.

F. Fausti, *Substitutus.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FULGINATEN.

INDULTI IUBILATIONIS

Die 4 Maii 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Sacerdos Caietanus Santopaolo canonicus cathedralis ecclesiae Fulginatensis supplici libello retulit: sese 41 annorum spatio servitium praestitisse suae Ecclesiae sine interruptione diversis in officiis; nunc vero variis affici vitae incommodis, praeter senectutem; et ideo iubilationis indultum exposcere, quoniam chori servitium iam pergrave sibi factum sit: et quoniam in praesenti nemo gaudeat eiusmodi privilegio hac in Cathedrali.

Hae supplices litterae remissae sunt ad Vicarium capitularem qui tunc temporis Fulginatensem dioecesim administrabat pro informatione et voto, ut, audito Capitulo inspectisque libris fallentiarum, referret de servitio chori ab oratore praestito, de numero canonicorum habilium, qui actu choro inserviunt et de detrimento quod ex petita concessione eiusdem chori servitio sit obventurum.

Capitulum responsum dedit: postulantem vere et assidue servitium praestitisse per 40 annos circiter: quamplures ex aliis canonicis distentos esse variis officiis, et non raro a choro abesse; quoad detrimentum obventurum servitio chorali ex petita iubilatione, sese omnino subiicere iudicio S. Congregationis.

Sed in subsequenti conventu dici 1 Octobris haec alia adiicienda et S. C. C. insinuanda credidit, nempe in *part. I cap. I p. 8 const. capit.* legi quod canonici *exacto laudabili servitio quadraginta annorum tanquam emeriti exauthorantur*. Ex quibus verbis, aiunt canonici ipsi expeti deberet 40 annorum servitium ceu canonicus, in postulante iubilationem, pro nihilo habilis aliis servitiis. Notandum quod alii

canonici in eadem conditione positi ac postulans, obtinuerint iubilationem, hoc in Capitulo. Quaesierunt autem an postulans, qui per 12 annos tantum uti canonicus servitium praestitit, ius habeat ad massam, quae omnino distincta est a praebendis canonicalibus.

Ex parte sua autem Vicarius Capitularis adnotari censuit: « Verum est canonicum oratorem laudabiliter praestitisse choro servitium 40 annorum, at pariter verum quod si iubilationis beneficium obtineret servitium chorale grave sentiret detrimentum. »

Disceptatio Synoptica

Oratoris precibus obstat hoc detrimentum, quod, Vicario Capitulari testante, divino cultui et chori servitio obveniret, si iubilatio concederetur.

Item aliquatenus obsistere videntur constitutiones, quae, si iuxta posterius capituli votum interpretentur, prohiberent ut iubilatio canonicis concedatur, nisi totum 40 annorum servitium in canonicali munere absolverint. Siquidem Caietanus Santopaolo nonnisi 12 annos canonicus fuit.

Verum cum significatio quae obiecto constitutionum articulo adscribitur, certa aut saltem undique explorata in se non sit, et insuper a contraria constanti consuetudine, ipso confitente capitulo, benigniori ratione interpretetur; hinc suomet pondere cadit obiectio, et unice contra preces restat difficultas providendi chori servitio.

Favet vicissim praxis constanter apud Apostolicam Sedem observata et in iusta aequitatis causa fundata, adeoque imo recepta, ut S. huic C. tolerandum olim visum fuerit capituli cuiusdam statutum, expresse permittens ut, qui canonicus per annos quadraginta chorum laudabiliter frequentasset, ab eiusdem servitio deinceps sine fructuum et distributionum iactura abstinere posset; quae sententia a Gregorio XIII approbata et confirmata fuit, sicuti videri est apud Garziam *De benefic. part. 3 cap. 2 § 1 num. 344.* Imo paullatim illud insuper usu inductum est, ut a S. C. C. iubi-

lationis indulta concederentur, etiamsi neque consuetudo neque capitulare statutum in hanc rem ullatenus accederet; Lucidi *vol. 1 pag. 315 nov. edit.*

Iubilationis autem gratià donatus nedum ad fructus praebendales, sed ad distributiones quotidianas ius habere, imo et participare tum de aliorum fallentiis, tum de emolumentis anniversariorum, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis, aut statuta et consuetudo ecclesiae, definitum prorsus est, et saepissime traditum a S. C. C. prouti constat ex *Lucana Exemptionis 30 Ianuarii 1858.*

Quapropter pro gratiae concessione recepta et aequa praxis S. C. C. in primis militat; sed eam insuper invicte propugnat necessitas. Etenim canonicus Santopaolo processit in diebus suis et ex testimonio duorum medicorum, ad acta relato, ea infirmitate affligitur, qua diutius stare sine salutis discrimine prohibetur, imo identidem ad mingendum chirurgico opere indiget. Cui infirmitati nuperrime alia quoque accessit qua corde laborat. Unde ipse scribebat: si hoc non obstante, quod parum non est, gratia iubilationis denegetur satius esse duco me remittere divinae providentiae et iustitiae Dei, praestolando mortis rescriptum.

Quo stante, cum necessitas legem non habeat, parum attendendum videtur ad id quod dicitur de cultus exigentiis. Eo vel magis etiam quod eatenus necessaria praedicetur praesentia oratoris in choro, quatenus plures alii capitulares in diversis ministeriis occupati detinentur; quae quidem ministeria licet laudabiliter et forte etiam necessario et gratuito suscepta, tamen impedire non possunt, quominus militi, qui diu laboravit, et in labore vitam ac vires confecit, iusta meritaque concedantur stipendia.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 4 Maii 1889 censuit respondere: *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis.* (1)

(1) Recole Volumina XII, 237; XIV, 84; XIX, 458.

GRANATEN.

ONERUM

Die 4 Maii 1889.

Sess. 25 cap. 4 De reform.

Compendium Facti. Quatuor millia passuum a Granata in loco dicto *de la Zubia* praedium habetur, quod hortum *Lauri* nuncupant, inter suburbanas illius civitatis villas maxime celebre ex facto, quod prodigium ferme et singularis divinae Providentiae actum erga Elisabeth I. Catholicam habetur. Siquidem cupiens regina illa Granatensem civitatem propinquius intueri; dum anno 1495 eam obsidebat, ut e Saracenorum potestate eam redimeret, circumdatam se undequaque extemplo sentiens ab infidelium occursu, inter huius horti lauros, quae religiose usque adhuc servantur, properanter latuit, et quasi miraculose deinde ad castra se incolumem recepit.

Haec itaque villa anno 1862, vendita a nonnullis privatis possessoribus, in potestatem devenit alterius eiusdem nominis nempe reginae Elisabeth II.; quae tamen ex causis sibi benevisis, aut forte etiam, ut locum patria historia sacrum sanctius servaret, anno 1884 egit cum Archiepiscopo Granatensi, tunc temporis Benvenuto Monzon Martin y Puente, ut hunc hortum ipsi venderet.

Et re quidem vera vendidit pro libellis 20,000, sibi reservans tantum parvam illam partem in qua reperitur Lauretum Reginae, parvumque templum a latere utpote locum in quo fertur habitasse Regina Elisabeth tempore expugnationis Granatae. Regina autem hortum vendidit Archiepiscopo granatensi, Monzon Martin y Puente, et eius successoribus, liberum a quocumque onere sub his conditionibus 1. ut pars reservata horti terminis determinaretur in memoriam traditionis, impensis horti possessorum 2. ut Archiepiscopo eiusque successoribus, itemque 3. Reginae eiusque haeredibus reservabatur ius praelationis ad emptionem

si contingeret alterutrum contrahentem suam respective horti partem venundare velle.

Huiusmodi contractus signatus fuit die 3 Aprilis 1884. Post annum Praesul Monzon a Granatensi ad Hispalensem sedem transferebatur; et cum sibi cordi esset emptam villam non amittere, et dubitaret, num id facere posset propter verba contractui adiecta pro se suisque successoribus, Reginae mentem exquiri curavit; quae declaravit Archiepiscopum Monzon, licet ad aliam sedem translatum, prosequi posse frui iuribus dominii in horto acquisito usque ad mortem quocumque sponte sua vitam degat. Nam Regina voluit usque ab initio ut hortus pertineret ad emptorem eiusque successores in sede granatensi; eo consilio ut si quando Gubernium possessionem hanc abripere studeret, Antistes granatensis pro tempore possit de eadem disponere ceu disponitur de particularibus bonis seu de privato patrimonio.

Voluit autem ut haec declaratio quippe integralis contractui emptionis-venditionis adiiceretur et in publicis regestis insereretur. Quod factum est die 17 Iunii 1885. At paulo post, die nempe 10 Augusti eiusdem anni, correptus indica lue Archiepiscopus Monzon moriebatur.

Brevi tamen hoc tempore, inter villae emptionem et mortem medio, 11 millia scutatorum expenderat, ut villam eiusque domum, quae vix agricolae habitationi decebat, restitueret et in palatium Archiepiscopis congruum converteret. Ex his undecim millibus scutatorum, octo millia recepit ab Ignatia Wals, pia muliere quae deinde viduitatem suam Domino sacravit, suaque omnia in pia opera expendit: cetera de suo ipse Praesul Monzon impendit.

Moriturus autem haec in testamento disposuit quoad negotium quod nostra modo interest: mea est voluntas ut hortus a me emptus, et domus quam ibi aedificavit cedat Archiepiscopo granatensi, pro tempore ceu villa, animi recreandi causà, cum onere praestandi quotannis mille libellas Hospitali pauperum Sacerdotum, a me instituto in civitate ista; et celebrandi duo anniversaria unum pro me, alterum pro Maria Wals.

Executores autem testamentarios sex capitulares granatensis Ecclesiae cathedralis elegit.

At vero Archiepiscopus successor villam quidem, sed non onera, saltem formaliter, acceptare volebat. Restiterunt executores testamentarii. Et inde longa et laboriosa dissensio, usque dum Archiepiscopus « die 21 Ianuarii 1886, tamquam *ultimatum*, schedulam nobis, aiunt executores, per suum sumptuarium tradidit, iuxta quam eumdem sicut antea, *rogaremus, ut circa onera faceret quod sua ei charitas aut voluntas suggerat*, ipse autem responderet, *se curaturum satisfacere desideriis defuncti.* »

Res non placuit executoribus, qui malebant « praedictum scutatorum 200 onus sive nomine pensionis perpetuae in favorem Xenodochii, quam leges permittunt, sive nomine *census consignativi* in publicis regestis conscribere. »

Post plura, tandem utraque pars mutuo consensu S. Sedem adire constituit. Et Archiepiscopus S. C. a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis, executores vero S. C. C. appetierunt. Sed de mandato SSmi ipsamet Archiepiscopi postulatio ad S. C. C. cito transferebatur, quae ideo ad hanc causam iudicandam unice vocatur.

Disceptatio Synoptica.

Deductiones executorum testamenti. Executores testamentarii pro re sua haec habent: « Rationes nostras summis sat erit delibare labiis. Non sumus nisi executores testamentarii, unde a testatoris voluntate recedere nefas ducimus. In villae ac palatii possessionem hodiernum Praesulem immittere nequimus, nisi sub conditionibus a villae emptore et palatii aedificatore praefixis. Conscientiae arbitramur officium praedictam pro Xenodochio pensionem, sicut et duo anniversaria, sub legum tutela stabilire, eo magis quod praelaudatam monialem hoc exigere certo certius sciamus. Haec nobis cordi essent, nec libera viderentur, etiamsi de re dubia ageretur. Manet enim non modo iuris, sed communis etiam sensus effatum: *In dubio praesumitur factum quod de iure*

faciendum erat. At nullum revera dubium. Archiepiscopus enim D. Benvenutus Monzon, quantum capimus, non solum potuit, sed et debuit onera imponere. »

« Potuit sane, nam quod ad ius canonicum pertinet, nulla se ambitiosae cupiditatis macula foedat qui immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata profanis usibus non applicat, nec exquisitis mediis usurpat; sed contra quae profana erant proprio emit argento, et, ingenti aeris pondere expenso, ecclesiae Praesulibus donat, sub pio debitae gratitudinis onere, unius nempe anniversarii pro se, qui septem millia scutatorum insumpsit. et alterius pro piissima femina, quae largita est octo millia, sub modico insuper onere iustitiae in favorem Xenodochii pro sacerdotibus. »

« Quod autem pertinet ad leges civiles, nihil obstat. Nam supremum tribunal iustitiae declaravit, leges de *Desamortizatione* dictas permittere perpetuam pro aliquo hospitali pensionem, dummodo nulla ad hoc bona perenni vinculo afficiantur, quod profecto in nostro casu non fit, cum palatia episcopalia et villae pro ipsorum oblectamento a *Desamortizatione* sint exempta. Insuper in nostro casu vinculatio vetita seu perpetuum bonorum vinculum nuspiam apparet: nam iuxta testatoris voluntatem, ut supra dictum est, immo, et iuxta solemnem emptionis syngrapham, positis quibusdam rerum adiunctis, Archiepiscopi granatenses hanc villam vendere possent. In eo etenim publico documento cavetur, quod si quando Archiepiscopus villam venderet, prius Reginam vel huius haeredes monere deberet, ut tantidem, prae cunctis, ipsa aut haeredes emere possint. »

« Unde compertum est, potuisse Archiepiscopum defunctum onera imponere villae, quod sane minus est, siquidem poterat quod est maius, videlicet, ipsam vendere. Nec obstat quod Regina villam vendiderit omni onere liberam, siquidem nullatenus prohibuit ne in posterum onera imponerentur, quemadmodum iustis de causis factum est; et aliunde Archiepiscopus emptor onera non imposuit ratione habita vil-

lae quatuor millibus scutatorum emptae, sed palatii undecim millibus extructi. »

« Quae omnia decretorio argumento firmantur. Nam interrogatus a nobis publicus regestor, respondit posse huiusmodi in publicis proprietatis regestis inscribi, sive ut pensionem pro hospitali, sive ut censum consignativum. »

« Nec potuisse modo, sed etiam debuisse perillustrem testatorem onera imponere, evincitur. Frustra namque suis in Sede granatensi successoribus villulam acquireret, nisi, pluribus scutatorum millibus erogatis, eorum usui reddidisset accommodam: proprio autem absumpto aere, satisque non habens, aliunde obtinuit, sub conditione, hoc est, sub vero contractu cum nobili femina, qui porro solemnitates legales quolibet die induere potest. Quapropter testatorem debuisse pia onera imponere, nosque ea sub legum tutela constabilire debere, nobis prorsus indubium. »

« Siqua foret difficultas, anniversaria respiceret, eo quod memoriae perpetuae lege prohibeantur. Ast cum nulla bona perenni vinculo ad hoc adstringantur, deest tota ratio legis, et ideo nullum hactenus obicem vidimus nec videmus. Et quidem, etiamsi obex aliquis obstitisset, parvi rem eiusmodi duceremus; nam quis unquam Archiepiscopus granatensis duo anniversaria, sine praefixa forma nec taxa, non celebraret pro suo decessore, et pro nobilissima moniali, qui talem sibi nimium laboranti tranquillum secessum, nimium toleranti optima oblectamina generosa largitate reliquerunt? »

Deductiones Archiepiscopi. Vicissim Archiepiscopus commemorat villam emptam fuisse ab Ordinario *sibi suisque successoribus;* et emptam fuisse « ab omni censu, onere seu obligatione solutam omnino; » deinde vero instauratam « pecunia oblata absque ullo prorsus foenore; » et nihilominus emptorem praedium illud mortis temporem *perpetuo onerasse* pensione annua 1, 000 libellarum, et duobus anniversariis: « Ad haec, addit, diversae accedunt impensae, ut sunt, exempli gratia, vectigalia a legibus imperata luere, custo-

dum ac operariorum mercedem solvere, laurum historicam sacellumque illi proximum clathris ferreis, iuxta Reginae praecepta, circummunire, aliaque plura huiusmodi expendenda. »

« Quae omnia immodicum ac verum onus huic dignitati archiepiscopali instituunt; multo magis, si onera haec conferuntur exiguis cum reditibus praedii, qui ad quingentas solummodo libellas annuas vix attingunt. Orator tamen opportune iam nosocomii pauperibus eleemosynas propria voluntate cedit, iuxta pia desideria Archiepiscopi defuncti, et, quibus poterit facultatibus, erit in posterum sponte daturus. »

« Si res ergo bene perpenditur, liquido apparet praedium hoc intra ecclesiae bona numerari debere ab ipso tempore acquisitionis; quod aperte patet ex ipsa scripturae clausula, in qua augusta Elisabeth fundum vendidit ea conditione, ut dominium in ipso solummodo retineri potuisset ab Archiepiscopo granatensi suisque successoribus in sede et dignitate Archiepiscopali ipsius archidiocceseos: ergo ex ipso contextu legitime infertur olitorium hortum non a persona Archiepiscopi, sed a dignitate archiepiscopali emptum fuisse: et adeo defunctus Archiepiscopus mente fuit assequutus verum ac proprium praefatae clausulae sensum, ut dum de translatione ad sedem Hispalensem factus fuit certus, Vicarium generalem velut legatum ad illam civitatem, ubi Regina Elisabeth tunc temporis commorabatur, statim emisit, qui legatus exoptans fungi accurate munus Archiepiscopi, cupientis pro vita dominium praedii sibi retinere, vehementer apud Reginam adlaboravit ad hunc sui Prelati votum e regia voluntate plene obtinendum. Tunc augusta Elisabeth, haud facile, sed magna animi comitate compulsa benigne decrevit contractus tabulam hac in clausula solummodo amplificari, hoc est, iussit praediali dominium a domino Benvenuto Monzon Martin et Puente esse retinendum usque ad suum obitum: quod pro hac vice tantum intelligi deberet; itemque, cum laudatus Archiepi-

scopus ex hac vita migraret, transmissionem praedii ad normam ante decretam omnino fieri. Institit insuper atque iterato hac in secunda amplificationis scriptura, intellectum ab omnibus iri, se fundum vendidisse a censu et onere aliquo libere solutum. »

« Verissimum est domum illius praedii a dignissimo Archiepiscopo meliorari, sed prae oculis habendum maxime erit meliorationes, quae non pro necessitate, sed tantum pro convenientia fiunt, in iure civili voluntarias appellari: et quod voluntarium, videtur necessitatem nullatenus importare. »

« Aliae vero accedunt rationes quae huic oneri magnopere adversantur, inter quas oportet imprimis recenseri hodiernas leges a temporum nequitia subortas, quae *desvinculadoras* vulgari sermone appellantur; et leges hae omnia perpetua onera, seu fundationes ad perpetuitatem stabilitas, minime patiuntur: ex hoc facile videtur praefatas leges apud nos vigentes reiicere onus a rño Archiepiscopo perpetuo impositum velut perfringens repagula hodierni iuris. Et quamvis Orator duo haec opposita amice componere voluisset, res haud facilis, perstat semper census onerans perpetuo fundum, qui iuxta voluntatem Regiae venditricis a quacumque pensione, censu et onere expers Archiepiscopo granatensi suisque successoribus venditum fuit. Ex hoc, Eminentissimi Patres, alia non ponderis exigui difficultas exoritur; si spiritui solemnem scripturam informanti bene consulitur, si ratio, ut ita dicam, formalis huius contractus conquiritur, undequaque videtur non aliud inveniri, nisi pium desiderium egregiae venditricis exoptantis, historicum praedium ab Archiepiscopis granatensibus perpetuo retineri ac custodiri, uti bona Dignitati archiepiscopali granatensi omnino pertinentia. Et ut nullum dubitationis genus maneat apud quem primam et secundam scripturam inspicere velit, sub Oratoris custodia et e domo Regia provenientes insunt litterae, in quibus aperte ac fusius haec ipsa Reginae voluntas confirmatur. Quae cum ita sint, praedium illud ab

acquisitionis tempore inter bona huius dignitatis recenseri iuxta contractum debet; quapropter bona Ecclesiae pertinentia abalienare, gravare, onerare atque aliquo censu afficere, absque suprema Sancta Sede, nulli licere videtur: tenore et doctrina bullae Summi Pauli II Pontificis, felicis recordationis, quae incipit: *Ambitiosae cupiditati.* »

« Attamen ex ipsa huius rei natura difficultates aliae exurgunt necessario; sed Eminentiarum Vestrarum summâ timescens Orator indulgentiâ abuti ne nimis in iis dicendo commoretur, ad Vestram confugit benignitatem: sic igitur rem breviter percurret. »

« Magni momenti est attentius perpendere, censum huic fundo ita praedictis conditionibus impositum, gravissimum dignitati Archiepiscopali granatensi onus constituere: ratio ergo praecipua in eo sita est, quod reditus praedii onerati ad tertiam partem summae annuatim solvendae, ut supra dictum est, fere pertingit. Sic ergo, dignitas haec, *laesione enormissima,* ut in iure dicitur, perpetualiter esset gravata. »

« Mirum in modum dolendum est, Eminentissimi Domini, hanc Sedem archiepiscopalem, usque adhuc a censu et pensione aliqua omnino expertem; ita oneratam fuisse his praesertim difficillimis temporibus, queis Ecclesiae Hispaniae amaritudines non desunt, et quibus Praelati ac clerici omnes saepe reditibus exiguis, nulla re gesta, ad tempus orbantur. Quamobrem oratoris conscientia absque suprema Pontificia sanctione non patitur, Sedem hanc granatensem onerari et gravari, quam utique sanctionem dignissimus decessor fortasse ex temporis defectu non impetravit; neque Orator sufficienti pollet auctoritate ad successores coercendos in onere acceptando. »

« Doctrina est receptissima, Praelatos in bona ecclesiastica, ut plurimum iure usus fructus gaudere, velut pleno dominio carentes, sicque nihil in ea absque Sanctae Sedis venia immutare valere: alioquin in posterum eodem iure, eademque ratione Archiepiscopus orator valide potuisset novo

onere, novaque pensione praedium gravare si forte illud amplificaret, seu aliquam partem meliorem reddiderit; quod sane omnibus successoribus hac in sede omnino fas erit, et ita usque in infinitum procedere. »

Animadversiones ex officio. In primis extra controversiam videtur hortum Lauri, de quo agitur, in privato civium dominio iamdudum extitisse: eum enim olim possidebant quidam Emmanuel Pareyo Avila, et mulieres Emmanuella, Rosaria ac Trinitas Pareyo y Reyes; a quibus eum emit Regina Elisabeth II, ut apparet ex venditionis instrumento Granatae rogato die 10 Februarii 1862. Nec refert, quod incidenter dicitur ab executoribus testamentariis, nempe, rusticam villae domum, quae hodie in archiepiscopale palatium conversa est, *franciscani conventus eversi reliquias* fuisse, ad quem forte pertinebat ipsa quoque aedicula, quae prope historicas lauros habetur. Etenim id ad remotam refertur antiquitatem, ut clare innuunt ipsa obiecta verba - *franciscani conventus eversi reliquias* - Et confirmat hodiernus Praesul, qui licet undequaque studeat, ut controversum hortum in censu bonorum ecclesiasticorum connumeret, attamen ad eius originariam naturam non appellat.

Ergo concludendum videtur hunc hortum, si tamen universus Franciscanorum fuit, an potius ex parte tantum, ante emptionem factam ab Archiepiscopo Monzon naturam boni ecclesiastici iamdiu exuisse, et in albo privatorum bonorum recensitum prorsus fuisse.

Item pacificum est inter partes, praesulem Monzon *proprio aere* emisse hortum, illumque deinde instauravisse aut *proprio* pariter *aere*, aut pecunia a pia muliere donata et nullo ecclesiastico vinculo subiecta, sed liberae eius proprietatis. Ergo controversus hortus nec ex natura quam ante emptionem habebat, nec ex emptionis pretio in proprietatem devenit ecclesiae.

Contendit tamen hodiernus Praesul in potestatem transisse ecclesiae ex peculiari intentione et ex expressa volun-

tate ementis et vendentis, Archiepiscopi scilicet et Reginae. Dictum namque est in contractu: « Maiestas sua vendit hunc hortum Eño et Illño D. Benvenuto Monzon Archiepiscopo granatensi, pro eo eiusque successoribus in episcopatu et dignitate. »

Ex hoc articulo contractus, ac praecise ex iis verbis « M. S. vendit.... Archiepiscopo granatensi *pro eo eiusque successoribus* » hodiernus illius sedis Antistes deducit fundum illum extemplo factum fuisse ecclesiasticum, et adscriptum mensae granatensi; ac proinde, veluti consequens, nec potuisse ab Archiepiscopo Monzon retineri, quum Episcopatu granatensi se exuit, et eo minus oneribus praesertim immodicis in transmissione gravari. Haec est summa ratiocinationis hodierni Antistitis.

Ut patet igitur punctum a quo universa pendet quaestio hoc est, utrum scilicet ex iis verbis venditioni adiectis « M. S. vendit Archiepiscopo granatensi *pro eo eiusque successoribus* » sequatur controversum fundum in album bonorum ecclesiae illico relatum fuisse, et mensae episcopali adscriptum.

At vero ex enunciatis verbis non videtur id sequi. Nam in primis aliud est dicere venditionem et emptionem esse factam ecclesiae eiusque mensae episcopali, ac dicere venditionem esse factam huic Praesuli pro eo eiusque successoribus. Siquidem in primo casu, si nempe emptio et venditio nomine Ecclesiae immediate fiat, Ecclesiae quidem statim acquisitum censeri poterit, et res emptas a tempore contractus inter bona ecclesiae numerari. Sed non ita in altero casu. Nam in priori voluntas tam vendentis quam emptoris determinata est in favorem ecclesiae; adeoque si emptor sit ipse Ordinarius, absque ulla ulteriori solemnitate. nisi speciales circumstantiae aut contractus clausulae obstent, censetur res in dominium Ecclesiae venire.

Dum in altero casu, si emptor, licet sit Episcopus, profanum fundum sua privata pecunia, sibi suisque successoribus emat, aut, quod idem est, venditionem acceptet factam

sibi suisque successoribus, non illico concludi potest, fundum in possessionem ecclesiae venisse, et mensae esse acquisitum. Hoc enim a contrahentium ac potissimum ab ementis voluntate maxime pendet. Si enim emptor emat et acquirere intendat unice qua Episcopus et huius sedis Episcopus, et exinde absque ullo ulteriori actu rem Ecclesiae et mensae suae episcopali esse cessuram, acquisitum Ecclesiae illico et immediate, sustineri non inconcinne potest; at si nihil determinatum sit, nil in tabulis contractus definitum, veluti in themate, tunc interpretationi locus fieri necessario debet, videndum scilicet foret, utrum Praesul emendo *sibi suisque successoribus*, emere voluerit eodem modo *sibi* ac *suis successoribus*.

Deveniendum itaque esset ad interpretationem, eo quod contrahentes minus dixerunt ac oportebat. Porro in his valet regula, quod contrahentium mens desumenda est ex eo quod ipsis propositum fuerat, *L. 35 De reg. iur. et L. 33 De cont. empt.*, ex natura actus *LL. 3, 9, 12 De transact.*, ac demum quod maxime nostra interest ex bono et aequo *L. 13 § ult. De ann. leg.* —

Age vero quod contrahentes in themate sibi proposuerunt facto suo clare ostenderunt. Siquidem Regina scripto documento quid intellexisset fassa est: Archiepiscopus vero Monzon tum retentione praedii, tum confectione testamenti monstravit non eodem modo sibi ac successoribus suis praedium se intendere acquisitum.

Quod magis retinendum videtur, si circumstantiae attendantur. Etenim Praesul Monzon dum hortum Lauri acquisivit, certe in animo habebat, quod et Reginam latere non potuit, rusticas aedes, sicut reapse fecit, suis impensis meliores reddere, adeo ut oblectamento ac requiei reapse fierent granatensibus Episcopis. Unde celebratione contractus negotium non poterat intelligi absolutum, sed tantummodo incoeptum, in limine scilicet constitutionis adhuc existere. Porro notum est fundatores in limine fundationis, sicut donatorem donatione non perfecta, honestas conditiones beneficio,

aut donationi adiungere posse, ex *cap. 23 De iurep. et 11 De praeb.*

Nec omittam recolere, agendi rationem tum Archiepiscopi tum Reginae ideo etiam, qua intentionis explicativam, maximi faciendam esse, quia processit a personis omni exceptione maioribus, et praesertim ab Episcopo ad pia opera constabilienda proclivi et ad largitiones facili.

Ex natura autem actus idem scatere videtur. Nam si quis profanum fundum propriâ pecuniâ emat, licet successoribus suis emat, non videtur hoc ipso sibi adimere potestatem, quam ut dominus habet, disponendi quoad modum et formam quibus fundum successoribus transmittat. Uno verbo emptio pro successoribus, si in se spectetur, nil aliud est, nec aliud dicit quam propositum rem emptam ad successores remittendi; quod quidem non importat nisi genericam transmissionis obligationem, neque prohibet specificam determinationem modi.

Si hoc autem importet emptio pro successoribus simpliciter facta, a fortiori id importabit emptio, quam quis *sibi* primum et dein *successoribus suis* factam conscribat. Non enim potest supponi inter ementem eiusque successores sine causa esse distinctum.

Sed quod contrahentium propositum, et natura actus, ipsa demum aequitas suadere et confirmare prorsus videtur. Etenim durum est, qui de suo 8,000 scutatorum in villae emptionem expenderit, et pro instauratione 11,000, partim de proprio peculio adhuc desumpserit, partim e largitione quam ipse quaeritavit, dispensaverit, extemplo repellere, eumque insuper prohibere, quominus, in bonum animae suae et piae alterius institutionis a se erectae, modica onera imponat, hac tantummodo allegata causa, quia liberalis hic benefactor in contractu edixerit, emptionem nedum sibi, sed et successoribus suis esse.

Hoc sane adeo videtur abnorme, ut etsi allegata clausula per se id importaret, videretur benignae interpretationi aut moderationi locus fieri debere. Siquidem « in summa ae-

quitatem ante oculos habere debet iudex » *L. Quod si Ephesi* § *Interdum ff. De eo quod certo loco*, « et in causa iuxta iuris aequitatem procedere debet iudex » *c. Ex parte 13 De off. deleg.*

Accedit quod in dubio favores sunt ampliandi et odia restringenda ex *reg. 15 iur. in VI*; cui concinit alia: « Inspicimus in obscuris quod verosimilius est et quod plerumque fieri consuevit » *reg. 45 ib.* Quod maxime valet in donationibus. Siquidem quando de eis vere factis non constet quidem, dubium tamen manet, an plus vel minus donatum sit, pro donante interpretatio facienda est; Reiffenstuel *ad reg. 57 iur. in VI num. 9*, quia donare suum perdere et abiicere est, *L. Filius familias 7 ff. De donat.*; suum autem abiicere in dubio nemo praesumitur *arg. l. cum. de indeb. 35* § *Sin vero ff. De prob.* Porro Archiepiscopus Monzon emendo pro suis successoribus, eisdem donavit.

Quin dicatur excessiva esse onera donationi adiecta. Agitur namque de fundo 87 ecterarum, idest 43 rubiorum, ubi aedes habentur, rusticando aptae et quae Archiepiscopi decent, pro quibus emendis et convenienter aptandis 19 millia scutatorum impensa sunt.

Quibus animadversis propositum fuit dirimendum

Dubium

An, et quousque rata habenda sint onera ab Archiepiscopo Monzon villae adiecta in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 4 Maii 1889 censuit respondere: *Affirmative in omnibus ad formam testamenti.*

Ex quibus colliges. I. In obscuris ex regula iuris inspiciendum esse quod verosimilius est et quod plerumque fieri consuevit.

II. In themate etsi mens contrahentium obscura mansit:

tamen ex natura actus, ex bono et aequo colligi posse videtur, Antistitem per tabulas testamentarias fecisse donationem suis successoribus de agris emptis et de domo instaurata ad usum Villae.

III. Notum esse, fundatores in limine fundationis, et donatores, donatione non perfecta, adiungere posse beneficio, vel donationi honestas conditiones.

APUANA

MATRIMONII

Die 8 Iunii 1889.

Sess. 4 cap. 1 De reform

Compendium Facti. Die 2 Maii 1868 in parochiali ecclesia loci *Collegnago*, apuanae Dioecesis, obtenta prius dispensatione a denunciationibus, Daniel Pacetti, filius Antonii et Mariae Bolzi, uxorem ducebat Annam Alberti, filiam Ioannis et Mariannae Danesi.

Celebrato matrimonio, sponsi domum revertuntur, simulque aliquot dies versantur: cum sensim in pago vox crebrescit, hosce sponsos sanguine in tertio gradu coniunctos esse. Parochus, re cognita, sponsis indicit, ut se ab invicem seiungant, quod ii statim libenterque fecerunt, vitae consortium haud amplius restituturi. Imo cum parochus deinde instaret, ut ad petendam apostolicam dispensationem eos induceret, ipsi, nedum recusarunt, sed mense Iulio 1869 adstiterunt cum testibus coram Vicario foraneo sui districtus, qui *Firizzani* residet, ac solemniter ei renunciarunt, se liberos esse et qualemcumque matrimonii revalidationem esse reiecturos. Exinde vir peregre profectus est, mulier vero Spediam petiit, ubi animum adiecit ad alium virum, cum quo civiliter die 11 Ianuarii 1880 coniungi verita non est, et cum quo adhuc vivit.

Dolendum vero maxime est, quod quamvis haec mulier,

conscientiae stimulis compulsa, statim per Vicarium generalem Sarzanensem petierit, ut nullum declararetur suum matrimonium cum Daniele Pacetti; et exinde sub die 7 Maii 1882 rescriptum a S. C. C. fuisset, - ut Episcopus procedat ad formam iuris, praevia alterius coniugis petitione, ac servato iuris ordine,- nihilominus, ex ambiguitatibus quibus Apuana curia detinebatur, nonnisi die 3 Februarii 1887 potuerit iudex in hac causa dari et tribunal rite constitui. Citata et excussa fuit Anna Alberti, citatus sed non comparuit Daniel Pacetti, qui proinde contumax renunciatus est; ac tandem accersiti et interrogati sunt parochus e Collegnago, parochus Cirillus Ginesi, et cancellarius Curiae. Ad acta quoque delata sunt schema consanguinitatis sponsorum, testimonii ortus, baptismatis, matrimonii ac mortis in singulis gradibus firmatum, et exemplar declarationis a duobus sponsis anno 1869 vicario foraneo factae. Quibus omnibus innixus iudex die 7 Novembris 1887 nullum et irritum declaravit matrimonium ab Anna Alberti cum Daniele Pacetti contractum.

Disceptatio Synoptica

Votum canonistae. Praemonuit hic in themate non agi de quaestione iuris, sed facti; et ideo sibi proposuit inquirere:

I. *Utrum constet de consaguinitatis impedimento Danielem Pacetti inter et Annam Alberti coniuges;*

II. *Utrum constet huic impedimento per dispensationem fuisse provisum;*

III. *Utrum sententia de nullitate matrimonii in themate, a Curia Apuana emanata, sit confirmanda vel infirmanda.*

Quoad primum punctum Consultor animadvertit quod consanguinitatis nomine, iuxta Gratiani Decretum *in declarat. arboris consang.* intelligitur « *attinentia personarum ex eo proveniens, quia una dependet ab altera; vel ambae ab eadem. Vel est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.* »

Quod inter consanguineos valide contrahi nequeat matrimonium, et contractum dirimatur usque ad quartum gradum inclusive, eruitur *ex Dec. Greg. lib. IV, De consanguin. et affinit. tit. XIV, cap. VIII.* « *Cum ergo iam usque ad quartum gradum prohibitio coniugalis copulae sit restricta, etiam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis vel ab aliis, vel a nobis ut si quis contra prohibitionem huiusmodi praesumpserit copulari, nulla longevitate defendatur annorum.* »

Argumenta vero ex quibus certissime consanguinitas eruitur, a iure duo enumerantur videlicet « *Instrumentorum fides;* et *consaguineorum attestatio, vel duorum testium, omni exceptione maiorum.* »

Primum igitur argumentum, ex quo consanguinitas dignoscitur, est instrumentorum fides, nempe libri parochiales qui in causis matrimonialibus ex auctoritate Conc. Tridentini, *Sess. XXIV, cap. I, De Reform. Matrim.*, publicis instrumentis aequiparantur; plenamque efficere probationem, ait Pax Iordan., *tom. 3, De fide instrum. n. 48.* En Conc. Trid. verba « *Habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque, et locum contracti matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat.* » Et *cap. II...* « *et in libro eorum (baptizatorum etc.) nomina describat.* » Finis huius libri, uti Doctores unanimiter docent, est, ut impedimentum sive consanguinitatis, sive affinitatis, probari possit, plenamque facit fidem, tamquam magnae auctoritatis instrumentum. Audiatur de facto prae ceteris Reiffenstuel, qui *lib. II, tit. 22, § 4, De fide Archivii atque script. n. 127,* sic se exprimit: « *Libri parochiales de quorumdam baptismo, matrimonio, vel morte attestantes, et contenta in ipsis ad parochi officium pertinentia* plene probant.... *Ratio est quia, licet liber parochialis non sit publicus, idest manu publici notarii conscriptus; nihilominus auctoritate Sac. Conc. Trid. industria et fides parochi est electa ad conscribendum talem librum: ergo indubitanter*

fides tali libro est adhibenda. Alioquin frustra a Generali Concilio fuisset Parocho impositum onus registrandi talia in suo libro, nisi fidem apud omnes publice faceret et plene probaret. Imo tanta est auctoritas, quae supradictis parochialibus libris tribuitur, quod, licet alia adsint argumenta, quae consanguinitatem affinitatemque probent, videlicet partium consensio, duo testes omni exceptione maiores, atque testes matrimoniorum et baptismatum; nihilominus in causa Nullitatis Matrimonii 14 Ianuarii anni 1759 ad dubium « *an constet de nullitate matrimonii in casu* » responsum primo fuit: *dilata, et coadiuventur probationes, et extrahantur fides baptismatum et matrimoniorum.* » Et sane: si ita non foret, difficillimum esset consanguinitatem, affinitatemque probare, praesertim in quarto gradu.

Secundum argumentum, quod a iure statuitur, ad consanguinitatem dignoscendam, est testium depositio, quemadmodum habetur *in cap. Ex literis I De Consang. et Affinit.* qui debent esse omni exceptione maiores. « *Quo circa mandamus*, en iuris verba, *quatenus utramque partem ante tuam praesentiam convoces, et facias testes coram te iurare. Inquisita vero diligentius veritate, si per testes circumspectos omni exceptione maiores inveneris, quod primus vir superstitem quarto gradu consanguinitatis attingit, non differas divortii sententiam promulgare.* » Et Reiffenstuel sequentem tradit regulam ad dignoscendum utrum impedimentum aliquod dirimens existat, *lib. IV, tit. XIX, n. 17.* « *Ut iudex ecclesiasticus vinculum matrimonii dissolvat, debet eidem de impedimento constare per probationem plenam et perfectam, qualis est quae fit per duos testes omni exceptione maiores.* » Quinam autem sint testes omni exceptione maiores, designat Glossa *in cap. Ex literis dicens:* « *Illi dicuntur omni exceptione maiores, qui repelli non possunt aliqua exceptione.* » Idem tradunt Barbosa *Collect. in lib. 4 Decret. cap. Ex literis de Consang. et Affinit. n. 9:* Farinacius *d. p. 2. q. 62:* Gutier *De Matrim. c. 41, n. 84:* et Leurenius *Forum eccles. lib. II Decret. tit. 2, q. 560, n. 2.*

His omnibus praemissis, quae a Canonistis assignantur, ad facile et secure dignoscendum, utrum inter contrahentes aliquod adsit consanguinitatis vel affinitatis impedimentum, iam manifestum est difficilis probationis non esse ostendere, Danielem Pacetti inter et Annam Alberti dari consanguinitatem in tertio collaterali gradu aequali.

Imprimis id clarissime evincitur ex consanguinitatis schemate a Rño Parocho Ecclesiae Sanctae Catharinae Collegnagi confecto, propria manu subscripto, atque parochiae sigillo munito.

Heic advertere iuvat, quod in actis processualibus authentica documenta non desiderantur, quae ad baptismum, matrimoniumque referuntur omnium personarum, quae in supradicto inveniuntur schemate; nec non quae ad defunctionem praedictarum respiciunt, omnia propria manu Philomeni Maloni, Ecclesiae Collegnagi Rectoris subscripta, sigilloque parochiae munita.

Cum igitur ex Tridentino *De Reform. Matrim.* supradictum documentum ex libro, in quo coniugum et testium nomina, diem atque locum contracti matrimonii adnotantur, exceptum, *publicis instrumentis aequiparetur:* cum iuxta Reiffenstuel, *lib. II, tit. 22, § 4, n. 127,* omnia in eo contenta ad parochi officium pertinentia *plene probet:* et cum haec probatio, quae ex hoc eruitur capite, talis sit valoris quae etiam probationem per testes excedit, atque sola ad sententiam affirmantem sufficeret proferendam, iuxta cognitum iuris principium « contra authenticum literae instrumentum, humanum non admittitur testimonium » fas est concludere, revera Danielem Pacetti inter et Annam Alberti dari consanguinitatis impedimentum in tertio collaterali aequali gradu, prout ex supradicto eruitur schemate.

Eadem descendit conclusio ex secundo a iure statuto argumento ad consanguinitatem cognoscendam, nempe ex partium atque testium depositione, quae *in cap. Ex literis de consanguin. et affinitate* praescribitur. Et licet in iure *nullus possit esse accusator et testis in eadem causa, ut ait*

Reiffenstuel lib. 4 Dec. tit. 17, n. 15; tamen in causa matrimoniali id fieri posse SALTEM QUANDO AGITUR DE CONSANGUINITATE VEL AFFINITATE, *patet;* quia comunis DD. sententia docet in causa consanguinitatis probanda, etsi actores forent, eorum attestationes maximi esse ponderis.

Et re quidem vera ipsamet Actrix Anna Alberti, quae sub religionis sanctitate interrogata, consanguinitatis impedimentum agnovit.

Nil mirum si alterius partis, nempe Danielis Pacetti depositio desideratur. Etenim a Rño Dño Iosepho Bertolini, pro-vicario generali hac in causa specialiter deputato, iuridice vocatus, ut ad deponendum coram eo sisteret, obtemperare mandatis renuit, et ab eodem post dictam citationem contumax fuit declaratus. Sed extraiudicialiter consanguinitatis impedimentum et ipsemet est confessus. Ergo ex partium depositione, licet non iudicialiter ex utraque parte, tamen resultat inter Pacetti Danielem et Alberti Annam dari consanguinitatis impedimentum.

Ab Actrice Anna Alberti duo sunt adducti testes ad consanguinitatis impedimenti existentiam probandam, qui *omni exceptione maiores* sunt habendi.

Primus testis est ipsemet parochus Collegnagi qui, tacto pectore, et praestito de more iuramento asseruit, dictum impedimentum, notum quamplurimis, vere existere, ceu eruitur ex libro parocciali: qui, iuxta Reiffenstuel *lib. II, tit. 22,* § *4, n. 127,* PLENE PROBAT « et *contra istud authenticum literale instrumentum non admittitur testimonium humanum.* »

Secundus testis ab Actrice adductus est Dominus Cyrillus Ginesi, parochus Verruculae eiusdem Dioecesis, qui, praestito de more iuramento, idem asseruit.

Iam vero quod supradicti testes sint *omni exceptione maiores* ex eo patet, quia *repelli non possunt aliqua exceptione,* uti Glossa *in cap. Ex literis* exigit: sunt enim personae graves, quibus fides merito est adhibenda. Ergo eis plene est merito credendum, uti testibus *omni exceptione*

maioribus; ac per consequens ex secundo a iure praescripto argumento manifestum apparet consanguinitatis impedimentum inter coniuges Danielem Pacetti, et Annam Alberti.

Et quod revera res ita se habeat, luculentissime apparet ex confessione ipsa lectissimi Defensoris matrimonialis vinculi Dñi Francisci Petriccioli, cuius est stare pro matrimonii validitate. Ipsemet apertis verbis confessus est Danielem Pacetti inter et Annam Alberti consanguinitatis impedimentum dari, nullumque per consequens esse matrimonium ab ipsis contractum. Quae confessio, cum sit matrimonialis vinculi Defensoris, maximi est facienda.

Quoad secundum punctum Consultor ait: posita supradicti consanguinitatis impedimenti existentia, si nobis datum sit demonstrare nullam petitam, atque concessam fuisse dicti impedimenti dispensationem, sine errandi formidine concludi potest, matrimonium Danielem Pacetti inter et Annam Alberti initum, irritum atque nullum fuisse, et esse.

Et requidem vera si haec dispensatio petita et concessa fuisset, procul dubio id accidisset vel ante, vel post matrimonii celebrationem; atqui, ut ex dicendis patebit, neque ante, neque post matrimonii celebrationem petita et concessa fuit dispensatio; ergo matrimonium in themate remanet cum consanguinitatis impedimento non dispensato; ac per consequens irritum atque nullum.

Et primo Episcopus Apuae asserit quod petita non fuit dispensatio ante matrimonii celebrationem, cum tale impedimentum ignoraretur.

Sacerdos Dñus Cyrillus Genesi, testis ab Actrice adductus idem asseruit. D. Philomenus Maloni, Collegnagi parochus, praestito de more iuramento, et ipsa Actrix Anna idem asserunt, quia tempore initi matrimonii ignorabatur consanguinitas.

Ergo ex depositionibus, iuramento firmatis, evidentissime constat, nullam petitam fuisse dispensationem super consanguinitatis impedimento ante matrimonii celebrationem.

At huic consanguinitatis impedimento provisum non fuit per dispensationem nequidem post matrimonii celebrationem.

Enim vero si talis dispensatio petita atque obtenta fuisset, procul dubio in archiviis Episcopi, vel parochi huius dispensationis literae existerent, quia iuxta *Regul. 52 Cancell.* « *Nulli suffragetur dispensatio, nisi literis confectis* ». Et Conc. Trid. *Sess. XXII cap. V De Reform.* habet « *Dispensationes, quacumque auctoritate concedendae, si extra Romanam Curiam committendae erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint; eae vero quae gratiose conceduntur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tamquam Delegatis apostolicis, summarie tantum, et extraiudicialiter cognoscatur, expressa specie subreptionis, vel obreptionis vitio non subiacere* ». Iam vero istae dispensationis literae non inveniuntur in archivio Episcopalis Curiae. Ergo non solum dispensationis literae in archivio episcopali desiderantur; sed apertis verbis ab Episcopo asseritur, usque ad diem 3 Augusti anni 1882 petitam non fuisse, neque obtentam dispensationem, de qua sermo.

Praedictae dispensationis litterae desiderantur in archivio parochiali, ceu Dñus Philomenus Maloni, actualis Parochus Collegnagi asserit.

Ex praecedenti depositione tria nobis constant, videlicet, numquam petitam fuisse super consanguinitatis impedimento dispensationem in themate: in archivio parochiali literas dispensationis non existere; et comunem esse omnium opinionem, matrimonium a Daniele Pacetti cum Anna Alberti initum, ob praedictum consanguinitatis impedimentum, irritum esse, atque nullum.

His omnibus alia accedit ratio, quae, cum magni sit ponderis, silentio non est praetereunda. Heic agitur de petenda dispensatione super consanguinitatis impedimento, ut matrimonium, ob praedictum impedimentum irritum atque nullum, validum evadat; et cum non sit in unius vel alte-

rius potestate dispensationem petere, sed a sola id dependeat coniugum voluntate quaerenda esset ad hoc coniugum voluntas.

Ast ex variis depositionibus constat virum omnino fuisse contrarium huic petitioni; qui praetulit habere suam libertatem, quam dispensationem exposcere.

Quod reapse in episcopali Curia Apuae supradictam declarationem de non petenda dispensatione super consanguinitatis impedimento existat, sub iuramenti religione affirmat eiusdem Curiae Cancellarius Franciscus M. Varesi.

Idipsum deponit Dñus Cyrillus Genesi, Verruculae Parochus, qui supradictae declarationis fuit testis.

Ex supradictis declarationibus, iuramento firmatis, evidentissime colligitur, impedimento consanguinitatis in 3. gradu collaterali aequali per dispensationem non fuisse provisum, quia non solum dispensatio petita non fuit; sed partes eam petere renuerunt, malueruntque libere vivere, atque ad alias transire nuptias.

Ex omnibus hucusque dictis veluti sua sponte fluit, inutile esse supponere impedimento in themate per dispensationem in foro interno post initum matrimonium fuisse provisum. Haec enim suppositio nullo pacto, nullâque ratione sustineri potest, cum a S. Poenitentiaria dispensari nequeat impedimentum occultum consanguinitatis in 3. gradu « *si possibile sit quod impedimentum publicetur* ».

Rebus sic stantibus Rñus Ioseph Bertolini, vicarius generalis apuanae Dioecesis, specialiter in causa de nullitate matrimonii in themate delegatus, visis omnibus videndis, et mature consideratis omnibus considerandis, invocato Dei nomine, suam emisit definitivam sententiam, nullum atque invalidum declarans matrimonium ab Anna Alberti cum Daniele Pacetti contractum.

Quoad tertium punctum consultor ait confirmandam esse sententiam Curiae apuanae.

Haec enim consequentia ex iam probatis in I. et II. n. legitime descendit. Si enim est factum certissimum, quod

in dubium nullo modo revocari potest, inter Danielem Pacetti atque Annam Alberti dari impedimentum dirimens consanguinitatis in 3. gradu collaterali aequali, uti ipsemet Vinculi Defensor est confessus, matrimonium contrahi nequit, et contractum dirimitur, nisi per apostolicam dispensationem ei provideatur.

Si haec necessaria dispensatio petita non fuit neque ante, neque post matrimonii celebrationem, uti demonstratum remanet in N. II; sine errandi formidine concludi potest, matrimonium in themate cum consanguinitatis impedimento, non dispensato, contractum, tale remanere, quale ab initio fuit; atqui ab initio nullum invalidumque fuit ob praedictum consanguinitatis impedimentum ab Apostolica Sede non dispensatum; ergo tale est et in praesenti; ac per consequens sententia de nullitate matrimonii in themate a Rña apuana Curia emanata est confirmanda: ipsa enim se gessit prout monet Reiffenstuel *lib. IV tit. XIX n. 17.* « *Ut iudex ecclesiasticus vinculum matrimonii dissolvat, debet eidem de impedimento constare per probationem plenam et perfectam, qualis est quae fit per duos testes omni exceptione maiores* ».

Votum theologi. Matrimonium, ait consultor, quod natura dictat, et cohonestat Respublica, religio perficit cum ad sacramenti dignitatem a Christo Domino fuerit evectum: ideo *in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiae,* docet Angelicus, *lib. IV cont. Gen. 78, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico:* unde consequitur posse ab Ecclesia matrimonium certis limitibus circumscribi, qui limites *impedimenta* dicuntur. Hanc iure haereditario a Christo habet Ecclesia potestatem, sicuti contra haereticos Tridentina Synodus de fide definivit *Sess. XXIV.* Propterea baptizati fideles matrimonium contrahentes oportet, ut nullo, quod Ecclesia *dirimens* declaravit, impedimento sint affecti, ita ut quamvis a contrahentibus etiam invincibiliter ignoretur, si hoc adsit, invalidum erit matrimonium, quamvis millies consummatum, uti Theologi et Canonistae docent: impedimenta enim sta-

tuuntur non tantum in poenam, sed praecipue, ut absterreantur homines ab illis actionibus, quibus impedimentum affigitur.

Inter impedimenta matrimonium dirimentia, praeter ea quae sunt a natura, ad tuendam sacramenti sanctitatem, alia sunt ab decretis Ecclesiae constituta, et praesertim *consanguinitas*, nedum in linea *recta*, sed etiam in *collaterali* usque ad quartum inclusive gradum et intra hos gradus coniunctio celebrata nulla, invalida, nulliusque valoris est.

Huiusmodi consanguinitatis impedimento affectum fuisse matrimonium inter Danielem Pacetti et Annam Alberti Dioeceseos apuanae, cuilibet vel leviter consideranti evidens erit.

Nam mulier stimulis conscientiae agitata per procuratorem petivit a Curia apuana, ut nullitas coniugii iudicialiter declararetur : qua per sententiam iudicis obtenta , poterit, sicuti spondet, coniungi sacramentaliter viro, quocum cogitur hodie illegitime vivere.

Preces benigne excepit Episcopus, et cum non sit in potestate coniugum dissolutionem vinculi pronunciare, sed eiusdem Ecclesiae , qua coniuncti fuerunt auctoritate sint liberandi, ideo iussit iuridicum confici processum, deputato Iudice et Vinculi Defensore. In serie actuum processualium nihil esse reprehendendum videtur, cum omnia iuxta bullam Benedicti XIV, *Dei miseratione*, fuerint expedita, quamvis circa parochi examen aliquid mihi videatur desiderari.

Daniel Pacetti licet per legalem citationem vocatus noluit obedire, et iure sicuti contumax a iudice damnatus est.

Vocati sunt testes, qui praevio iuramento unanimiter de notorietate impedimenti , seu de sponsorum consanguinitate deposuerunt: inde consideratis ceteris documentis, et praesertim schemate genealogico utriusque familiae Pacetti, et Alberti cum subsidiariis attestationibus ex parochialibus libris excerptis, evidenter patuit, et sine dubitatione sponsos esse in tertio gradu aequali consanguineos, quod nec vinculi Defensor audet inficiari, sed aliunde validitatem ar-

cessere nititur. Propterea iudex, praemissis quae praemittenda erant, sententialiter pronunciavit, matrimonium inter Danielem Pacetti, et Annam Alberti *nullum esse, et invalidum,* utpote celebratum in gradu vetito consanguinitatis, nulla petita, imo detrectata a viro, ab Apostolica Sede relaxatione impedimenti.

Hanc a Curia apuana prolatam sententiam esse modo confirmandam absolute, et sine dubitatione sentio ait Consultor: cum enim totum quaestionis fundamentum consistat in dignoscendo, ac determinando an revera extet impedimentum dirimens non antea sublatum per dispensationem, si hoc existat, plane consequitur matrimonium, de quo loquimur, *nullum* fuisse, et *invalidum*, sicuti per sententiam Curiae declaratum fuit.

Existere vero consanguinitatis vinculum inter Danielem et Annam perspicue patet, et aperte probatur ex arbore, seu schemate genealogico utriusque familiae quod dat concludentissimam probationem, cui refragari non possumus. In eiusmodi causis parochiales codices, nisi de aperto errore constet, quaestionem dirimunt: et ubi agitur de consanguineitate libros parochiales plenam fidem facere etiam haec S. C. Concilii asseruit an. 1874, et admisit. Cum igitur ex parochialibus codicibus perspicue eruatur praefatos sponsos esse inter se in tertio gradu consanguineos, superest eorum matrimonium nullitate esse mulctandum.

Sed quaeritur: fuitne sublatum eiusmodi impedimentum per Apostolicam Sedem? Non constat: siquidem sponsi pervicaciter quamcumque recusarunt relaxationem, sicuti parochus, et testes vocati uno ore affirmant. Cum igitur et certissime de consanguineitate constet, et de impedimenti dispensatione non constet, nova ratione concludendum erit ex adductis documentis, et serie processus, Curiae apuanae sententiam de nullitate esse confirmandam.

Sed cum in pronuncianda matrimonii nullitate requirantur, uti docet Cosci *lib. 2, 18 probationes univocae, concludentes, et in suo genere perfectae,* aliquod dubium exo-

ritur in processu, in quo diligentior videbatur inquisitio requiri, circa acta parochi, et eius examen. Vinculi defensor non satis instat, nec iudex, nec actuum compilator solliciti fuerunt de aliis ulterius ab eo inquiri, quae uberius discutienda erant ad omne dubium auferendum. Totius suspicionis, seu dubii solutio requirenda est in ratione agendi parochi.

Parochus Phil. Maloni iuridice interrogatus 1. asserit se ab anno 1865 parochi munus in oppido Collegnago exercuisse; 2. anno 1868 benedixisse nuptias inter Danielem et Annam. Exhibet fidem de matrimonii celebratione, et de separatione inde secuta: sed optassem, ut exhiberet non attestationem, sed fidem exscriberet diligenter qualem habere debet in suo matrimoniorum libro. 3. Testatur se, detecto impedimento, sponsis indixisse separationem, nullamque fuisse postulatam impedimenti relaxationem. Haec tantum parochus Maloni in suo iurato examine deposuit: sed alia ab ipso erant perquirenda.

Et primo circa denunciationes, quae, petita ab Ordinario dispensatione, fuerunt omissae, sicuti testatur Vicarius foraneus Fivizzani. Proclamationes *sunt sub gravi praemittendae, ut si aliqua subsint* IMPEDIMENTA *facilius detegantur.* Ita Conc. *Sess. 24.* Et s. Ligorius admonet: « Parochus antequam ad proclamationes deveniat tenetur diligens instituere examen quo cognoscat an nihil validae, ac licitae matrimonii celebrationi obstet. » Hanc praeviam inquisitionem parochum Maloni neglexisse patet: quid enim facilius in parvo oppido cognoscere cognationes? Quare ergo eam omisit?

Trium proclamationum, quae in Ecclesia fieri debent, dispensatio ab Ordinario petita fuit. Erat igitur parochus interrogandus de causa huius petitionis, cum talis dispensatio nonnisi ex gravi et iusta causa concedi soleat, et debeat:- Ad *dispensandum licite ab omnibus,* proclamationibus, *non satis est obvia quaevis, et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur.*- Ita Benedictus XIV, Const. *Satis est.* Quaenam fuit in casu nostro necessitas? Nec parochus dixit, nec Iudex interrogavit.

Verum si praescriptae denunciationes factae fuissent in parvo oppido facile non unus, aut alter, sed plurimi impedimentum denunciassent, sicuti vix secuto matrimonio contigit. Sciens enim impedimentum inter Sponsos sub gravi illud tenetur parocho manifestare, sicuti omnes docent theologi, sive sciatur a sponsis, sive ignoretur, ita postulante reverentia Sacramenti, et obligatione naturali impediendi peccatum proximi, et gravi onere obediendi praecepto Ecclesiae ad commune bonum respicienti. Haec igitur erant diligentius perquirenda a parocho in suo examine, quae aliquod lumen possent afferre.

Aliunde parochum tali ac tanta laborare ignorantia ut nesciret, matrimonium intra certos gradus vetitum sub nullitatis poena, et nullum esse, supponere non possumus. Excusandus potius erit si dicimus ignorasse vinculum consanguinitatis inter Danielem, et Annam. Sed haec ignoratio fortassis videbitur inverisimilis in parocho haud magni oppidi post decem annos sui ministerii. Et cum tali ac tanta intima sui gregis cognitione parochus *consanguineos*, nihil cogitans, sacramento coniunxit? An ex aliqua occulta facultate quam ipsi reticendam esse putaverit, id egerit?

Haec circa parochi examen animadvertenda esse putavi, ut veritas magis illucesceret.

Ceterum, uti ab initio aiebam, demonstrata inter sponsos per schema genealogicum consanguinitate de tertio in tertium gradum, nulla petita impedimenti relaxatione, superest Curiae apuanae sententiam de nullitate matrimonii inter Danielem Pacetti, et Annam Alberti esse confirmandam. Hanc vero confirmationem vehementer in suis epistolis Rñi Episcopi Apuanus et Sarzanensis, necnon Vicarius foraneus Spediae petunt, et ut scandalum finem habeat exoptant.

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Daniel Pacetti et Anna Maria Alberti irritum dixerunt matrimonium ab eisdem initum anno 1869, et coram Parocho tribusque testibus declararunt nolle illud instaurare per apo-

stolicam dispensationem, sed solutos esse ab invicem, ita ut unusquisque ad alias nuptias transire posset.

Hisce freta praesidiis Anna, quae famulatu vivit, civili nexu se subinde alii viro mancipavit, et quamvis a compluribus annis apud curiam apuanam egerit, attamen non nisi die 10 Novembris 1887, sententiam obtinuit suis votis consonam, quam lectissimi duo consultores, theologus et canonista, consonam etiam iustitiae censet: quod tamen ad iuris amussim probatum minime est. Porro duo exadverso demonstranda erant: scilicet - *primo* - Danielem et Annam esse in praefato lineae collateralis gradu consaguineos; - *secundo* - memoratum consanguinitatis impedimentum ab apostolica sede relaxatum haud fuisse.

Iam vero quod attinet ad *primum*, testimonia baptismatum, matrimoniorum et funerum in medium allata innitur fidei solius parochi, qui ex codicibus parochialibus ea excerpit. Tralatitium autem est monumenta ex libris parochialibus quemadmodum ex aliis quibuscumque instrumentis deprompta, in pretio minime haberi, nisi prius instrumenta ipsa per iudicem expensa, integra ac genuina agnita fuerint, *cap. fin. de fid. instrument.* - ibi - *Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam iustam causam exemplari petant: coram ordinario iudice vel delegato ab eo specialiter praesententur: qui si ea diligenter inspecta in nulla sui parte vitiata repererit, per publicam personam illa praecipiat exemplari, eandem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura*. Eapropter antedicta testimonia parvipendo, ait Vindex, quia iudex una cum matrimonii vindice codices parochiales minime inspexit.

Supervacaneum puto verba facere de duobus testibus, parocho Maloni et parocho Ginesi, ab actrice ad probandum consanguinitatis impedimentum inductis. Etenim uterque testis loquitur de fama, dum e converso, ex scientia propria vel ex auditu a maioribus per *distinctos gradus* de cognatione naturali testetur oportet iuxta formam *cap. 47 § testes autem de testib. et attest.* - ibi - « Testes autem huius-

modi proprio iuramento firmantes, quod ad ferendum testimonium in causa ipsa odio, amore, timore, vel commodo non procedant, personas *expressis nominibus*, vel *demonstratione* vel *circumlocutione sufficienti* designat *et ab utroque latere singulos gradus clara computatione distinguant:* et in suo nihilominus iuramento concludant, se accepisse a *suis maioribus* quod deponunt, et *credere ita esse*. Sed nec tales sufficiant, nisi iurati deponant se *vidisse* personas, vel *saltem* in *uno* praedictorum graduum constitutas pro *consanguineis se habere*. Tolerabilius est enim, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime, contra statuta Domini separare. »

Postremo advertere praestat parochum Ginesi, alterum ex praefatis testibus referre: scio duos testes examini subiectos fuisse ad probandam status libertatem pro obtinenda dispensatione a publicationibus, et probatum fuisse nullam existere consanguinitatem; ita dispensatio petita, fuerit concessa a Curia episcopali. Alter vero testis, parochus Maloni, qui nedum testis agit, verum etiam testationes baptismatum, matrimoniorum et funerum signat, illemet est qui Danielem Pacetti et Annam Alberti iugavit. Ideoque praedicti impedimenti existentia paulisper admissa, in leves auras abit huiusce parochi gravitas ac auctoritas.

Tametsi impune dare possum Annam et Danielem esse in tertio gradu consanguineos. Cum enim huiusmodi impedimenta passim a sancta sede relaxentur, tantus est initi matrimonii favor, ut sublata iure praesumantur, nisi actor contrarium per argumenta apodictica ostendat. In actis vero ad rem quid prostat? Literae in quibus Episcopus testatur hosce sponsos matrimonium inivisse anno 1868, quin obtinuerint aliquam dispensationem quoad consanguinitatem. At episcopus dubio procul innititur fidei cancellarii sive actuarii curiae, qui coram iudice testatus est: quaesivi intra pendentes matrimoniales actus, an existeret saltem aliqua petitio directa ad obtinendam dispensationem, sed nihil

extat. Cum agatur de matrimonio 21 abhinc annis celebrato, haud satis est rimari actus matrimoniales pendentes.

Iis itaque omnibus perpensis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae apuanae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 15 Iunii 1889, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex quibus colliges. I. Quum agatur de quaestione facti non iuris, nempe an matrimonium irritum renunciari debeat ob impedimentum dirimens, nil aliud faciendum esse quam inquirere ac formiter probare dictum impedimentum existere, neque per dispensationem apostolicam sublatum fuisse.

II. Impedimentum consanguinitatis, seu prohibitionem coniugalis copulae ad quartum gradum cohiberi; ita ut qui infra eiusmodi gradum copulari praesumpserit, nullâ annorum longevitate defendatur et nulliter agat.

III. Duo a iure requiri ad formiter evincendam consanguineitatem; nempe instrumentorum fidem, et attestationem consanguineorum, vel duorum testium, omni exceptione maiorum.

IV. Fidem instrumentorum ad dignoscendam consanguineitatem colligi ex libris parochialibus; qui in causis matrimonialibus, aequiparantur publicis instrumentis ex Tridentino *sess. 24 cap. 1 de reform. matrim.* plenamque efficiunt probationem.

V. Ad probandam consanguineitatem vel affinitatem maximae esse auctoritatis libros parochiales; nam etsi liber parochialis non sit publicus, idest manu publici notarii conscriptus, tamen quum ex Tridentino industria et fides parochi electa sit ad conscribendum talem librum, indubitanter est tali libro fides adhibenda.

VI. Aliud argumentum ad evincendam consanguineitatem esse testium depositionem; ex iure enim statuitur non esse

differendam sententiae divortii promulgationem, si reperiatur per testes circumspectos, omni exceptione superiores, quod primus vir attingit superstitem quarto gradu consanguinitatis.

VII. In themate probatam fuisse existentiam consanguinitatis duobus argumentis, nempe per fidem libri paroecialis atque per depositionem partium et testium omni exceptione maiorum.

THEANEN.

ADIUDICATIONIS REDITUUM

Die 8 Iunii 1889.

Sess. 24. Cap. 15. de Ref.

Compendium facti. In capitulo cathedrali Theanensi olim 26 numerabantur canonici, quorum 13 de iurepatronatus erant, 13 vero, qui et antiquioris fundationis, dicebantur *de massa*. Pseudolege civili diei 15 Augusti 1867, quam suppressionis et conversionis entium ecclesiasticorum vocant, factum est, ut tresdecim canonicatus patronales una simul cum tertio decimo de massa supprimerentur, et capitulum ad duodecim canonicos, decano aliisque inferioribus dignitatibus et officiis comprehensis, sensim reduceretur.

Interim vero contigerat, ut politica auctoritas bis adhuc suis legibus violentas manus in ecclesiae administrationem immitteret. Primum enim die 7 Iulii 1866 caverat, ut ex bonis immobilibus cuiuscumque entis moralis ecclesiastici, exceptis tantummodo paroecialibus beneficiis, trigesima pars ex centenis, seu tertia ex decenis, quod idem valet, abstraheretur et fisco addiceretur.

Verum paucos post annos latrocinium saltem ex parte emendavit et correxit senatus-consultus diei 19 Iunii 1873, ad *art.* 25 praefiniens, quod toto in Regno a die primo Ianuarii taxa extraordinaria trigesimae partis in centenis applicabitur solummodo reditibus canonicatuum excedentibus

libellas 800, et beneficiorum ultra libellas 500. Reditus cuiuslibet ex dictis praebendis et beneficiis constitui ex fructibus dotis seu praebendae, et ex quacumque summa quae investito permanenter obveniat pro causâ sui officii ex patrimonio axis ecclesiastici et Ecclesiae pro satisfactione legatorum piorum aut aliis de titulis. Ad constituendum annuum reditum quoad taxam trigesimae partis in centenis, ratio habenda quoque est de reditibus aliorum beneficiorum et cappellaniarum, quibus gaudet canonicus aut beneficiatus. Dispositio haec legis haud applicabitur canonicalibus quorum reditus annualis excedat libellas 1600, et beneficiis et cappellaniis, quarum reditus excedat libellas 800.

Verum redituum restitutio quae alibi prono veluti alveo processit, facilis non fuit in Theanensi capitulo. Siquidem nonnisi anno 1886, supputationibus omnibus peractis, fiscus significavit, in restitutionem sortis prius detractae capitulo se esse tributurum chartulam publici debiti consolidati quotannis reddentem 1660 libellas, atque insuper tributurum 19, 196 libellas, - ad quam summam (19, 196 lib.) conscenderant reditus ab anno 1873 cumulati, provenientes ex sorte superius indicata 1660 libellarum, quae capitulo restituenda quidem fuisset a primis diebus anni 1873; quam tamen usque ad liquidationis exitum una cum fructibus fiscus apud se custodierat.

Hanc liquidationem accepto habuit capitulum, nec ulla fuit quoad hoc controversia; sed maxima dissensio fuit quoad divisionem, tum manualis summae 19, 196 libellarum, tum annui reditus 1660 libellarum, octo ex canonicis contendentibus, sibi tantummodo hoc beneficium esse servatum ac ceteros quatuor esse ab eo exclusos, quatuor vero reliquis conclamantibus aeque inter omnes divisionem esse faciendam.

Cuius rei ratio haec est. Canonicatus antiquioris fundationis, qui 13 erant, ad unam communem massam participabant: haec massa tamen in 14 aequales portiones dividebatur, eo quod Decanus, capituli caput, duplici quota sicut et duplici onerum pondere cumulabatur. Reliqui ex commu-

ni fundo aequalem portionem desumebant. Verum ex eis quinque speciali insuper propriâque praebendâ honestabantur; unde fiebat quod decanus aliique quinque plus ceteris obtinerent.

Porro in falcidia trigesimae de centenis anno 1866 praescripta, quae contra omnes et indistincte processit, omnes pro rata detractionem passi sunt, nec ulla dari potuit controversia; sed in restitutione quae contigit vi legis anni 1873 non omnes redintegrari lex iussit; sed qui canonici originario, seu praecedenter ad detractionem trigesimae partis, 800 libellarum proventum, aut qui beneficiati 500 libellarum reditum non attingerent, falcidiam pati eos non debere, adeoque in integrum omnimode esse restituendos; qui vero plus quam 800 libellis fruerentur, falcidiam subire debere in quota 800 libellas excedente: tandem qui praebenda 1600 et amplius libellarum honestarentur, hos nullo novae legis beneficio frui, sed falcidiam super universum reditum subire debere, et neque in toto neque in minima parte esse redintegrandos.

Cum vero, in capitulo Theanensi Decanus, ob suam duplicem portionem desumptam e massa communi, aliique tres e canonicis qui specialem propriamque praebendam, praeter communem quotam obtinebant, reditu 1600 libellarum et amplius ab origine fruerentur, hinc fiscus a restitutionis beneficio exclusos eos renunciavit; duo alii vero qui peculiari quidem propriaque praebenda, sed valde exigua, potiebantur, ac ceteri omnes qui unico massae communis emolumento ditabantur, quos omnes ideo infra libellas 1600 quotannis percipiebant, eos fiscus ad partiale legis beneficium admisit. Itaque et manualem summam 19, 196 libellarum et syngrapham census 1660 libellarum massae communi quidem fiscus restituit, sed in favorem octo horum canonicorum.

Age vero statim ac capitulum possessor evasit, sive manualis summae 19, 196 libellarum, sive annui census 1660 libellarum disputatio circa earumdem divisionem et adiudicationem orta est. Octo pauperiores canonici in suum tan-

tummodo beneficium restitutionem cedere sustinuerunt, eo quod huiusmodi praecise fuerit civilis potestatis intentio in restitutione facienda, eosque tantummodo indemnes voluerit, non reliquos: decanus vero aliique tres ditiores canonici e contra praedicaverunt, fiscum, quidquid intenderit, de facto restituisse massae communi; massam autem communem aeque inter omnes esse partiendam; adeoque sicut aeque omnes de eius imminutione damnum reportaverant, sic pariter omnes de eius augmento lucrum sentire oportebat.

Disceptatio Synoptica.

Defensio quatuor canonicorum. Patronus, quem decanus aliique tres canonici sibi elegerunt, decem argumenta pro re sua, proponit. Ac primum quod Theanense capitulum, seu pars eius conservata, quae et antiquioris fundationis est, sub massae communis regimine vivit. Idque evincitur *A*) ex bulla episcopali anni 1579, qua Praesul Maringola nonnulla parva beneficia univit « eidem capitulo et *massae capitulari*..... - eo quod - dicti capituli fructus, in quotidianis distributionibus consistentes, sunt adeo tenues quod ad 24 ducatorum annuorum summam pro portione cuiuslibet canonici non ascendunt. » *B*) ex relatione s. Visitationis ab Episcopo Giordano anno 1753 ad S. Sedem peracta, in qua fides fit quod « capitulum constat tribus dignitatibus, decano nempe, cantore sive primicerio, et thesaurario, ac viginti tribus canonicis. Tredecim namque sunt antiquissimae et immemorabilis fundationis; reliqui vero ab anno 1613 instituti ceperunt.... Primi unum conflant corpus, unamque mensam capitularem, adeoque appellantur Canonici de massa, illiusque fructus aequaliter inter se partiuntur, soli decano, ratione suae dignitatis, parte duplici assignata. » *C*) evincitur ex immemorabili nec hucusque impugnata consuetudine, quae quanti sit valoris supervacaneum dicere est. *D*) demum ex civilis ipsius auctoritatis testimonio, quae tum in conversione bonorum, tum in partiali restitutione trigesimae

censum inscribi iussit favore massae communis, non singulorum.

Porro 2. leges, quibus Theanense capitulum regitur, quasque ab ipsamet fundatione habet, fas haud est sine gravi causa immutare, docente Pitonio *Alleg. 47 n. 13 De contr. part.* cum communi « leges fundationis esse inviolabiliter observandas » et *alleg. 50 num. 6* addente « quod ipse Summus Pontifex religiose custodire intendit quidquid piissimi benefactores statuerunt in erogatione pecuniarum suarum pro operibus piis; nec unquam sine causa, valde gravissima, pacta fundationum evertit, vel evertere intendit. »

A fortiori itaque 3. hoc ius piarum institutionum statum ac fundamentales leges immutandi deerit civili auctoritati: quod quidem exploratissimum est, et definitum amussim invenitur in const. *Sanctae Mariae De const.* ubi haec inter alia Innocentius III statuit: « Laicis super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quod obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existat, nisi ab ecclesia fuerit approbatum. » Unde et nuperrime in syllabo sub *num. 42* damnata reperitur haec propositio: « In conflictu legum utriusque potestatis ius civile praevaleat. » Cum itaque nullum ius sit reipublicae in ecclesiam, et cum aliunde capitulares Theanensis ecclesiae leges iubeant, omnes canonicos parem reditum ex communi massa percipere, incassum civilis auctoritas ordinabit, disparem inter canonicos distributionem haberi, et inter octo tantummodo, non inter omnes, dividi nuper obtentum augmentum. Eo vel magis quod, cum alicuius rei aut fundi communis dominium et possessio sit penes ipsam universitatem non penes singulos de universitate ex theoria Loschi *De iur. univ. pag. 3 cap. 16 a. 8,* communis quoque massae Theanensis dominium et possessio erit penes universum capitulum, non penes aliquos. Imo sicut qui propriam peculiaremque praebendam habent eius proprietatem sibi absolute vindicant, sic e converso

participantes ad communem massam communi sorti stare et ius et necesse habent.

Quin timendum sit ex parte status; nam praesto est authentica declaratio supremi tribunalis Romani de Cassatione die 6 Iulii 1887 in causa Calatayeronensi lata, in qua formaliter declaratum est, quod lex civilis imminuit numerum canonicatuum Ecclesiarum cathedralium quoad proprietatem ecclesiasticam, quin curaret intrinsecam constitutionem organicam capitulorum, utpote alienam a competentia potestatis civilis.

Et quin etiam subsumatur, portiones massae succedere in locum praebendae; ideoque cum gubernium nonnullorum tantummodo egestati occurrere voluerit, eorumque quotas augere, iam auctionem utpote singulis canonicis factam, magis quam massae, singulis eorum praebendis crescere oportere, non vero aliis. Cui respondet orator animadvertendo quod portiones massae utique in nonnullis stare loco praebendae dicuntur, sed per fictionem iuris : veras autem praebendas tunc tantum haberi iuxta Pitonium *discep. eccl. 17 num. 4* « quando bona communia ecclesiae dismembrantur et ex eis e. g. eriguntur octo vel decem praebendae, et pro una assignantur tot vineae, tot census, et pro alia tot prata tot canones. »

In themate autem cum universa massa communis ab origine in distributiones quotidianas eroganda iuberetur, iam haec assertio quotarum in praebendarum locum succedentium magis ac magis mera aegraque fictio videtur, iuxta ea quae S. C. Episc. et Reg. decrevit in *Avellinen. 20 Novembris 1660.*

Imo et civilis auctoritas saepenumero recognovit massam communem non unius vel alterius, sed omnium in communi, idest totius universitatis esse patrimonium, ut nuperrime contigit in causa *Firmana* ex civili sententia iudicis secundi gradus Maceratensis, qua die 24 Iulii 1888 contra Demanium favore Firmani capituli definitum fuit, quod Gubernium suis legibus massam communem ad distinctas et pe-

culiares praebendas haud reduxit pro singulis canonicis. Et merito; nam ex *cap. Quae in eccles. De const.* « lex civilis quando specifice disponit de ecclesia vel de eius bonis non habet firmitatem, quia non potest Imperator mittere falcem in messem alienam. »

Quod et punctim definitum iam invenitur a S. C. C. in una *Parmen. Distributionum* die 26 Iunii 1866. Sane haec capitulum exponebat et poscebat:

« Regium Demanium ex lege lata die 15 Augusti 1867 de bonis tum massae capitularis, tum praebendarum singularum canonicalium, triginta ex centum partibus potitum est. Postea ex lege lata die 18 Iunii 1873 sex praebendis pauperioribus in integro restitutum est, quod fuerat ex anteriori sublatum; massae vero capitulari tantum quantum sufficeret, ut redditus annui sex antedictarum praebendarum, una cum fructibus cuiusque propriis et portione singulis canonicis debita distributionis choralis, ad summam 800 libellarum italicarum redigerentur. Capitulum usque ad mensem Iunium proxime elapsum fructus massae restitutos distribuit inter titulares sex praebendarum pauperiorum ad normam legis civilis et proportione ab eadem praefinita, attamen ut aliquid superadditum distributioni chorali, qua quisque fruitur ceteris communi, et etiam pro illo servatis iis omnibus, quae iure canonico servari iubentur pro distributionibus choralibus.

« Atqui massa capitularis in hac cathedrali constituta fuit, atque habita, ut quid unum proprium totius capituli iam inde ab anno 1354; quin imo hac utique de causa capitulum duabus sententiis superius exiit in lite, quam intenderat Regio Demanio volenti talem de tota massa portionem decerpere, quae pertineret ad praebendas, quas suppresserat, ut duodenarium numerum supergredientes. Quibus perpensis capitulum in dubium venit, se non recte gessisse in distribuendo fructus, qui, licet restituti cum conditione, natura tamen sua pertinent ad integram massam. »

« Quare humillime a Sacra Congregatione petit:

« I. An stantibus supradictis, portio massae restituta et a lege civili assignata sex praebendis pauperioribus possit licite distribui ea ratione, quae ab eadem lege praescribitur. »

« II. Et, in casu affirmativo, an sit distribuenda ad formam distributionis choralis. »

« III. In casu vero negativo, implorat benignam sanationem de praeterito et, attenta paupertate illarum praebendarum, facultatem se gerendi ac super re in posterum quemadmodum hactenus se gessit. »

Quibus S. C. C. respondit : *Ad 1. et 2. providebitur in tertio. Ad 3. Pro gratia iuxta preces facto verbo cum SSmo.* Porro observat patronus ex hac gratiae concessione invicte ostendi, ius haud fuisse capitulo permittendi ut favore nonnullorum cederet quod massae communi accreverat, licet horum nonnullorum intuitu massae communi id fuisset taxative attributum.

Post haec ad 4. argumentum accedens patronus observat in massae communis regimine implicitum haberi societatis contractum, quo fit ut lucrum et detrimentum singulos in solidum aeque afficiat. Ulpianus *L. 29 Pro socio* § *2 et* § *3 Inst. eod. tit.* Quod si non observaretur, et alter damnum alter lucrum sentiret, societas fieret leonina, idest prorsus iniusta.

Accedit 5. quod canonici omnes in possessione beneficii capienda observantiam iurant constitutionum et consuetudinum in ecclesia vigentium. Atqui hae praescribunt ut reditus omnes massae capitularis aequali portione inter omnes dividantur, uno decano duplici quota servata.

Unde 6. factum est, ut duo ex octo canonicis contradictoribus, nempe poenitentiarius Stavolone et canonicus Caprio, licet ab initio contrariae sententiae subscripserint, modo tamen conscientiâ ducti recognoscunt errorem, atque expresse confitentur, augmentum massae in beneficium omnium aeque cedere debere. Et quamvis quidem hi duo canonici, ac magis Caprio, dein petant ex gratia, ut, attentis pecu-

liaribus circumstantiis, excipiatur divisio qualis a demanio prius facta fuit, ne capitulo iterum, per aliam viam auferatur quod aegro animo restitutum eidem fuerat, attamen respondet orator, hanc exceptionem nullius prorsus esse valoris, inanemque timorem; nam falcidiam trigesimae partis semel fieri lex iubet, et semel facta haud amplius iteratur.

Accedit 7. quod ipsa civilis auctoritas in falcidia ordinanda hoc unum intellexerit, aliquid de patrimonio ecclesiastico semel tantum demere, minime vero ecclesiasticas personas ordinario tributo quotannis ex reditibus beneficii solvendo subiicere. Id plane apparet ex ipsa latrocinii lege: et supremum Romanum tribunal de Cassatione die 9 Aprilis 1882, in terminis ita definiit: taxam triginta in centenis indolem non induere impositionis ordinariae, sed constituere extraordinariam praelevationem patrimonii ecclesiastici ad Status civilis utilitatem. Quod si in restitutione facienda civilis auctoritas singulorum canonicorum reditus respexit, id ob suam commoditatem fecit. De cetero cum restitutio non singulis, sed massae communi sit facta, parum aut nihil interesse Gubernii quomodonam auctae summae partitio fiat; imo litteris diei 1 Iulii 1886 minister status rem capituli arbitrio commisisse videtur. Iustum autem videtur, quod massae communis est, in communem massam immitti, licet Gubernium in suis suppositionibus individuis canonicis id attribuat; quod quidem S. C. Ep. et Reg. in *Anagnina diei 21 Decembris 1888* amussim definiit (1).

Ad haec patronus considerari insuper petit, decanum et tres alios canonicos per accidens integrae falcidiae fuisse subiectos, decanum quidem, quia duplici quota honestabatur, tres canonicos, quia speciali praebenda fruebantur: verum decanus ob suam duplicem quotam, duplici etiam onere prae ceteris gravatur: tres autem alii canonici ideo speciali praebenda sunt aucti, ut gravibus peculiaribusque officiis funge-

(1) Habes hanc quaestionem pag. 156 huius voluminis.

rentur. Iustum autem non videri eos onera ferre, et beneficium quod alii sentiunt, eos non sentire. Neque ad hanc iniustitiam tollendam excipi posse dicendo, decanum aliosque tres speciali emolumento aut ex praebenda aut ex duplici quota frui: quandoquidem cum hoc emolumentum ad obeundum specialibus oneribus datum sit, computari haud posse videtur.

Quod vel fortius retineri debere contendit ultimo loco patronus, si considerentur absurda quae ex contraria doctrina venirent; nam octo canonici si tantum inter se censum 1660 dividerent, contingeret ut ipsi idem ferme ac decanus aliique tres canonici consequerentur; quod non videtur aequum, nam decanus aliique tres praebendati maiora imo duplicia ferme onera ferunt.

His stantibus postulat orator ut tam census 1660 libellarum, quam manualis summa 19, 196 libellarum ex retroactis censibus efformata cedere aeque debeat ac dividi inter omnes: et cum post civilem sententiam octo canonici hanc manualem summam praesumpserint inter se dividere eos etiam suspensionis interminatione adigere ad male perceptam pecuniam restituendam.

Defensio octo canonicorum. Qui partes agit loco canonicorum ait, ad evertendam omnem argumentationem ex adverso allatam unum satis esse evincere, scilicet, id quod gubernium restituit non provenisse ex sorte aliqua vel praedio, quae omissa fuerint, cum bona omnia capituli conversa fuere, quaeque postea reperta sint, et communi massae addita ut singulorum portiones augerentur; sed ex reductione tributi seu ex condonatione illius falcidiae, quae primum omnibus indistincte irrogata erat, et dein ad aliquos tantummodo coarctari placuit, ad eos scilicet qui reditum haberent 1600 libellis maiorem. Porro cum in capitulo Theanensi quatuor canonici hunc reditum nedum attingerent, sed et excederent, minime vero reliqui octo, hinc in horum dumtaxat favorem, non autem illorum, reductio tributi seu condonatio falcidiae facta est ac fieri debebat; atque ideo tum

syngrapha publici census, de qua agitur in primo dubio, tum summa 19, 196 libellarum, quae repraesentat fructus ex eo censu ab anno 1873 ad annum 1886 cumulatos, et a gubernio apud se usque tum retentos, de quibus agitur in secundo dubio, in favorem octo pauperiorum canonicorum, non vero ditiorum, cedere debebat, ac reapse cessit.

Et revera id evincitur primum ex lege civili 19 Iunii 1873, quae cavet quinam beneficio reductionis tributi frui debeant, et quinam excludi: deinde ex decreto Praepositi publici aerarii per epistolam ad capitulum misso, in quo declaratur octo dumtaxat canonicis ius esse recipiendi id quod ex eorum portionibus demptum primitus fuerat: tandem ex testimonio adversariorum qui in supplici libello, S. C. C. porrecto, idem aperte professi sunt. Proinde, concludit orator, uno veluti ictu ruere quae praebendati canonici extruxere, cum id huic innitantur supposito, idest quod restitutio summae et reductio tributi non octo canonicis concessa sit a gubernio, sed toti massae communi, quod prorsus alienum est a veritate.

Nodum in scirpo quaerunt adversarii, inquit, cum, ut aliquid lucrentur in praeiudicium octo canonicorum, ad verba confugiunt quibus gubernium uti maluit cum syngrapham census et cumulum libell. 19, 196 non octo canonicis, sed capitulo inscripserit, aientes, omnes capitulares indiscriminatim eo frui debere quod capitulo restitutum est; nam praesumitur ex tota massa demptum prius fuisse. At incassum. Equidem vero non ad verba respiciendum est, sed potius ad causam quae movit gubernium ad restituendum, quam causam nimis affectant oblivisci quatuor ditiores canonici.

Praeterea compertissimum est tributum non totam massam gravare, sed singulas portiones, postquam a massa sunt divisae. Quod adeo verum est, ut inaequaliter quisque gravetur, nam qui reditum percipiunt maiorem libellis 1600 integram patiuntur falcidiam, qui vero minori reditu honestantur tributum solvere tenentur super eo tantummodo quod 800 libellas excedit. Quapropter massa communis im-

mutata manet, nam singuli prout antea iuxta capitulares constitutiones ex ea eamdem portionem percipiunt; verum postquam divisa sit, quisque tributum solvit iuxta vires redituum et modum lege civili sancitum. Hinc theoriae quibus reguntur societates minime conveniunt in casu, nam cum tributum non tangat communem massam, sed singulas portiones divulsas, cuique sua portio perit vel accrescit.

Ceterum ratio cur gubernium summam lib. 19, 196 capitulo restituit, eiusque favore inscripsit syngraphan publici census ea est quae declaratur in sententia a civili tribunali lata contra canonicos praebendatos. Ibi enim dicitur: Demanium, prospiciens dissidium, iam enatum in sinu capituli quoad diribitionem dictae summae, censuit, ut sese tolleret ab omni possibili responsione, inscribere syngraphan publici census favore capituli, ceu fieri solet in similibus casibus, adiiciendo, sese relinquere procuratori munus diribendi praedictam summam iuxta conventam liquidationem. Fides dicti reditus suppletivi repraesentat caput quod in massa permanere debet, quum intersit nedum praesentium investitorum, sed etiam vocatorum in futuro ad beneficia ab eisdem retenta, in casu vacantiae aut amissionis. Inscriptio syngraphae favore capituli haud laedit iura fruentium levamine taxae, quum debeat, pro nunc, scriptus redditus permanere favore illorum, pro quorum utilitate exclusive facta fuit diminutio partialis taxae.

Hisce praeiactis proposita fuerunt dirimenda

Dubia

I. *An restitutio illius sortis, quam Gubernium iampridem detraxerat ob tributum 30 % cedere debeat in favorem omnium capitularium, an potius octo tantummodo in casu.*

II. *An fructus eiusdem sortis ab anno 1873 ad annum 1886 cumulati, quos Gubernium nuper restituit, dividendi sint inter omnes, an potius inter octo tantummodo canonicos in casu.*

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii re disceptata die 19 Iunii 1889, censuit respondere: *Ad I. affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad II affirmative ad primam partem pro rata unicuique debita, negative ad secundam.*

Ex quibus colliges: I. Quidquid ad massam Capituli pertinet, si quacumque causâ imminuitur aut augetur, id vergere debet in discrimen vel in utilitatem omnium canonicorum de Massa.

II. In themate aequum et iustum esse omnes pariter canonicos de Massa lucrum ex augmento sentire, sicut damnum reportaverant ex abreptione passa a Demanio in bonis communibus capituli.

III. Civili auctoritati ius immutandi leges piae fundationis omnino deest: quum ipse Pontifex religiose custodire intendat quidquid pii fundatores constituerunt pro erogatione pecuniarum suarum.

IV. Quamobrem si laici motu proprio aliquid constituerint, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius evadit firmitatis, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.

V. Ideoque sequitur quod frustra Demanium iuberet disparem fieri distributionem inter canonicos communem habentes massam; quia id leges Ecclesiae vetant, et quia dominium alicuius fundi communis penes universitatem permanet, non apud singulos de universitate qui omnes teneantur stare communi sorti.

VI. In massae communis regimine implicitum haberi societatis contractum; quo fit ut lucrum et detrimentum singulos in solidum aeque afficiat; nam societas leonina seu iniusta evaderet, si alter damnum, alter lucrum persentiret.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

MELITEN.

TAXA SEMINARII

Die 21 Iunii 1889.

Compendium facti. In Dioecesi meliten. beneficiorum possessores, a tempore, quod immemorabile dicunt, *mediam decimam, demptis oneribus,* ad rationem scutatorum trium pro quolibet centenario persolvere solent.

Huiusmodi oneri Moniales quoque Monasterii s. Petri, Ordinis Benedictini in *Notabili* erecti, subiectae fuerunt; quae propterea ab antiquis temporibus iuxta patrimonii vires annuas viginti libellas ad hunc finem persolverunt.

Verum cum ex una parte seminarii reditus valde imminuti, ex altera vero reditus Monasterii a pluribus annis ad annuas libel. 37500 aucti essent; Seminarii Procurator supplici oblato libello sub die 24 Octobris 1886 Apostolicum administratorem adivit, asserens aequum et iustum esse ut Monasterium non ceu in anteactis temporibus, sed iuxta vires actualis reditus *mediam decimam* seminario persolveret.

Hoc accepto libello, auditaque Procuratoris Monasterii relatione, apostolicus Administrator, probe noscens Seminarii Procuratoris preces veritate niti, die 24 Martii 1888 sequens decretum edidit; scilicet « Quid quid sit de relatis, » habilitamus Oratorem ad percipiendam quotannis summam » scutatorum trium (moneta maltese) pro quolibet centenario » super scutata sex millium conflantium tertiam reddituum » Monasterii partem. Pro solutione dictae contributionis one- » ramus conscientiam Monialium oneratamque volumus. »

Moniales ad sua iura tuenda contra huiusmodi decretum bis unanimiter protestatae sunt; verum, hisce omnibus spretis, Administrator apostolicus a Monasterii Procuratore quindecim aureos britannicos pro Seminario vindicavit; quando-

quidem haec summa repraesentat *mediam decimam*, quam iuxta citatum decretum diei 24 Martii Monasterium persolvere seminario tenebatur.

Hanc Administratoris apostolici agendi rationem Moniales aegre ferentes recursum S. Congregationi Episc. et Regul. porrexerunt, petentes ut praefatum decretum revocaretur, quatenus ad iuris normam editum haud fuisset.

Disceptatio Synoptica.

Quae monialibus favere videntur. Ex Monialium parte perpensum fuit, S. Concil. Tridentinum *sess. XXIII cap. 18 de Reform.* pensiones favore seminariorum imponendo, haec duo prae oculis habuisse; ne scilicet pensionem solventes nimis gravarentur, et ne seminariis reditus tribueretur convenienti ipsorum sustentationi superfluus.

Huiusmodi Conc. Tridentini dispositioni adhaesisse Benedictum XIII qui in §. 6 suae Constitutionis - *Creditae Nobis* - haec ad rem habet: « Quod si in aliqua Dioecesi com» putatis propriis seminarii redditibus, si qui sint, nec non » beneficiorum antea cum effectu illi unitorum, ac fructibus » parvorum conventuum suppressorum praecedenter applica» tis (quas quidem tum beneficiorum uniones, tum applica» tiones fructuum parvorum conventuum firmas esse volu» mus) per huiusmodi etiam taxam erectionis et sustenta» tionis seminarii ad necessitatem nimirum uniuscuiusque » dioecesis et alumnorum, *non autem ad pompam et volu» ptatem* sufficienter provideri nequiverit, tunc et eo casu etc. »

Quae iuris principia ideo adducta sunt, quia ex iis deduci posse videtur, quod taxa a quolibet beneficio solvenda iuxta Conc. Tridentini normas semel statuta, amplius variari nequeat, si iusta et sufficiens habita fuerit.

Perpensum praeterea fuit, quod Conc. Tridentini Patres Seminariorum erectioni et sustentationi consulere cupientes, statuerunt, ut praeprimis mensarum episcopalium, deinde Capituli et ceterorum beneficiorum bona taxâ gravarentur.

Et quatenus haec imparia essent, ultimo loco voluerunt ut huiusmodi taxa Conventuum quoque et Monasteriorum bonis applicaretur.

Hinc etiam admisso quod Meliten. Seminarium in necessitate reapse versetur et aere alieno gravetur, videtur hoc onus occurrendi seminarii necessitatibus prius mensae Episcopali dein Capitulo ceterisque beneficiorum possessoribus et ultimo loco Monasteriis incumbere, ac propterea illas esse excutiendas antequam Religiosorum Monasteria ad huiusmodi taxam persolvendam obligentur; praesertim si haec Monasteria in indigentia relativa reperiantur.

Iamvero quod Monasterium Religiosarum S. Petri etsi nonnulla bona possideat, aere alieno gravetur et in indigentia reperiatur, nullatenus dubitare sinunt, ea quae de Monasterii conditione adducit ipse Procurator. Qui propterea H. S. C. refert ulterioribus oneribus Monasterium gravari non posse, ex eo quod nova debita contrahere teneretur, ut expensis Religiosarum sustentationi necessariis satisfacere valeret.

Quae seminario favere videntur. Ex altera vero parte observatum fuit quod Summus Pontifex Benedictus XIII in superius citata Constitutione ad tramites Conc. Tridentini *Sess. 23 cap. 18 de Reform.* praescripsit ut taxa Seminario solvenda, nedum omnibus beneficiis, sed etiam Regularium bonis imponeretur; iis tantum exceptis quae a S. Sede expresse exempta fuissent.

Insuper in §. 1 eiusdem Constitutionis praescripsit ut huiusmodi taxa non minor tribus scutatis, nec maior quinque pro quolibet centenario annui redditus esset.

In §. vero 5 Instructionis, quam laudatus Pontifex una cum Epistola Pastorali Episcopis Italiae et Insularum adiacentium significari voluit, ad praecidendas quaestiones, quae in annuo redditu praefiniendo oriri poterant, praecipit, ut annuus redditus pro contributione seu taxa favore Seminarii determinanda, ille esset qui superest, detractis solis expensis necessariis pro fructuum perceptione; et ad praefiniendum

annuum redditum illa onera tantum deducenda essent, quae ante Conc. Tridentinum imposita fuissent.

Sacram vero Congregationem Concilii in causa Massen. *Taxae Seminarii* die 17 Decembris 1836 ad dubium XIV: *An ad annuum beneficiorum valorem dignoscendum sit ducendum calculum per decennium in casu etc.* respondisse: *Affirmative.*

Ex qua responsione erui, quod ad dignoscendum beneficii valorem non debet attendi ad fortuitum redditus augmentum unius vel alterius anni; sed redditus calculus per decennium ducendus est.

Hinc videtur quod, quoties huiusmodi augmentum fortuitum haud sit; sed vel ab aucta bonorum quantitate vel a nova percipiendorum fructuum ratione oriatur, taxa favore Seminarii praescripta augeri quoque debeat.

Et hoc argui a §. 4 citatae Instructionis, in qua cavetur, quod Ordinarii et ceteri omnes, quibus onus incumbit taxam Seminario persolvendi, ipsam tam *in foro poli, quam in foro fori* persolvere tenentur, et resistentiae casu Congregatio particularis a Summo Pontifice deputata contumaces ad tramites iustitiae ad eam rependendam impellet.

Si itaque in themate Religiosae pluribus ab hinc annis, sive ex bonorum augmento, sive ex cessatione emphytheusis territorii vulgo *Abatia* magni ponderis redditum, aequum haud esse videtur, quod etiam in praesentiarum parvam summam libel. 20 quotannis pro taxa persolvat Seminario, quod, ceu superius dictum fuit, in gravissima necessitate versatur.

Idque eo vel magis quia, ceu §. 15 pluries citatae Instructionis observat, Seminarii non existentibus, ipsae Religiosae moderatoribus spiritualibus et confessariis idoneis deficerent.

Hisce sapienti Eñorum Patrum examini subiectis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An et quomodo decretum Administratoris apostolici die 24 Martii 1886 editum quo Religiosae S. Petri in Nota-

bili existentes taxam favore seminarii augere obligantur, sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Resolutio. Sacra Congregatio Episc. et Regul. omnibus perpensis sub die 21 Iunii 1889 hoc dedit responsum: *Decretum Episcopi esse confirmandum.*

Ex quibus colliges. I. Iuxta Constit. Benedict. XIII quae incipit *Creditae Nobis* taxam favore seminarii tam super omnia beneficia quam super Regularium bona imponendam esse; iis tantum beneficiis vel bonis exceptis, quae a S. Sede expressis verbis exempta fuerunt.

II. Huiusmodi taxam neque minorem tribus scutatis, neque maiorem quinque pro quolibet centenario annui redditus esse debere.

III. Annuus vero redditus, cui taxa applicetur, ille habetur, qui superest, detractis expensis necessariis pro fructuum perceptione, et deductis oneribus ante Conc. Tridentinum impositis.

IV. Ad annuum beneficiorum valorem dignoscendum, non esse respiciendum fortuitum redditus augmentum unius vel alterius anni, sed calculum ducendum esse per decennium.

V. Taxam favore Seminarii beneficiis vel aliis bonis, impositum verum debitum constituere, quod gravati *tam in foro poli, quam in foro fori* persolvere tenetur.

VI. In themate Administratoris apostolici decretum confirmatum fuisse, quia indubii facti est annuum Monasterii S. Petri redditum ita auctum fuisse, ut tertia reddituum ipsius pars sex scutatorum millibus in praesentiarum constet.

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

DECRETUM Urbis et Orbis; quo alia additur Indulgentia orationi ad s. Ioseph (1).

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII summopere exoptans, ut erga Sanctissimum Patriarcham Ioseph B. Mariae Virginis

(1) Oratio haec alest hoc volumine pag. 117.

sponsum cultus impensius foveatur, Eiusque praesentissimum patrocinium efflagitetur, his praesertim rerum publicarum adiunctis, quibus ob succrescentem in dies inimicorum audaciam Iesu Christi Ecclesia acrius oppugnatur, per Literas Encyclicas datas sub die 15 Augusti 1889 Marialibus precibus Sanctissimi Rosarii, quas mense integro Octobri Ipsemet Sanctissimus recitandas alias decrevit, superaddendam indixit Orationem ad Sanctum Iosephum, quam praefatis Literis adnexuit. Eadem porro Sanctitas Sua quae singulis Christifidelibus eamdem Orationem publicae Rosarii recitationi per mensem Octobrem addentibus, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum singulis vicibus acquirendam iam attribuit; in audientia habita die 21 Septembris 1889 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae *motu proprio* eidem Orationi aliam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, adiicere dignata est *dierum tercentorum* semel in die quovis anni tempore lucrandam ab universis Christifidelibus, qui corde saltem contriti ac devote supramemoratam Orationem etiam privatim recitaverint. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 21 Septembris 1889.

Pro Emo ac Rmo Dño C. Card. CRISTOFORI, *Praefecto.*

ALOISIUS Card. Episcopus SABINENSIS.

L. ✠ S.

Alexander Episcopus Oensis *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 14 Iunii 1889.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscri-

ptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quae sequuntur Opera damnata atque proscripta a Sacr. Congr. S. Universalis Inquisitionis:

Synopsis Iuris Canonici prout olim erant et prout nunc sunt tempora per Hieremiam Fiore Canonicum Ecclesiae Maioris et Matricis sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli in oppido Cusani Mutri Dioeceseos Telesinae. Neapoli ex Typographeo Perrottiano MDCCCLXXXVI. — *Decr. S. Off. Fer. IV die 1 maii 1889.*

Il Rosmini — Enciclopedia di Scienze e Lettere redatta da un Consiglio di Direzione composto di Scrittori accreditati nei diversi rami del sapere. Milano. — *Decr. S. Off. Fer. IV die 29 maii.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate aut in posterum edere aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illa tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 14 Iunii 1889.

CAMILLUS MARIA Card. MAZZELLA Praef.

Fr. Hyacinthus Frati Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 17 Iunii 1889 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

LITTERAE APOSTOLICAE in forma Brevis, quibus permittitur ut Petrus Aloisius Maria Chanel nuncupetur nomine Beati, eiusque reliquiae publicae venerationi proponantur.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quemadmodum Christiana religio ab ipsa origine innumerorum martyrum firmata sanguine adolevit, ita ex divinae sapientiae consilio per consequentes aetates eodem pariter sanguine perfusa succrevit, ut divina eius veritas novo semper lumine, omnium hominum oculos percelleret, Christi vero asseclae eandem et tenacius amplecterentur et longe cariorem haberent. Iique ferme ante alios, morte constanter tolerata, Christianam doctrinam confirmarunt, qui eam divini verbi praedicatione evulgaverant proprio videlicet sanguine quam verbo et sudore severant arborem irrigantes. Diuturna id saeculorum historia, et mirifica totius pene orbis ad Christianam fidem conversio luculenter ostendit. Verum ne quid aetatibus anteactis aevum hoc nostrum invideret, illud diebus nostris divina providentia servavit, ut novissimis hisce annis, ultimas ad Oceaniae plagas hominesque toto orbe seiunctos Evangelica lux per divini verbi nuncios eniteret, qui veterum Apostolorum vestigiis haerentes doctrinam Christi quam propagaverant effuso etiam sanguine asserere optarent. Nobilissimi voti compos fuit hos praestantissimos inter heroas venerabilis Dei famulus Petrus Aloisius Maria Chanel, cuius vita in exemplum, mors vero in Christiani nominis decus extitit. Hic in Bellicensis dioeceseos pago, cui vulgo « Cuet » nomen, die duodecima Iulii anno MDCCCIII natus est, talemque se a puero vitae innocentia exhibuit, qualem deinde exitus confirmavit. Sacris ordinibus, Deo vocante, initiatus, fidei zelo, pietatis studio, animi modestia, morum suavitate, effusa in egenos charitate, et aliis egregiis laudibus insignis, veteris Ecclesiae ministris sese omnigenae virtutis exemplar ostendit, adeo ut qui plurimum cum eo versabantur, nihil in illo vel minimum reprehendendum animadverterent, et idem Bellicensis Antistes quanti eum haberet non dubiis indiciis demonstraverit. Ei scilicet primum quidem parochiale munus, tum minoris seminarii praefecturam concredidit; quibus in officiis, et omnium sibi amorem conciliasse, et virtutum quibus sacerdos or-

natus sit oportet, absolutissimum exemplum iugiter exhibuisse solemniter est testatus. Sed illum ad potiora vocabat Deus. Annis natus tribus et triginta cum Societati Maristarum nomen dedisset, cui Societati ab hac Sancta Apostolica Sede Oceaniae Occidentalis missiones creditae essent, omnibus valedicens, nec matris amore eum detinente, nec patria charitate, e Gallia in dissitas illas oras, volens, libens solvit, Antistiti Pompallier vicarii generalis nomine ac dignitate addictus. Decem mensium navigatione confecta, anno MDCCCXXXVII insulam Futunam in Polinesia appulit, et ibi Sodalibus Missionariis per alias regionis insulas dispertitis, solus cum socio laico permansit, quo tempore totus in insulae lingua ediscenda ingrati otii moram solabatur, insulam quaquaversus discurrens, ut infantulos morti proximos quaerens lustralibus undis ablutos caelo transmitteret. Sed ut primum linguae fuit peritus, in id constanter intendit, ut ad Christi fidem converteret gentis regem cuius hospitio biennio feliciter utebatur. Regulus, qui et populi sui sacerdos maximus supremum imperium ab ipsa sacerdotali dignitate obtinebat, Petri Aloisii verbis superstitionem labefieri, atque convelli perspiciens, de auctoritate imminuta sollicitus, amorem in suspicionem primum, deinde in odium convertit. Quare digressus a Dei famulo in alium pagum domicilium suum transfert, alimentis, omnique ope eum destituit. Nihil inde commotus evangelicus operarius, e soli scultura et sudore vultus victum sibi parat; sed barbari homine christiani nominis hostes omnia diripiunt, eum fame enecare, aut ad fugam compellere connitentes. Quae interea perpessus sit, quantâque animi alacritate, et fortitudine difficillimum ministerium tanto in discrimine sit prosequutus, docuerunt quotquot sive advenae, sive indigenae Futunam insulam tunc temporis incoluerunt; docuit maxime unicus ille laborum Socius qui ei semper adstitit; docent ipsae ephemerides quibus Dei famulus nascentis Ecclesiae historiam in dies singulos consignabat. Nullis fractus laboribus, nullis perculsus adversis, in periculis, in angustiis, in aerumnis sibi semper constans, nunquam animo cessit, et totas iugiter vires impendit, ut « animas in tenebris, et in umbra mortis sedentes » per evangelicam lucem Christo lucrifaceret. Neque in irritum labores cessere. Complures enim Christianae doctrinae aures praebent, frequens eorum ad Petrum Aloisium conventus, magna morum conversio. Inde procerum immanis ira concepta, quae, cum ipsius regis fllium inter cathecumenos adscitum esse constitit, in cladem et exitium prorupit. Consilio itaque inito ad religionem cum sacerdote

ipso penitus exterminandam, furentes satellites primum fidelium domos pervadunt, insontes male mulctant, disperdunt, tum ad Petrum Aloisium properant, et solum domi repertum clavae ictibus horrendum in modum contundunt, hasta saucium sternunt, et humi iacentem securi conficiunt. Sic eodem quo victimae mactari solent ritu, hostia haec Deo acceptissima immolata est; sic bonus pastor mortem pro grege crudeliter illatam in summi beneficii loco laetissimus accepit; sic inclytus Oceaniae protomartyr die vigesima octava mensis Aprilis anni MDCCCXLI decoro sanguine perfusus, migravit in caelum. Paulo post et regis, et fratris eius, et aliorum aliquot persecutorum teterrima mors subsecuta est, quae uti poena criminis divinitus inflicta, ab omnibus habita fuit. Verum tam illustre martyrium nec seros nec exiguos fructus protulit; vix enim quinque a Petri Aloisii martyrio effluxerant menses, iamque tota insula ad christianam veritatem conversa nihil avidius expectabat, quam ut Sacerdos, fidei mysteriis plenius enarratis, universum populum per baptismum Christi familiae adiiceret. Illud vero prorsus singulare existimandum est ipsum caedis auctorem principem, atque instigatorem, qui et reguli propinquus, paulo post morbo correptum, et divina simul gratia tactum, profusis lacrimis cum nefarii criminis veniam tum sacrum baptisma enixe postulasse, deinde divinitus morbo recreatum, cum rite acta conficerentur, martyrii invicte tolerati, cuius et spectator, et auctor fuerat, testimonium quo nullum excogitari potest luculentius, una cum coeteris carnificibus edidisse. Quod divinae sapientiae, et bonitatis prodigium eiusdem obitus cumulavit, cum enim se morti proximum praesensit, in conclave, ubi Petrus Aloisius martyrium fecerat, se transferri iussit, et sceleri admisso expiando, ibi voluit obire, ubi Dei famulum atroci clade peremerat. Ita illustrius apparuit, vere sanguinem martyrum semen esse Christianorum. Nec caelestia signa defuerunt, quae martyris gloriam nova luce decorarent. Quapropter tum ex verbali processu quem Futunalis Praefectus Apostolicus condere sollicitus fuit, tum ex aliis authenticis documentis a Vicario Apostolico Oceaniae ad Almam hanc Urbem Nostram transmissis, iis omnibus expositis quae in huiusmodi iudiciis necessaria sunt, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto Pius Papa IX recol. mem. Decessor Noster, die XXIV Septembris mensis an. MDCCCLVII introductionis causae commissionem signavit. Propterea Apostolicis actis confectis, aliisque quaestionibus rite solutis, signisque, sive miraculis, quae ad eiusdem Venerabilis famuli intercessionem a

Deo patrata ferebantur, una cum martyrio, et caussa martyrii, triplici disceptatione ad trutinam de more revocatis, Nos per eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis decretum, die XXV Novembris mensis, superioris anni datum, eadem signa, necnon martyrium martyriique caussam constare declaravimus. Illud supererat, ut VV. Fratres Nostri eiusdem Congregationis Cardinales rogarentur, num stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii et caussae martyrii, pluribus signis, ac miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi posse censerent, ad Beatorum honores eidem Venerabili Dei famulo decernendos : iique in generali conventu pridie idus Martii mensis, anni vertentis, coram Nobis habito, tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Attamen in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem huius pariter anni die XXX Maii solemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad sollemnem Petri Aloisii Mariae Chanel Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus permoti plurium tum sacrorum Antistitum, tum etiam S. R. Ecclesiae Cardinalium, simul universae Congregationis Maristarum votis annuentes, Auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi, facultatem facimus, ut idem Venerabilis Dei servus Petrus Aloisius Maria Chanel, dictae Societatis Mariae sacerdos, Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus, et lypsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur Officium et Missa de communi martyrum, cum orationibus propriis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani per Nos approbatis. Eiusmodi vero Officii recitationem, Missaeque celebrationem fieri concedimus intra fines tum dioecesis Bellicensis, tum Vicariatus Apostolici Oceaniae Occidentalis, itemque omnibus in templis religiosarum domorum Societatis Mariae ab omnibus Christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur die XXVIII mensis Aprilis; et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei famuli Petri Aloisii Mariae Chanel supradictis in templis celebrentur cum Officio et Missis duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die per ordinarium definienda intra primum annum postquam eadem sollemnia in Aula superiori

porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis haberetur. Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI Novembris MDCCCLXXXIX, Pontificatus Nostri Anno decimo secundo.

M. Card. Ledochowski.

DIE XXVIII APRILIS

IN FESTO

BEATI PETRI ALOISII MARIAE CHANEL

MARTYRIS

Oratio

Deus, qui Beatum Petrum Aloisium Mariam, Martyrem tuum, ad praedicandum Evangelium mira mansuetudine, flagranti charitate, et invicta constantia decorasti: da nobis quaesumus; ut ipsius vestigiis inhaerentes, fidem quam profitemur, usque ad mortem teneamus. Per Dominum.

Secreta

Haec hostia, Domine, quam in Beati Petri Aloisii Mariae triumpho deferimus, corda nostra tui amoris igne iugiter inflammet; et ad promissa perseverantibus praemia disponat. Per Dominum...

Postcommunio

Angelorum pane nutriti et superna dulcedine perfusi, te, Domine, suppliciter exoramus, ut Beati Petri Aloisii Mariae, Martyris tui exemplo, discamus terrena cuncta despicere et amare caelestia. Per Dominum...

DECRETUM

In Apostolicis Litteris in forma Brevis propediem expediendis ad assequendam formalem Beatificationem Ven. Servi Dei Petri Aloisii Mariae Chanel Martyris, Sacerdotis e Societatis Mariae, quum ex Maiorum praescripto et praxi Sacrae Rituum Congregationis apponendae sint Orationes propriae in Officio et Missa de communi in honorem novi Beati legendae ab iis omnibus, quibus in Brevi recensito Officium ipsum persolvendi Missamque celebrandi facultas impertitur; Sacra eadem Congregatio utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributis, ad humillimas preces R. P. Claudii Nicolet, sacerdotis memoratae Societatis Mariae, Causae postulatoris, suprascriptas orationes proprias a R. P. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, revisas, benigne approbavit, atque ab omnibus, quibus Officium cum Missa concessum est, post expletam formalem Beatificationem recitari posse indulsit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11 Septembris 1889.

RAPH. Card. MONACO

L. ✠ S.

VINC. NUSSI S. C. R. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

WLADISLAVIEN.

MATRIMONII

Die 8 Iunii 1889.

Sess. 24, Cap. 1 de ref.

COMPENDIUM FACTI. Maria Hedviges Komierowska, cum ex morte primi sui viri Bronikowscki, a quo etiam tres filios susceperat, vidua mansisset, secundas inhiavit nuptias, easque die 29 Novembris 1879, Cracoviae in ecclesia Cappuccinorum reapse iniit cum viro milite Stanislao Bojarski.

Infelicissimo tamen exitu; quoniam paulo post discordiae et dissidia, quae in dies maiora facta sunt, coniugalem torum funestarunt. Huius rei causa, iuxta virum, fuit indolis utriusque diversitas et coniugalis commercii discordia; si vero mulierem audias, id ex viri impotentia provenit; quippe quia cum actus maritales identidem, sed irritis inhonestisque conatibus tentare hic vellet, semel atque iterum in gravem infirmitatem uxorem adduxit; unde tandem haec post annum et dimidium virum fugit, et paulo post, Novembri mense anni 1881, matrimonium ex capite impotentiae impugnavit, illudque dissolvi a curia Wladislaviensi-Calissiensi petiit.

Eiusmodi precibus annuens ecclesiasticus iudex, actricem et reum iudicialiter excutit, deinde eorum corpora inspici iubet. Atque ideo duo medici Iosephus Rymarkiewicz et Bronislaus Wojciechowski primum per se ipsos viri corpus examinarunt, et dein per tres obstetrices a tribunali electas riteque edoctas mulierem de more recognoverunt. Tres alii medici successerunt qui viri corpus iterum, atque seorsim a prioribus, de tribunali mandato viderunt. At peritorum iudicium concors non fuit; de quo infra fusior erit dicendi locus. Sextus quoque medicus adfuit D. Zarewicz, qui scripto testimonio edixit, se « Stanislaum Bojarscki impotentia virili laborantem per longius tempus curasse. » Et paullo post supplens iam exhibitum testimonium - testatus est - « Stanislaum impotentia virili iam ante matrimonium contractum laboravisse, et ex morbi decursu coniicio impotentiam hanc insanabilem esse. » Ac demum quinque testes ab actrice propositi auditi sunt qui tamen de impotentiae causa nil retulerunt, sed tantummodo de sponsorum discordiis.

His autem habitis consistorium Wladislaviense-Calissiense sententiam tulit die 30 Iunii 1882, quae tamen fuit actrici adversa, et matrimonii confirmatrix; unde mulier appellavit ad metropolitanam curiam Varsaviensem. Sed et haec mulieri suffragari non potuit, imo decreto diei 19 Maii 1884 iudicium primae instantiae ratum in omnibus habuit.

Haud tamen animo fracta mulier, per Archiepiscopum varsaviensem ad S. C. C. quasi ad tribunal tertii gradus provocavit, sed rescriptum fuit die 4 Iulii 1885, *non esse locum appellationi*. Iterum per eumdem Praesulem insistens rogavit, ut instantia sua per modum querelae admitteretur, et ut « iudicio episcopali primae istantiae suppletoria instructio causae, eaque peracta, nova eiusdem iudicialis disquisitio demandetur. »

At die 29 Maii 1886, rescribi placuit: « *Lectum ad instantiam;* et quatenus oratrix minime acquiescat R. D. Defensori matrimonii ex officio pro voto. » Et revera, non acquiescente muliere, tandem ex audientia SSmi diei 27 Iunii 1887 hoc prodiit decretum: « Attentis etc., Episcopo Calissiensi, qui praevia confectione novi processus, tam super non sequuta matrimonii consummatione, quam super causis dispensationis servata forma const. Benedicti XIV *Dei miseratione*, cum facultate etiam subdelegandi etc., de resultantibus certioret et processum transmittat ad S. C. »

Exinde Calisii iterum processus instructus est, iterum audita est mulier, iterumque etiam vir, qui insuper spopondit suos septimae manus testes fore iudicaturos. At in posterum neque hoc fecit, neque, licet legitime citatus ad novam corporalem inspectionem subeundam, amplius comparuit; unde contumax renunciatus a iudice fuit.

Mulier vero suos testes proposuit; quorum nonnulli Calisii, duo vero, ex subdelegatione, Cracoviae interrogationem subierunt. Hos inter fuit medicus ille Zarewicz, qui in primo processu testimonium suum in scriptis transmiserat.

His actis, Episcopus Calisiensis processum Romam misit una simul cum suis litteris quas ita concludebat: « Quoad me vero spectat ad illam deveni persuasionem allegatas causas veras esse, nec non actricem mereri quatenus super matrimonio suo cum Stanislao Bojarski contracto a SSmo Principe dispensationem obtinere queat. »

Diceptatio Synoptica

Defensio mulieris. Ac primum actricis patronus ostendere sategit iure meritoque contra sententias 1 et 2 gradus cum restitutione in integrum novam disquisitionem fuisse concessam. Non enim quaerendae erant, uti factum est, probationes quae impotentiam absolutam rigorose adstruerent, cum nullitas matrimonii pariter decernenda sit propter impotentiam relativam; nec enim potentia viri ad matrimonii valorem consideranda est in abstracto, sed respectu mulieris, quam duxit. In re compertissima sufficiat adducere Sanchez *De matrim. Disp. 93, n. 3,* qui sic arguit: « Quia sic se habet absolutum et totale impedimentum respectu matrimonii absoluti, sicut *respectivum* et particulare *respectu particularis:* sicut ergo illud dirimit *omnem* matrimonii contractum, ita *hoc* dirimet *peculiarem.* »

Porro hanc relativam, antecedentem quidem et perpetuam impotentiam, indubitanter probatam fuisse in prioribus instantiis patet tum ex medicorum peritiis, tum ex ipsius Stanislai confessione. Hic enim, sub velamine dispositionis membrorum, suam impotentiam non denegavit. Aiebat enim: « Hanc suppono causam, meas genitales partes *non esse accommodatas* genitalibus uxoris meae. » Medici vero graphice describunt miserandam corporis et genitalium organorum Stanislai conditionem, quem anemiâ affectum nervisque dissolutum exhibent, morbis venereis consumptum, onanismi vitio coinquinatum; unde ipsâ spermatozoâ atrophiâ eum affectum renunciant. Hinc tum duo medici, qui in comparativo iudicio corpus utriusque coniugis inspexerunt, tum bini ex tribus doctoribus qui separatim Stanislaum examinaverunt, relativam, antecedentem, insanabilem et perpetuam eius impotentiam definierunt. Tertius doctor hypothetica quidem dubia circa quasdam circumstantias versantia proponit; at haec de facili poterant expelli, si recte processus completus fuisset, et denique et ipse concludit se agnoscere physicam viri *carnaliter* cum Hedwige *coeundi impotentiam.*

Immerito itaque ac nimis rigide iudices primi et secundi gradus processerunt, dum pro fundamento decidendi statuerunt « quod in dubio standum est pro valore sacramenti. » Eo vel magis quod quando agatur de impotentiae casibus contraria prorsus theoria applicanda doceatur. Testis sit Coscius *De separ. Thor. lib. 3, cap. 2, n. 386:* « Tunc enim quia agitur de inferendo praeiudicio et iniuria eidem sacramento, directe contraria procedit regula, nimirum quod *in dubio standum sit pro exclusione matrimonii,* ut optime distinguunt Abbas, Felinus, Hostiensis, Monaldus, de Iustis, Rota etc., ex viva ratione, quia in foro externo.... tolerabilius et honestius est... matrimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii occasionem incontinentiae praebere et continuum fovere peccatum. » Omnis ceteroquin vel spernenda haesitatio facile repelli poterat, si interrogatus fuisset formiter medicus Zarewicz, iuxta legem S. C. C. die 22 Augusti 1840: « si querela super impotentia versetur, interrogandi sunt periti physici, quos coniuges consuluerunt; » itemque si interrogata fuisset, quam citaverat actrix, eiusdem amita Sadowska, quae ab ipso coniugii exordio querimonias mulieris de Stanislai impotentia audiverat.

Dein transit patronus ad probandum quod nunc, suppletis actibus, nullitas matrimonii ex capite impotentiae plenissime demonstratur. Sane ex duobus medicis qui in primo processu comparativum corporis utriusque coniugis examen instituerunt, prior hoc iudicium profert: « iureiurando obstrictus.... testor Stanislaum Bojarski indubitanter impotentiâ physicâ accidentali laborare; *impotentiam physicam* matrimonium *antecessisse,* et versus Hedwigem Boiarska uxorem eius esse relativam, atque ad eandem *perpetuam*. Hedwigem Boiarska autem optima sanitate gaudere. » Alter vero ipsi concinit quoad impotentiam relativam et quidem antecedentem, licet de perpetuitate sileat, quam ipse cum originaria et absoluta videtur confudisse. Uterque demum huius impotentiae causas antipathiam et odium, causas videlicet morales, ex parte esse renunciat, quin tamen et physicas dari

huius defectus rationes diffiteatur. Ambo etenim eumdem agnoscunt non modo « dissolutum nervis » et, « anemiâ in summo grado affectum, » sed et venerea lue infectum ac testiculari atrophiâ consumptum, uno verbo *cadavericam* esse personam. Porro atrophiam esse veram exinanitionem, quae nec operatione chirurgica tolli, nec artibus medicis suppleri possit, quaeque erectionem aut penitus impossibilem aut ita insufficientem reddat, ut maritalis coniunctio impossibilis fiat, patet ex *Leopolien. 15 Dec. 1887.*

Praeter hos duos, alii praesto sunt tres doctores qui sub fide iurisiurandi corpus viri separatim inspexerunt; ex quibus 1. et 2., minutissima investigatione peracta, indubiam retinentes Stanislai impotentiam, multis eam causis attribuunt: 1. vitio onaniae; 2. perpessioni genitalium morborum, quorum indicia luculentia in organis sunt; 3. omnimodae anemiae et dissolutioni nervorum; 4. maximae antipathiae, imo inconciliabili odio adversus uxorem suam. Hinc 1. eorum, doctor Wilcewski, ait: Impotentiam physicam apud Stanislaum Bojarski matrimonium eiusdem die 29 Novembris 1878 contractum antecessisse certum est: » et: « huic impotentiae physicae quae ut in Stanislao Bojarski etiam permanens seu perpetua, nec ars medica nec ars chirurgica mederi potest. » Eadem repetit 2. medicus. Quoad 3. vero, licet non omnino cum aliis consentiat, quod ostendit illum independenter et non ex condicto suum emisisse votum, non tamen denegat impotentiam relativam, quam a defectu fortioris stimuli ad suam uxorem repetit. Dubium vero quod per abstractas considerationes excurrens proposuit, num impotentia matrimonium praecesserit, facile diluitur testimonio medici Stanislaum curantis Zarewicz, qui extraiudicialiter iam in 1. instantia declaraverat, Stanislaum impotentiâ « *iam ante matrimonium contractum laboravisse, et ex morbi decursu coniicio impotentiam hanc insanabilem esse.* » At idem dein iudicialiter interrogatus deposuit, se ante matrimonium Stanislai curam suscepisse « *super impotentia coeundi.* » Atque addit: « Utique erat impotens... Ex nar-

ratione vero et expressionibus D. Boiarski ratiocinari poteram, hunc, si quemdam timorem quoad consummationem matrimonii cum D. Brouikowska patefaceret, debere esse impotentem etiam respectu aliarum feminarum. » Accedit tandem iudicium quod almae huius urbis medicus perspectae scientiae ac conscientiae Battistini, sic emisit: nempe sese censere Stanislaum Boiarski esse impotentem hanc impotentiam esse insanabilem, et matrimonium praecedere, ita ut nullum fuerit matrimonium ab eodem initum. Adiiciatur quod ubi de impotentia agitur, ea ex generali regula censetur semper perpetua et praecedens; Reiffenstuel *lib. 4 tit. num. 32.* « Si dubitetur an impotentia praecesserit in foro externo praesumi debet eam praecessisse; » cui consonat Engel *lib. IV tit. 15 num. 9;* Ursaya *part. 1 discept. 12 n. 248,* arguens ex doctrina Sanchezii, *De matrim. lib. VII disp. 103 n. 1.* Et quoad perpetuitatem, validissima intrat praesumptio scatens ex eo quod eadem « inhabilitas... augebitur de futuro, in aetate in qua potentia generandi languet et notabiliter in dies decrescit, iuxta vulgatum adagium: qui non est hodie, cras minus aptus erit.» De Luca *Decis. 11 n. 18;* Jacond, *Dictionnaire de médecine, Paris 1865.*

Nec ulla difficultas moveri potest ex iuvenili aetate et apparenti forma regulari; nam etsi concedatur hominem totaliter anemicum ac virilibus viribus destructum regulari corporis structura esse praeditum, non ideo excluditur impotentia, quae intrinseco vitio delitescat. In hoc tradendo concordant praestantissimi tum veteres, tum recentiores doctores. Ita Cocchius in *discept. phis. Anat.* § *4:* « Licet externa configuratio inculpabilis sit, non tamen excludit internae structurae vitium » et § *12* « nec obstat dicere quod sana appareat externa penis configuratio, quum interius vitiata pars delitescat. » Quem sequitur Marchangelus, *Dissert. physic.* § *6,* et Barzellotti, *Medicina legale, cap. 3 n. 1.* Ex plurimis quae ad hoc confirmandum adduci possent S. C. C. resolutionibus, sufficiat memorare *Neapolita-*

nam 24 Aprilis 1858, qua solutum fuit matrimonium, vetito viro transitu ad alias nuptias, licet formis hic praeditus esset herculeis, eâque externâ configuratione comparatus, ut periti eum appellaverint « un modello di viripotenza ».

A fortiori itaque idem impotentiae iudicium ferendum erit in themate, cum de viro agatur, nedum viribus exhausto, nedum cadaveri magis quam personae potenti assimilando; sed qui insuper tali penis exiguitate laboret, ut ipse de se conqueratur « membrum meum longitudine non respondet. » Porro hoc inter praecipuae externa impotentiae signa connumerat Zacchias *Quaest. medic. leg. tom. 1 lib. 3 tit. 1 qu. 5 n. 12.* Adde perturbationes onanismi et exinanitionem ex omnimoda anemia morbisque venereis ortam, et defectus erectionis ac impotentiae in probatis omnino ponere debebis, praescindendo licet a quacumque medicorum sententia.

At praeterea impotentiam demonstrant medicamina quae ante matrimonium a medico Zarewicz, post illud a medico Ostrzyski expetivit; quod vehementem de impotentia suppeditat probationem, uti monet, plurimis aliorum DD. productis sententiis, Ursaya *tom. 1 part. 1 discept. 12 n. 144 seq.*

Tertio loco probatur ex ipsius viri confessione, qui medicis inspicientibus fassus est, se virili erectione caruisse, quam confessionem iam medico familiari fecerat. Ita sane medici Zarewicz et Ostrzyski, qui ultimus refert, se Stanislaum invenisse « *valde consumptum et impotentem ad actus coniugales, quod ultimum tamen repeto ex eius propria confessione.* »

Hinc quarto loco nonnisi impudicis actibus contra sanctitatem coniugalis foederis cum praeiudicio valetudinis operam dare poterat, ut praecise actrix affirmat, et mirifice confirmant verba puellae cuiusdam, quae, ut refert testis Ciśielski, Stanislao ad peccandum eam inducenti respondit « se non *ituram quia ipsam excruciat tantum.* »

Ulterius impotentiam evincit publica fama, quae mani-

feste probatur ex testimonio septimae manus. Ita sane nobilis vir Donel: « Vitam immoderatam duxerat (Stanislaus); sciebam eum adhuc ante matrimonium fuisse confectum et debilitatum. Haec erat generalis opinio; omnes eum in Konin noverant. Illico post nuptias coniugum Boiarski omnibus notum erat D. Boiarska accepisse virum consumptum.» Porro ut monet Coelestinus *III c. de testibus* « violentam praesumptionem fama consentiens demonstrat, praesertim cum hoc non dicatur occultum, sed quasi praedicetur a pluribus manifestum, » ut observant Menochius *De arbit. lib. 2 cas. 103 n. 10;* Ursaya *tom. 1 part. 1 discept. 12 n. 136.*

Fastigium tandem imponit qualitas personarum, cum iurato septimae manus aliorumque suffragio testium. Mulierem omnes contestantur piam ac religiosam, et unanimi voto declarant se habere moralem persuasionem ipsam confessam esse veritatem, ac neque mendacium, neque periurium commisisse. Porro ipsa decisive sub fide duplicis iuramenti confitetur: « Omnino certa sum me nunquam cum Stanislao Bojarski debitum maritale adimplevisse: » Quod maxime attendendum videtur, quia si ex una parte actricis religio arguit pro eius veracitate, eiusdem mulieris aetas, antiqua cum viro conversatio, filiorum susceptio, certiorem facere potest iudicem, eam in hoc edendo iudicio errori obnoxiam non fuisse. Quod confirmatur ex depositione amitae Mariae Sadowskae, quacum actrix querebatur de viri impotentia ab ipso primo coniugii exordio. Et magis magisque adstruitur ex morbis quibus tentata fuit mulier ob excitatam et non impletam carnis cupidinem; unde medico iubente, discedere etiam a viro aliquando debuit.

Ex altera vero parte vir luxuriae deditus, parumque religiosus passim traducitur, ac insuper mendax deprehenditur, dum per ambages affirmat octies vel saepius in nocte actum coniugalem adimplevisse, simul fatetur se vaginam uxoris non penetrasse. Nec refert Stanislaum testes septimae manus non produxisse, siquidem iuxta patronum, in quaestio-

ne de impotentia, non exigitur testimonium ex parte illius qui denegat impedimentum. Sanchezii *De matr. disp. 109 n. 13;* Aŕcharani et Reiffenstuel in *cap. Laudabilem*, doctrinam sic repetit Ferraris *v. Matrimonium art. VI n. 45:* « Si vero unus coniugum neget, et alter affirmet impotentiam, tunc non requiruntur quatuordecim, sed sufficiunt et adhibendi sunt solum septem ex parte affirmantis. » Quod sua praxi S. C. C. confirmavisse videtur in *Neapolitana 31 Mart. 1710,* et in *Ianuen. 16 Iun. 1866.* Ex quibus omnibus concludit orator in themate moralem haberi de impotentia certitudinem, quae a physica non differt nisi diversitate obiecti, quia haec materialem ordinem, illa vero moralem investigat, quoad effectum tamen eiusdem valoris habetur. Hinc ea sola contenta saepe fuit S. C. C. ut dispensationem super matrimonio rato et non consummato, exulante physica investigatione, concederet, ut in *Gandaven. 17 Dec. 1845;* in *Parisien. 28 Mart. 1851 et 26 Iun. 1858; Casnadien. 31 Ian. 1863, et Tergestina 11 Dec. 1876.* (1).

Quo cum pervenerit orator, ac retento quod matrimonium ex viri impotentia inconsummatum haberi velit magis quam nullum, ad causas dispensationis enucleandas accedit, ac recolit, Episcopum in suo voto septemdecim dispensationis motiva enumerare, ac praesertim ipsam impotentiam viri et durissimas tractationes, nempe alapas, minas, et pecuniarum iniquam propositionem. Istas causas confirmat iudicialibus iuratis testibus, qui omnes non modo de impotentia loquuntur, sed et alias gravissimas vexationes et odii causas deponunt, de quibus plura inter alios referunt Thaddaeus Ciesielski et Veronica Straglinscka. De cetero vel ipsum dubium de impotentia rationem honestissimam et iustitiae consonam praebere apostolicae dispensationis, ne thalamus coniugalis obscoenis cum dispendio temporalis et aeternae salutis dehonestetur. Ursaya *tom. 3 part. 2 n. 103;* De Luca *De matrim. disp. 7 n. 7.*

(1) Adest Vol. X, 375.

Item gravem animorum aversionem molestamque cohabitationem causam exhibere canonicam dispensationis, docet Schmalzgrueber *lib. 4 n. 19 tit. 141;* Ursaya, *discept. 7 n. 76,* Pyrrhus Corrado, in *Praxi disp. lib. 8 cap. 7 n. 3;* quod passim S. C. C. sua praxi confirmavit. Unde non immerito Episcopus postremis suis litteris actricem pro gratia commendavit.

Animadversiones defensoris s. vinculi. Ex altera vero parte vinculi defensor notat in primis, factum quod unice in disputationem venit hoc esse, utrum nempe Stanislaus sit viribus iners. Etenim Edwiges trium liberorum mater est, et duobus a medicis qui eam per obstetrices inspexerunt sana renunciatur, et ad maritalem unionem prorsus idonea. Praeterea in confessis est coniuges duodeviginti menses insimul fuisse, et identidem maritalibus actibus pro viribus vacasse.

At si quaestionis punctum ad hoc unum, nempe ad viri impotentiam reducatur, iam ex medicis ne unus quidem Stanislaum naturali impotentia affectum censet. Siquidem primus respondet: Stanislaum Boiarski supradictae impotentiae physicae non a nativitate esse obnoxium, sed morbum hunc esse accidentalem. » Alter medicus: « Supradicti defectus.... probant sine ullo dubio Stanislaum Boiarski carnaliter cum mulieribus esse copulatum. » Tertius: « Descriptae superius impotentiae physicae Stanislaus Boiarski a nativitate non est obnoxius. » Quartus: « Quo tempore impotentia physisica Stanislai Boiarski sit orta difficile est determinare. » Ultimus peritus: « Origo sic determinatae impotentiae physicae Stanislai Boiarski ad hoc temporis momentum est referenda, quo hi motus antipathiae ac odii in uxorem suam apud Stanislaum exurgerent; quando autem hoc fuerit, determinare nequeo. »

Accedit quod impotentia, quam accidentalem periti vocant, non sit absoluta ad omnes mulieres, sed relativa ex testimonio duorum medicorum qui utriusque sponsi corpus inspexerunt. Quin imo nec relativa impotentia explorata un-

dique est, altero ex his duobus sic testante: « Impotentia physica Stanislai Boiarski, relative ad uxorem suam non est omnino neganda; quamvis illa factis physicis comprobari nequeat.... Ipse actus copulae carnalis est actus mere physiologicus. Ergo in homine, viribus sufficientibus et tam iuveni aetate, impotentia physica dubia videri potest. Qua de causa repeto adhuc: impotentiam physicam Stanislai Boiarski, relative ad uxorem suam, esse solummodo verisimilem non vero certam et absolutam. Ars enim physiologiae ac observatio medica multa refert exempla, talis, ut ita dicam, antipathiae sexualis inter coniuges ad se invicem; quamvis haec antipathia vitiis in complexione non innitatur. »

Cui concinit alter ex tribus medicis qui seorsim Stanislai corpus inspexerunt, D. Drecki haec asseverans: « Ex conditione physica genitalium rerum ac defectuum Stanislai Boiarski, quos visu et tactu perspexi, affirmare non possum, Stanislaum Boiarski infallibiliter ac indubitanter, impotentiae physicae esse obnoxium. Impotentia physica Stanislai me opinante, nec est omnino certa, nec indubia, nam illa motibus animi ex parte Stanislai Boiarski relative ad uxorem suam infestis innititur, natura autem, eorumdem animi motuum nec mihi erat, nec est nota. »

Quin referat Stanislaum de se loquutum fuisse genitales suas partes non esse accomodatas genitalibus uxoris suae; quandoquidem teste Fleury *Trait. therap. Paris 1866 p. 1025* hoc non obstante, fecundatio locum habere potest; et ex testimonio trium in causa peritorum statuitur quod « brevitas vel exiguitas membri virilis Stanislai Boiarski nec cuiuscumque viri, relative ad qualemcunque vaginae uteri profunditatem, nunquam impedimentum absolutum esse potest ad feminam impregnandam. »

Et quin etiam ad impotentiam statuendam proficiat hepatis morbus, quo Stanislaus affectus aliquando fuisse dicitur; nam doctor Drecki obtestatur: « Hepatis morbus sic determinatae impotentiae physicae causa esse non potest. »

Nec meliori omine morales causae proferuntur ad impotentiae impedimentum adstruendum ex testimonio D. Battistini a mulieris patrono in consilium pro re sua accitus.

Sed nec aversio animorum ut impotentiae moralis causa proferri potest, cum ex testimonio domesticae mulieris Veroniae Struglinska cognoscatur « inter D. Boiarskam eiusque maritum, eam relationem fuisse, quae externe magnum eorum amorem significabat. » Relate vero ad medicos cognitores licet maior eorum pars impotentiae iudicio faveret, non ideo maioris huius numeri iudicio fidendum esse, defensor contendit, eo quod periti non ut iudices aut arbitri, sed ut testes facti assumuntur, ceu monet De Luca *De iud. discept. 33 n. 20.*

Praeterea nec verum videtur maiorem peritorum partem in impotentiae iudicium secura sententia consensisse. « Quandoquidem medicus Woicickowski censet; impotentiam physicam Stanislai Boiarski, relative ad uxorem suam, esse solummodo verisimilem, non vero certam et absolutam. » Felix Drecki: « Impotentia physica Stanislai Boiarski, me opinante, nec est omnino certa nec indubia, nam illa motibus animi ex parte Stanislai Boiarski relativa ad uxorem suam infestis innititur, natura autem eorumdem animi motuum nec mihi erat nec est nota. » Valerianus Wilczewski: « Potentiam virilem apud Stanislaum Boiarski summo in gradu decrevisse, ita ut actum coniugalem nonnisi, fortissimo stimulo carnali astipulante, ille perficere posset. »

Et quamvis D. Bieniecki et Rymarckiewicz impotentiam « nec dubiam nec incertam » dicant; tamen cum id desumant ex causis moralibus odii et aversionis inter coniuges, quae causae excluduntur a famula Veronica Struglinska, iam hoc medicorum iudicium ruere atque evanescere necesse est. Et in eodem censu ex iisdem rationibus ponenda videtur sententia romani medici Battistini; nam et ipse supponit sponsos mutuo caruisse amore, quod famula, testis de visu, omnino negat.

Sed et idem sentiendum de medico extraiudiciali Zarewicz, qui licet in scriptis de absoluta, et insanabili Stanislai impotentia testimonium tulisset, excussus tamen in iudicio respondit: « Quoad incurabilem difficile erat hanc uno tempore diiudicare; ex narratione vero et expressione D. Boiarski ratiocinari poteram. » Item medicus Ostozichi inter testes septimae manus ab actrice inductus, ait: inveni eum valde consumptum et impotentem ad actus coniugales; quod ultimum tamen repeto ex eius confessione. » Omnibus igitur medicorum sententiis rite perpensis, putat defensor, validum suffragium instantiam mulieris quoad viri impotentiam haud posse invenire.

Insuper sponsi sibi invicem omnino contradicunt, dum Hedviges certiorem se esse dicit actum coniugalem maritum non complevisse, ac vicissim profitente viro, saepius copulam carnalem perfectam fuisse. Porro in hac contradictione si mulier statim ab initis nuptiis aut saltem intra annum contra virum reclamavisset eius instantia admitti poterat; sed quia post annum, imo post annum et dimidium, matrimonium impugnavit, reiicienda est ex praescripto *cap. 1 de frig. et malef.* « quia, ut ibi cavetur, si proclamare voluit cur tam diu tacuit? »

Nec mendacii aut periurii accusari potest Stanislaus, quippe quia eius verba quoad maritalis congressus frequentiam explicari possunt de conatibus; dum vicissim causae suae nimium studiosa videtur actrix, utpote quae viro duo millia rublorum obtulit, teste Veronica Strunglinska rei mediatrice, « ne dominam diffamaret eiusque opinioni damnum afferret. »

Quoad pharmacorum vero usum, notat defensor, id solummodo evincere, Stanislaum integrâ plenâque valetudine non valuisse, minime vero fuisse impotentem. Idemque dicendum de fama, quae dum in se plene non probat, insuper in themate undique explorata non apparet.

Et quamvis Sanchez *De matr. l. 7 q. 109 n. 15* doceat quod « quando mulier erat corrupta, ante matrimonium, nec

per aspectum corporis viri cognosci potest sit vir frigidus nec ne, ... rem referendam (esse) « ad testes ex auditu, qui deponant se ab ipsius coniugibus audivisse numquam eos consummare potuisse matrimonium: » tametsi exulant in casu testes qui hanc rem adstruant « ut haec probatio « merito suadeat veritatem et ita rem habere » ut *cit. loc.* vult Sanchez. Siquidem secundus, tertius, quartus et sextus testes rogati, an aliquid circa huius matrimonii inconsummationem scirent, una echo responderunt negative. Quintus obmurmuravit: « Sciebam eum (Stanislaum) adhuc ante matrimonium fuisse confectum et debilitatum: haec erat generalis opinio. » Septimus testis, qui est administrator dominii Hedvigis, ita ait: « In quantum mihi videbatur principalis causa, ob quam coniuges Boiarski simul cohabitare nolunt, erat domini Boiarski character violentus et terribilis. Vix postea ab ipsa domina Boiarska edoctus fuit, cum me in testem primi processus divortialis indicaverat, causam divortii cum viro esse huius impotentiam. « Imo denuo examini suppositus testatur; Dominam Boiarska non consummasse matrimonium cognovi nonnisi in consistorio Calissiensi. »

Missis primo et octavo testibus medicis Ostrinski et Zarewicz, de quibus actum superius est, superest adhuc nonus qui est actricis amita. Haec fatetur quidem querimonias neptis suae ob viri impotentiam audivisse « atque hoc fuisse, videtur mihi, post reditum e Parisiis, primis mensibus vitae coniugalis » - sed Veronica Strunglinsca nonnisi serius id cognovisse fatetur; ait enim: « Cum coniuges Boiarski separati essent, domina Boiarska autem divortialem causam inchoasset, admirabunda (quippe quae coniuges maritali genio indulgentes multoties viderat) interrogavi, cur haec omnia ita fierent, cum ipsa toties tam amorosae coniugum Boiarski consuetudinis testis fuissem. Ad haec domina Boiarska respondit: putasne aliquid fuisse? ille tantum tentavit. »

Nec fidendum plurimum est actricis testimonio, licet re-

ligiosa ac veridica a septima eius manu nuncupetur : mirum enim non est ut homines ab actrice inducti in inducentis suffragium abundent. Eo vel magis quod testes refutatorii ex adversa parte seu favore matrimonii absint, quod insuper contra S. C. C. instructionem factam fuisse conqueritur defensor.

Quin proferre valeat, Sanchezii sententiam esse testes septimae manus inducendos unice esse a parte affirmante impotentiam; quandoquidem haud videtur hunc esse sensum verborum Sanchezii. En sane ut ipse se explicat opere *De matrim. lib. 7 desput. 109 n. 11:* « Quamvis disputatione praecedenti dixerimus utroque coniuge fatente impedimentum, exigi iuramentum septem propinquorum utriusque coniugis, et ita quatuordecim propinquorum; at quando alter solus fatetur, soli septem propinqui illius fatentis debent iurare se credere illum (fatentem) dicere verum. Quia cum alter neget, propinqui illius non vocandi sunt ut in favorem fatentis iurent. »

Hoc tamen non excludit quod vocentur ut de religiositate aliisque testimonium proferant. Quod nedum praescriptum videtur ab Instructione S. C. C. sed et iustum est, ut paritas sit actorem inter et reum.

Immerito pariter ex Sanchezio deducitur in causis impotentiae procliviorem esse debere iudicem ad dissolutionem, magis quam stare pro valore actus; nam eodem opere *lib. 7 disput. 103 n. 8* ait: « Quando dubitatur an vera impotentia sit et an matrimonium consummatum sit, nec ne, adhibita sufficienti diligentia, dubium vinci nequit: censeo in hoc dubio praesumi pro matrimonii valore, nec illud semel initum posse dissolvi. Ducor, quia cum quilibet naturaliter praesumatur potens, asserenti veram impotentiam, ubi ea dubia est, incumbit onus eam probandi: et dum ea non fuerit certo probata, praesumitur pro naturali potentia ac subinde pro matrimonii valore. »

Ac propterea vult defensor, iuxta Sanchezium solummodo in casu quando impotentia actu certa est, sed dubitatur de

qualitate an scilicet matrimonium praecesserit, nec ne, contra matrimonium concludi posse; minime vero quando, ceu in casu, ipsamet actualis impotentia incerta est.

His stantibus et cum inconsummatio matrimonii ex capite impotentiae demonstrari non possit, supervacaneum ducit defensor de causis dispensationis verba facere, ac postulat sacramentum tueri.

Quibus animadversis, proposita fuerunt dirimenda

Dubia

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Et quatenus negative

II. *An sit consulendum SSmo. pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 15 Iunii 1889 censuit respondere: *Ad I. providebitur in secundo Ad II affirmative.*

Ex quibus colliges I. Impedimentum respectivum et particulare dirimere peculiarem contractum matrimonii, ceu omne matrimonium dirimit impedimentum absolutum et totale.

II. Impedimentum impotentiae in themate videri fuisse saltem respectivum, et matrimonii celebrationem antecedens ita ut nullum renunciari debuerit hoc matrimonium.

III. Tolerabilius et honestius videri matrimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii occasionem incontinentiae praebere et continuum fovere peccatum; etenim infertur praeiudicium et iniuria eidem sacramento.

IV. Famam consentientem demonstrare violentam praesumptionem, praecipue si agatur de impedimento quod a pluribus praedicetur manifestum.

V. Septem tantum requiri testes ex parte affirmantis quando unus affirmat, alter vero ex coniugibus impotentiam negat.

MONTIS REGALIS

DISTRIBUTIONUM

Die 8 Iunii 1889.

Sess. 22 cap. 3 De reform.

Compendium facti. In Ecclesia cathedrali Montis Regalis viget ab antiquo consuetudo, ut canonicus archipresbyter, cui imminet cura animarum, praesens in choro habeatur, ad hoc, ut distributiones quotidianas lucrari valeat, duobus tantum casibus, scilicet, quando confessiones fidelium audit in ipsa Cathedrali, et diebus dominicis et festis, pro illis horis canonicis, quae praedicationi seu instructioni parochiali immediate succedunt.

Modo, capta occasione novae compilationis statutorum capitularium, archipresbyter Restagno ab hac S. Congregatione petiit, ut in iis insereretur articulus sequentis tenoris, scilicet: « Canonicus archipresbyter habens curam animarum, » dum abest a choro ministerii sui causa, habetur pro prae- » sente et interessente, et lucratur distributiones, iis tantum » exceptis, quae dicuntur inter praesentes, onerata tamen » conscientia ipsius archipresbyteri, ad iuris normam, ne hoc » abutatur privilegio. »

Huiusmodi archipresbyteri precibus vehementer obstitit Capitulum: hinc prodiit rescriptum ut quaestio in plenaria Congregatione ageretur.

Disceptatio Synoptica.

Quae favore archipresbyteri militant. Favore archipresbyteri adesse praeprimis perpensum est claram ac formalem dispositionem Concilii Tridentini *Sess. 23, cap. 3 De ref.* quae sic se habet: « Quod si alicui ex praedictis digni- » tatibus... cura animarum immineat... tunc pro tempore » quo in curata ecclesia resederit ac ministraverit, tamquam » praesens sit ac divinis intersit, in ecclesiis cathedralibus » ac collegiatis habeatur. »

Concilii Tridentini decreto accedere constantes ac uniformes S. C. C. decisiones. Sic in *Asculana 20 Novembris 1830*

ad quaesitum: *An et quae distributiones ac emolumenta percipere possint canonici curati absentes a chorali servitio pro exercenda animarum cura:* S. C. C. respondit: « *Affirmative quoad omnes distributiones et emolumenta, exceptis iis, quatenus non intersint, quae a voluntate testatorum debentur actu tantum praesentibus.* Sic in *Mediolanen. 3 Februarii 1609; Montis Regalis 8 Iunii 1726, et 6 Decembris 1732; Pisana 27 Iulii 1839; Papien. 18 Ianuarii 1882; Sabinien. 24 Iulii 1886* et alibi passim. »

Nec diversam esse canonistarum doctrinam, ceu videre est apud Ferraris, qui in *V. Distributiones n. 29* docet: « Dis- » tributiones quotidianas lucratur canonicus a choro absens » occasione servitii curae eius canonicatui adnexae, tamquam » si esset praesens, ex Conc. Trid. *Sess. 22, cap. 3.* » Cui consonant Benedictus XIV *Instit. 107, num. 56;* Scarfantonius *lib. 2, tit. 10, n. 9 et seqq.;* Lucidi *Vol. I, fog. 309.*

Haec in iure. In facto autem archipresbyter ait, modo speciales magis quam olim occurrere causas, ut precibus fiat satis; et in primis auctum parochianorum numerum, maxime postquam in parochia sedem suam fixerunt militum alpinorum praesidium et districtus militaris; quo fit ut multo saepius quam antiquitus verificetur casus accurrendi ad infirmos; item imminutum cleri numerum, ita ut archipresbyter coadiutores facile non possit sibi adsciscere; praeterea diminutionem reddituum praebendae archipresbyteralis ob maiora tributa, quae archipresbyterum in impossibilitate constituunt plusquam unum vice-curatum sustentandi.

Sane ex prospectu reddituum ab archipresbytero Eula, qui dein Episcopus Novariensis fuit, anno 1876 peracto, deduci quod sors activa praebendae ad lib. 4966 ascendit; passiva vero ad 4136, ita ut tantum lib. 840 archipresbytero maneant.

Post haec ad obiectiones adversariorum confutandas descendens, praeprimis perpendit falsum omnino esse archipresbyteratui olim non fuisse adnexam nisi curam habitualem per Vicarium exercendam; et contendit praedecessores suos

habuisse semper, uti nunc certe habent, curam actualem. Et in rei confirmationem adducit statuta capitularia anno 1480 confecta et huc usque vigentia; archipresbyteratus collationem, quae fit per viam concursus, uti disponit Conc. Trid. *Sess. 24, Cap. 18 De reform.* pro beneficiis curam animarum habentibus; Bullas collationis eiusdem, quae ipsi curam animarum attribuunt, ac ne verbum quidem habent de Vicario, per quem debeat exerceri (quidquid sit de illis, quae citantur ab adversariis, in quibus forsan error potuit irrepere); factum tandem actualis curae, qua nunc archipresbyter gaudet, quin doceatur quando vel quomodo immutatio evenerit.

Relate vero ad alterum obiectum, archipresbyterum nempe fuisse admissum ad percipiendas distributiones non nisi serius, per Episcopi Romagnano et adiectam absolutae interessentiae conditionem, observat orator, canonicos retinuisse, quod illius temporis archipresbyter, vi eiusdem sententiae ex parte sua renuntiasse favore capituli decimis, oblationibus ac funeribus et onus sibi assumpsisse sustentandi capellanum, qui non modo archipresbytero opem ferret in cura animarum, sed varia quoque capitulo servitia praestaret.

Ex quibus patere inquit, archipresbyterum sibi ipsi quotam distributionum efformasse, quae si ipsi denegantur dum abest a choro ob animarum curam, solus onera ferret, aliis commodum sentientibus.

Insuper verba, quae interessentiam in choro in illa conventione praescribunt, nequaquam archipresbyterum excludere a distributionibus, si servitii causa a choro abest, sed iuxta canones ita interpretandam esse, ut intervenire in choro debeat, nec abesse ipsi liceat nisi ex probata et legitima causa. Quod nisi concedatur, consectaria ridicula sequerentur, idest quod ne in infirmitatis quidem casu a choro abesse posset, quin punctaturis subiicieretur. Cum enim verba generalia sint aut omnes legitimas absentiae causas excludunt, aut omnes pariter admittunt.

Quo vero ad consuetudinem, notat hanc non fuisse praescriptam, quia, canonicis fatentibus, contra ipsam archipre-

sbyteri iugiter reclamarunt, uti iam anno 1519 faciebat archipresbyter Baglioni.

Neque minus a veritate abhorrere urget, distributiones esse rem pure canonicalem, quae non intrat ad efformandos reditus parochiales, idque evincit 1. ex bullis collationis, quae distributiones computant ut partem parochialis reditus: 2. ex eo quod archipresbyter suam distributionum quotam efformaverit, cedendo capitulo decimas, oblationes, funeralia: 3. ex eo quod quotam distributionum archipresbytero debitam a tributo 30 0/0 ipsum capitulum eximendum curavit, ut partem parochialis reditus: 4. tandem ex responso S. C. C. quae, 20 Aprilis 1697 quaesito: *An in congruam canonici curati imputari debeant distributiones quotidianae, quae dantur ratione servitii et interessentiae choro,* respondit: *Affirmative.*

Quod si archipresbyteri mediam annatam sacristiae solvere non consuescunt, id contigisse, quia a capitulo fuit eis remissum intuitu onerum parochialium, quae ipsi sustinere debent.

Item si a tributo 30 0/0 sunt exempti, id ex parochialis beneficii natura provenire; quin tamen ex hoc simultanea qualitas canonicalis excludatur. Et ipsum capitulum, qua parochum habitualem duorum ecclesiarum Montis Regalis, eadem immunitate gaudere quoad nonnullos reditus, quos tamen ut canonicales apprime habet.

Nec magis verum esse archipresbyteris onus sibi coadiutorem adsciscendi ideo impositum fuisse, ut tenerentur assistere choro sub poena amittendi distributiones; sed ut melius provideretur animarum servitio, simulque per capellanum quaedam exhiberentur capitulo servitia.

Tandem aequum haud videri, archipresbyterum, cui onera canonicalibus longe difficiliora incumbunt, adigere ut feriatum tempus impendat ad curam animarum exercendam: hoc enim idem esset ac ipsi denegare quodlibet libertatis vel quietis momentum. Neque id temporis in praxi sufficiens semper esse posse; cum, dempto quoque militari praesidio, 4000 animarum frequens sit parochia.

Hisce omnibus adductis archipresbyter concludit praedictum articulum in novis capitularibus statutis inseri oportere.

Quae Capitulo favent. Vicissim capitulum, citatis Conc. Trid. verbis : *Distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiant,* reliqui ... *his careant,* iisdemque in suum sensum ampliatis atque conversis, contendit ex pluribus institutionis bullis patere archipresbyteratui olim non fuisse adnexam nisi curam habitualem per Vicarium exercendam, nec huiusce status immutationem factam fuisse ullibi enarrari.

Insuper archipresbyterum in principio a distributionibus choralibus massae capitularis exclusum, ad earumdem participationem serius admissum fuisse per sententiam arbitramentalem ab Episcopo Romagnano die 26 Iulii 1505 datam, in viam transactionis et cum hac conditione : « ipso tamen Do» mino archipresbytero et suis successoribus residentiam fa» cientibus in dicta ecclesia cathedrali, ac in missa et divinis » officiis interessentibus. »

Hinc urget, archipresbyterum frustra invocare generalem Conc. Trid. dispositionem : cum enim ipsi in principio distributiones non competerent, nec nisi vi particularis conventionis earum particeps factus fuerit, eis gaudere nequit, nisi impletis conditionibus, quibus ad eas admissus fuit.

Quapropter resolutiones S. C. C., utpote quae regulam generalem statuunt et confirmant, casui particulari applicari non posse. Resolutionem vero in causa Montis Regalis diei 8 Iunii 1726, superius recensitam, eam cathedralem ecclesiam non respicere.

Verum, praeter conventionem contra archipresbyterum dimicare quoque subdit praxim atque observantiam, non unius, sed quatuor et amplius saeculorum, ab anno scilicet 1505 usque ad praesens. Imo olim legem vel severiorem fuisse; nam tunc archipresbyter eximebatur a punctaturis solummodo, cum confessionibus sacramentalibus in cathedrali adsistebat, quin requies post sacram concionem ei concederetur.

Praeter haec animadvertendum esse censet, duplicis generis esse reditus quos percipit archipresbyter, nempe distri-

butiones pro chori servitio, praebendam pro cura animarum. Hanc magis esse parochialem quam canonicalem ipsos archipresbyteros facto suo probasse; nam nunquam sacristiae solvere voluerunt mediam annatam, quod onus omnibus canonicis statuta imponunt; nec insuper detractioni tributi 30 0/0 subiecti fuerunt.

Aliunde provisum satis esse exercitio curae animarum tempore servitii choralis per dispositionem praedictae conventionis anni 1505, quae statuit, ut « archipresbyter canonicus » et sui praedicti successores in dicto suo archipresbyteratu » teneantur et debeant laudabiliter deservire favore curae ani- » marum ratione praedicti archipresbyteratus, videlicet... » teneantur et debeant suis sumptibus et expensis habere et » deputare unum capellanum presbyterum et unum clericum » idoneos... ut continuo intersint et interesse debeant in di- » vinis officiis in dicta ecclesia. »

Quin tamen exinde archipresbyteri impediantur a choro abesse, si necessitas animarum hoc postulet; bonum enim animarum iustam quidem absentiae causam praestare potest, at ius praebere ad percipiendum id quod praesentibus actuque inservientibus unice reservatur, minime valet.

Eo vel magis quod canonici Montis Regalis duos menses etiam interpolatos abesse possint, quin punctaturis subiiciantur. Unde archipresbyter, si distributionum privationem effugere intendit, feriatum hoc tempus in animarum curam et parochialis ministerii exercitium dirigere et impendere studeat oportet.

Quod vero attinet ad peculiares causas, quibus archipresbyter suam petitionem fulciri arbitratur, notat capitulum, ex adventu militum vix augeri parochiale servitium, cum milites infirmi deferantur ad nosocomium civile, ubi adest capellanus, qui infirmis sacramenta administrat.

Cleri vero imminutionem non minus canonicis, quam archipresbytero praeiudicium afferre; ex eo quod per legem ad 12 redacti, non raro vix sufficientes sunt choralibus servitiis.

Praeterea archipresbyteralem praebendam, licet tributis

gravatam, pinguiorem ex beneficiis esse. Ideoque nihili faciendum esse prospectum ab archipresbytero Eula exaratum, utpote vel in anno deficientiae peractum, vel affabre concinnatum, ut Gubernio occultarentur parochiae reditus ; quos insuper ab eo tempore summa circiter lib. 1000 quidam auctos fuisse asserunt.

Tandem in perdita hypothesi, quod archipresbyteri preces admitti velint, capitulum postulat, ut taxative determinentur officia parochialia, quae absentiam a choro, ad effectum lucrandi distributiones, legitimam facere possunt, ne secus abusibus et ulterioribus quaestionibus via aperiatur.

Hisce omnibus utrinque adnotatis propositum fuit sequens

Dubium

An in novis edendis capitularibus statutis inserendus sit articulus ab archipresbytero propositus, vel potius standum sit consuetudini in casu.

Resolutio. S. Congregatio Concilii, omnibus mature perpensis, dubium dimittere censuit sequenti responso: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ex quibus colliges. I. Ex Conc. Trid. *Sess. 22, cap. 3 De reform.* dignitates vel canonici, quibus cura animarum imminet, pro tempore quo in curata ecclesia resederint ac ministraverint, tamquam praesentes ac divinis interesse in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis haberi.

II. Hinc distributiones quotidianas tempori absentiae respondentes lucrari, tamquam si essent praesentes.

III. Iis tantum distributionibus et emolumentis exceptis, quae a voluntate testatorum debentur *actu tantum praesentibus.*

IV. Distributiones quotidianas, quae dantur ratione servitii et interessentiae choro, in congruam canonici curati imputari debere.

V. Consuetudinem, ut legis vim obtineat, debere esse pacificam et legitime praescriptam.

VI. Conventionem, ad normam iuris communis interpretandam esse, quoties eius verba adeo ambigua sunt, ut interpretatione egeant.

AGRIGENTINA

MATRIMONII

Die 6 Iulii 1889.

Sessio 24 Cap. de Ref. Matr.

Compendium facti. Antonius Valenza et Maria de Marco, coram parocho utriusque proprio, matrimonium verbis de praesenti inierunt, die 31 Martii 1870. Post decennium haud feliciter transactum in individua vitae consuetudine cum Antonio, domo maritali relicta, Maria ad matrem sese recepit, petiit et obtinuit a civili tribunali separationem, ac postea supplicem SSmo porrexit libellum, in quo, accusato marito impotentiae atque iniqui propositi vitandi generationem prolis, dispensationem super matrimonio rato et non consummato expostulavit.

Per S. Congregationem Concilii, prout de more, commissa fuit Episcopo confectio processus super non consummatione matrimonii et causis dispensationis, cum facultate subdelegandi pro examine partium et testium, si forte aliquis procul a curia commoraretur.

Antonius prius sese paratum dixit cuilibet examini subeundo, sed postea mutato consilio examinatori noluit se sistere, unde a iudice contumax declaratus fuit.

Mulier vero deposuit: sese fere per decennium inter iurgia et molestias cum marito vixisse, licet usque a primo temporis momento cognoverit, ipsum nec posse, nec velle matrimonium consummare, cum ipso nuptiarum die expresse ei declaraverit, carnalem unionem perficere nequire, atque uxorem duxisse ut eam solum comitem haberet, ceu revera accidit: noluisse in principio nullitatis matrimonii causam introducere, pudore prohibitam atque religioso metu sic a

Deo volitum existimantem; sed virum saevitiis, durisque quibus usus est erga se modis, impulisse, ut separationis iudicium iniret.

Examini quoque subiecta fuit septima mulieris manus, cuius praecipuus testis fuit maior actricis soror nomine Castrensa, quae, praemisso, sibi notum esse, Antonium Valenza semper duxisse vitam irreligiosam, testata est, sororem Mariam sibi narrasse saevitias mariti, atque addidisse copulam carnalem pluries regulariter perfectam fuisse, sed evitatam prolis generationem ab Antonio, qui se retrahendo extra vas turpiter semen effundebat.

Ad haec Castrensa adiecit, praecipuam discordiarum causam, in eo sitam esse quod Antonius cum alia muliere nimium familiariter utebatur; nunc vero suam sororem iudicium nullitatis matrimonii introduxisse, eo quod alteri nubere in votis habet.

Post haec ad corporalem mulieris inspectionem deventum est, ad quam peragendam tres a tribunali fuerunt electae obstetrices, quae a medicis instructae, praemisso balneo, munere suo functae sunt. Examine peracto, omnes lacerationem hymenis unanimiter admiserunt, sed in iudicio ferendo de virginitate aliisque adiunctis, in diversas abierunt sententias. Hinc et medici suum iudicium proferre non posse dixerunt eo quod obstetricum responsiones contradictoriae erant, neque observatae fuerant instructiones ab ipsis datae.

Tunc iudex iterandam censuit inspectionem per peritiores obstetrices vel per medicos; verum actrix omnino obstitit, noluitque se subiicere novae inspectioni.

In hoc statu Consultoribus S. Congregationis Concilii quaestio subiecta fuit; atque Theologus censuit dubiam esse non consummationem matrimonii, ideoque supervacaneam esse investigationem de causis dispensationis; canonista putavit constare de matrimonii consummatione, et ideo minime consulendum SSmo, ut dispenset super hoc matrimonio; quas opiniones vinculi matrimonialis officiosus defensor acceptavit suasque fecit.

Rebus sic stantibus proposita fuerunt enodanda

Dubia

I. *An constet de matrimonii nullitate.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato.*

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii, re perpensa, die 6 Iulii 1889, respondendum censuit: *Dempto* I. *dubio* ad II. *Negative.*

THEANEN.

DISTRIBUTIONUM

Die 6 Iulii 1889.

Sess. 24 cap. 13 De ref.

Compendium facti. Litteris diei 26 Novembris 1887 ad S. C. C. datis, Episcopus theanensis exposuit controversiam exortam inter capitulum cathedrale et canonicum poenitentiarium quoad distributiones extraordinarias, tum fixas, tum incertas. Quum nimirum die 14 Augusti a praedicto capitulo missa votiva extraordinaria celebrata esset, ab huius emolumentorum participatione exclusus est Canonicus poenitentiarius, qui, confessionibus in hac ipsa ecclesia cathedrali audiendis, durante sacro, occupatus, celebrationi non intervenit. Reclamavit Poenitentiarius, sed frustra: nam omnes capitulares responderunt quod vi consuetudinis immemorabilis distributiones extraordinariae tum certae, cum incertae, semper divisae fuerunt inter canonicos, choro praesentes tantum. Exinde ex facto particulari generalis quaestio orta est, hinc contendente capitulo, omnes extraordinarias distributiones Poenitentiario a choro absenti et in confessionibus audiendis occupato esse denegandas; illinc reclamante Poenitentiario eas sibi deberi.

Episcopus utriusque partis allegationes ad S. C. C. remittens, notabat, quod ex sua sententia canonici non recte iudicarunt, quum renuerent dare Poenitentiario partem distributionis.

Disceptatio Synoptica.

Iura canonicorum. Canonici haec adducunt ut protueantur iura sua: ex consuetudine immemorabili distributiones extraordinariae tum certae, cum incertae, apud capitulum tribuuntur tantum canonicis in choro praesentibus, comprehenso Poenitentiario; qui nuper invitatus a Sacristano ut adesset Missae votivae in choro, renuit; quinimo petiit ut de distributionibus extraordinariis, et etiam incertis sibi pars tribueretur, utpote qui tunc distentus esset in excipiendis confessionibus nonnullorum poenitentium, quae tamen differri facile poterant post Missam. Certum est ex iure communi Poenitentiario excipienti confessiones deberi omnigenas distributiones; *Triden. Sess. 24 cap. 8 de ref.;* verum haud posthaberi in hac materia queunt tum statuta particularia, tum contrariam inolitam consuetudinem et oblatorum voluntatem. Etsi per nos statuta invocari nequeant, quia non existunt, tamen consuetudo Poenitentiario quoad adventitia obstat etiamsi multitudo poenitentium eumdem praemeret Oblatorum voluntas contraria praesumi posset; nam isti obmussitarent quatenus viderent Poenitentiarium absentem quando fiunt extraordinariae functiones, quibus adest capitulum maioris decori et solemnitatis gratia, et scirent illum consequi propriam partem ceu alii qui interfuerunt.

Chori quoque servitium damnum caperet, si Poenitentiarius abesse posset, dum numerus canonicorum ita parvus per civilem legem factus est; et ex istis saepe nonnullus abest ex aegritudine, aut quia iam processit in aetate. Quod si retineri velit Poenitentiarium, confessiones excipientem, frui posse distributionibus extraordinariis certis, tamen illum excludi ab extraordinariis incertis dubio caret. *Lucidi Vol. III.*

cap. 25 pag. 208 et pag. 217 n. 39 adsunt quaesita quae sequuntur. « 1. An canonico iubilato, licet non intervenienti, debeatur portio emolumentorum provenientium ex associatione cadaverum et ex respectivis funeribus in casu? R. *Negative in omnibus.* 2. An debeatur portio emolumentorum provenientium ab anniversariis fixis in casu? R. *Affirmative, dummodo non obstet voluntas testatorum.* 3. An debeatur portio emolumentorum provenientium ab anniversariis incertis et extraordinariis in casu? R. *Negative.* 4. An debeatur portio emolumentorum provenientium ex missis cantatis adventitiis, quae occasione festorum ad benefactorum petitionem celebrantur a capitulo in ecclesiis civitatis et territorii in casu? R. *Negative.* »

Nec satis haec: nam praeterea canonici, fallentias ut distributiones extraordinarias considerantes, has quoque Poenitentiario adimendas esse putant, et adimere in posterum velle videntur. Sane ita prosequuntur: quaestio praesens aliam enascere fecit, entitate maiorem; idest punctatura dividi debet *inter praesentes:* et ab ea excludendi sunt negligentes et etiam legitimà excusatione fruentes: contrariam consuetudinem abusum omnino eliminandum esse.

S. C. C. rogata in *Ianuen. Servit. Chori die 8 Aug. 1863* - an et quomodo sit sustinenda consuetudo dividens fallentias inter diligentes et negligentes in casu - S. Congregatio rescripsit: *Negative in omnibus, et Archiepiscopus curet ut fallentiarum divisio in posterum fiat ad tramites iuris et resolutionum S. C.* Lucidi, *T. 1. p. 291, n. 40.*

Huic libello omnes quotquot habentur, praeter Poenitentiarium, in praedicta ecclesia canonici subscripserunt. Unus tamen ex ipsis qui est decanus capituli, adnotare curavit relative ad consuetudinem in libello invocatam, hoc tantummodo sibi constare, nimirum quod canonici Poenitentiarii praeterito tempore semper functionibus adventitiis intervenerint relinquendo Confessionum tribunal. Praeterea adiecit canonicus Theologus, quod quum in iisdem versetur conditionibus ac canonicus Poenitentiarius, sententiam attendit,

eique etiam nunc se submittit. Haec sunt quae pro re sua capitulares proponunt, quibus nil addendum esse videtur.

Iura poenitentiarii. Ex adverso autem sequentia cum canonico Poenitentiario opponi possunt. Bonifacius VIII *cap. un. de cler. non resid. VI,* quam legem renovavit Conc. Trid. *sess. 24 c. 12. De ref.* postquam statuit distributiones quotidianas tantum deberi praesentibus, sic prosequitur: « Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, exceptis illis quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret, rerum sic susceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; imo ad omnium restitutionem, quae contra huiusmodi constitutionem nostram perceperit, teneatur. *De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis idem decerninus observandum.* » Porro quoad haec ultima verba bene hoc observat Barbosa, *in h. c. n. 23:* « Apertissime probat textus, omnia supradicta circa distributiones quotidianas esse quoque intelligenda circa distributiones pro anniversariis defunctorum largiendas, ac proinde quemadmodum in tribus casibus hic exceptis quotidianas licet absentes lucrantur distributiones, ita etiam in iisdem casibus istas pro anniversariis absentes iuste percipiant. » Atqui sub causa utilitatis Ecclesiae, venire etiam Canonicum Poenitentiarium, dum actualiter audit confessiones, docet inter alios Devoti, *Instit. iuris eccl. L. II t. XVIII, § 10;* hinc et ipse in casu ius habet distributionibus fruendi pro anniversariis defunctorum concessis.

Quod generaliori etiam ratione firmatur ex Conc. Trid. *sess. 24. 8. De reform.* Ubi hoc amussim statuitur: *Qui, Poenitentiarius, dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in Choro censeatur.* Concilium Tridentinum igitur absolute decernit, Poenitentiarium teneri ut praesentem in Choro dum revera audit Confessiones in ecclesia cathedrali, nec ullatenus distinguit inter distributiones quotidianas et extraordinarias sive fixas sive incertas. Iamvero notissimum est iuris axioma, quod, ubi lex non distinguit,

nec nos distinguere debemus; hinc conformiter ad Tridentinum statuendum videtur, canonicum Poenitentiarium confessionibus audiendis in cathedrali occupatum lucrari omnes distributiones sive ordinarias sive extraordinarias, quas lucrantur alii canonici choro praesentes; cum ficta illa praesentia, quam praestat Poenitentiarius, idem ac vera operari debeat ex regula iuris, quae vult eumdem esse effectum fictionis in casu ficto, ac veritatis in casu vero.

Idque luculenter firmatur ex relatis apud Fagnanum, *cap. Licet, num. ult. de Praebendis* - ibi -: « Cum Concilium decernat, praesentem in Choro censeri Poenitentiarium cum confessiones in Ecclesia audit, suborto dubio, an etiam praesens censeri debeat extra Chorum, puta cum capitulum comitatur corpus defuncti sepulturae tradendum, ut eo quoque casu percipiat distributiones perinde ac si in illis interfuisset : dictum est referendum ad Sanctissimum, quia Concilium loquitur tantum de Choro; eamdem tamen in utroque casu militare rationem. Sanctissimus declaravit hoc in casu voluisse Concilium, Poenitentarium esse participem, et quidem a fortiori, id est in Choro, multo magis extra. »

Concors insuper est doctrina auctorum, qui non tantummodo in genere docent, Poenitentiarium, dum Confessiones in ecclesia audit, participare ad distributiones ac si esset Choro praesens (Schmalzgrueber *L. 3, tit. num. 95;* Reiffenst. *L. 3, t. 2, num. 20),* sed et explicite tradunt eumdem ius habere ad distributiones adventitias. Ad rem Scarfantonius, *Ad lucub. Ceccoper. l. 11, t. 10 num. 1 et seq.:* « Canonicus retinens theologalem praebendam in Cathedrali, vel Collegiata, non tantum horis quibus legit, sed pro tota illa die excusatur ab interessentia Chori cum gaudio tam distributionum, quam aliorum emolumentorum.... Canonicus Poenitentiarus.... tenetur congruis horis in suo Confessionali sui copiam facere et ibi confessiones omnium audire.... *Quo tempore numeratur uti praesens in choro, processionibus ac defunctorum exequiis.* » Idem tradit, Em. Card. d'Annibale, *Summula Theol. Moral. t. III, p. 365, n. 492:*

« Canonici Poenitentiarii officium est, ait, confessiones dioecesanorum excipere, quasi loco Episcopi. Verum non arctiori quam ceteri, residentiâ tenetur.... Dum autem confessiones audit in Ecclesia, et ipse *lucratur distributiones etiam fortuitas.* » Sic et plures alii.

At omne dubium, si quod superesset, evanescit inspecta praxi constanti S. C. C. Ita in *Ianuen. 4 Sept. 1591* decisum est, Poenitentiarium dum actualiter audit Confessiones in Ecclesia non solum censeri praesentem in Choro ad lucrandas distributiones, sed etiam eleemosynas ipsas, quae distribuuntur pro associandis et sepeliendis cadaveribus defunctorum, vel pro supplicationibus et processionibus, quae per urbem aguntur. Cfr. Barbosa, *De off. et pot. Episc. P. 3, alleg. 55, n. 30-31; Apost. Decis. collect. 126, n. 4-5;* Ferraris voce *Canonicatus, art. 9, n. 79.* Explicite autem resolutum fuit, Poenitentiarium in genere ius habere ad distributiones extraordinarias, dum Confessiones in Ecclesia audit, in *Verulana. Emolumentorum 15 Decem. 1877,* in qua etiam citatur *Viterbien. 15 Mart. 1631 ad dub. 2.*

Demum Poenitentiarius fere in omnibus aequiparatur Theologo, atque aequalia pro utroque iura obtinent. S. C. C. *in Vicentina Optionis 31 Ianuar. 1852,* § *Primo; Bellunen. Erect. Praeb. Poenit. 23 April. 1864,* § *Ius enim.* Iam vero Canonicus theologus, pro tota die qua legit, non solum distributiones ordinarias, verum etiam quaecumque emolumenta incerta inter interessentes distribuenda lucratur. Cfr. Card. Petra, *Comment. ad Constit. Apost. t. 4, n. 55;* Ferraris, *l. c., n. 42.* Estque praxis constans S. C. C. Cfr. *Arenionen. Octob. 1586 ad dub. 17 (lib. 4 decret. pag. 189); Oriolen. 12 August. 1628; Barchinonen. Praeb. theol. 2 Iun. 1860, per summaria precum; Verulan. Emolum. 17 Dec. 1877;* et causam tractatam per Sum. precum die 20 Sept. 1879, ubi S. C. C. interrogata, an praeter fructus praebendae ac distributiones quotidianas, lucretur (theologus) *etiam omnia emolumenta quae ipsi obvenirent, si habitu*

canonicali indutus praesens esset in Choro, respondit: Affirmative, nisi obstet voluntas dantis vel testatoris (1).

De iure communi ergo Canonicus poenitentiarius, dum actualiter pro munere suo audit confessiones in Ecclesia, haberi debet ut praesens in Choro ad lucrandas distributiones tum ordinarias tum extraordinarias etiam incertas. At imo et fallentias: etenim S. C. C. in *Alexandrina 29 Sept. (Lib. 21 Decret. p. 90)* proposito sequenti dubio, *an quando canonici, legitimis ex causis absentes, non amittunt proprias distributiones quotidianas, debeant etiam lucrari et participare pro rata de distributionibus aliorum canonicorum absentium, absque legitima causa:* respondit: *Deberi etiam punctaturas absentium.* Idem resolutum fuit inter alias in *Mediolanen. Distrib. 4 Februarii et 7 Decembris 1715; in Aprutina Distrib. 4 Iun. 1755; in Spoletan. Execut. rescripti et particip. fallent. 25 Ianuar. 1851.* Cfr. etiam Bened. XIV, *Instit. eccles. 107, n. 46.* Iamvero ut supra vidimus ex *Bonif. VIII in cap. un. de cleric. non resid. in 6* et *ex Conc. Trid. sess. 24, C. 8 De ref.* propter legitimam causam absens censetur Poenitentiarius, dum audit Confessiones in ecclesia. Ex iure communi ergo constat, Poenitentiarium in casu de quo sermo est, habere ius ad fallentias. Confirmatur haec conclusio per praxim S. C. C. relate ad canonicum habentem curam animarum suo canonicatui adnexam: ita in *Roman. Distrib. et Provent. 20 Decemb. 1873, 9 Mai et 12 Sep. 1874 ad dub. II: An parocho S. Nicolai absenti a choro ob exercitium curae animarum ex iure debeantur fallentiae canonicorum absentium in casu;* S. C. C. respondit: *Affirmative.* Item in *Adrien. Distrib. et Provent. 23 Augusti 1879.* Porro iure merito quoad praesentem quaestionem Poenitentiarius potest assimilari canonico curam animarum suo canonicatui adnexam habenti. Quod vero Capitulares Theanenses allegant relative ad praxim S. C. C. eliminandi, ut abusum, eam consuetudi-

(1) Vol. XIII, pag. 97 re'ata fuit quaestio haec.

nem, qua indiscriminatim participes fiant fallentiarum non solum qui adsunt, sed et ii qui absunt, id tantummodo in eo casu procedit, uti ex ipsa citata *Ianuen. Servitii Chori 8 Augusti 1863* et plurimis aliis patet, quando nimirum fallentiae non secus ac distributiones ordinariae tribuuntur iis qui absunt sine ulla legitima causa.

Verum, aiunt Capitulares, iuri communi derogari potest vel statuto particulari, vel consuetudine, vel voluntate dantium. Hinc contendunt in themate, Poenitentiarium a distributionibus extraordinariis exclusum haberi consuetudine et voluntate dantium.

Revera quoad absentes ex infirmitate, vel ex indulto iubilationis, pluries S. C. C. statuit, posse per indicatos modos iuri communi ultro derogari. *Aquipendien. Indulti, 18 Mart. 1719; Reatin., Iubilat. 28 August. 1870; Roman., Dubia Indult. 6 Maii 1820,* § *Indultus.* At relate ad supradicta poenitentiarii iura, abstrahendo a statuto peculiari, de quo in casu nostro non movetur quaestio, nullibi inveniri S. C. C. admisisse, ex consuetudine particulari posse iuri communi in hac re derogari. Et merito quidem. Nam in primis haec consuetudo esset contra Tridentinam legem introducta, imo contra eam legem, quae in publicum fidelium bonum decreta est. Ideo enim statutum est Poenitentiarium in sacramentali ministerio occupatum haberi debere ut praesentem in choro, et distributiones lucrari, ne temporalis lucri sollicitudine confessionum tribunal deserat cum damno spirituali vel scandalo et murmurationibus fidelium ad cathedralem ecclesiam accurrentium. Quo stante consuetudo, si daretur, corruptela legis, magis quam lex moribus introducta censenda foret, et hic usus, si esset receptus, extirpandus forte magis quam tollerandus videretur.

Imo, quamvis Poenitentiarius uti possit, vel non, pro lubito et circumstantiis, privilegio sibi concesso, huic tamen renuntiare, eoque absolute se exuere minime potest. Nam cum illud ius non tam in gratiam personae, quam in favorem officii pro bono publico fuerit introductum, eidem nun-

cium mitti absolute non potest, iuxta Reiffenstuel *l. 2 Decret t. 2 n. 243,* nam renunciatio in publicum detrimentum facile vergeret, ac insuper vulnus ex hoc inferri videretur integritati beneficii.

Insuper consuetudines quae sunt contrariae iuribus canonici theologi, S. C. C. constanter reprobavit ceu apparet ex *Corien. 26 August. 1848; Bisarchien. Praeb. Theol. 20 Sept. 1857; Perusina Theol. 30 Iul. 1859,* in quarum ultima proposito dubio, *an canonicus Theologus teneatur dispensatus a choro, etiamsi sui praedecessores numquam usi fuerint hoc privilegio pro tota die, qua legit,* responsum fuit: *Affirmative.* Atqui in huiusmodi rebus Poenitentiarius Theologo aequiparatus omnino censetur.

Ceterum uti ex nota adiecta a Decano Capituli et altero Canonico satis apparet, id unice ad praedictam consuetudinem probandam allegari potest, nimirum quod praeteriti Poenitentiarii semper in choro praesentes essent, quando functiones extraordinariae peragebantur. Iamvero ut exinde consuetudinis existentia erui valeret, ulterius probandum esset, Poenitentiarios sic egisse capitulo exigente, et poenitentibus ipsorum confessionali adstantibus. At vero utrumque latet; unde etiam ex hoc capite allegata in contrarium consuetudo pauci facienda videtur.

Quod attinet demum ad voluntatem dantium vel testatorum, de facto S. C. C. in causa per Summaria precum die 20 Septembris 1879 respondit canonicum theologum non lucrari distributiones extraordinarias, quando obstat voluntas dantis vel testatoris. At profecto non quaecumque voluntas ad id sufficere potest; sed necesse est ut voluntas testatoris vel dantis sit *expressa* S. C. C. in *Roman. Dubia indult. 6 Maii 1820,* § *Indultus,* seu aliis verbis requiritur ut explicite cautum sit a testatore vel a dante ut interessentes tantum participare valeant Cfr. S. C. C. in *Novarien. Iubil. 19 Ianuar. 1680 Lib. 32 Decret. p. 44; Adrien. Distrib. et Provent. 23 August. 1879.*

His utrinque perpensis propositum fuit diluendum

Dubium

An canonicus poenitentiarius absens a choro, ut confessiones fidelium ex suo munere audiat, praeter ordinarias distributiones, lucretur quoque tum fallentias tum cetera emolumenta seu distributiones extraordinarias sive fixas sive fortuitas in casu.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re cognita sub die 6 Iulii 1889, censuit respondere: *Affirmative et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Praesentibus tantum in choro obvenire distributiones ex iure certum esse; attamen fictione iuris haberi ceu praesentes, quos excusat infirmitas seu iuxta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas.

II. Poenitentiarium excusari a praesentia in choro per Ecclesiae utilitatem, fictaque illius praesentia in casu ficto, idem operatur ac veritas in casu vero.

III. Hinc nulla excipitur distributio favore illius eidemque debentur, praeter ordinarias distributiones, etiam extraordinariae, et eleemosynae quae distribuuntur pro associatione defunctorum, et processionibus, quae fiunt per urbem, nisi obstet liquida et expressa voluntas dantis vel testatoris.

IV. Poenitentiarium merito aequiparari canonico Theologo, explananti sacram scripturam, et Parocho curam animarum exercenti; atqui utrique munera proprii officii exercenti omnes tribuuntur distributiones.

V. Poenitentiarium teneri congruis horis facere copiam sui in confessionali, et confessiones omnium audire, quasi loco Episcopi; quum vero ex iure haud ligetur iste arctiori residentiâ quam ceteri canonici; hinc dum confessiones audit, merito ceu praesens habetur in choro, et ius habet, ad omnes distributiones ordinarias et extraordinarias, certas aut incertas.

VI. Iurisprudentiam hanc in themate haud suspendi neque per voluntatem dantium qui nil dixerunt, neque per adductam contrariam consuetudinem, quae minime probata fuit.

EX S. CONGREGATIONE EP. ET REG.

SENEN.

EXEMPTIONIS A IURISDICTIONE PAROCHIALI

Die 12 Aprilis 1889.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

Compendium facti. Rev. P. Thomas Pendola Scholarum piarum clericus regularis, vertente anno 1828, institutum surdorum et mutorum tam masculorum, quam feminarum iuxta limites Paroeciae ss. mm. Quirici et Iulittae urbis Senen. fundavit; pro masculis suorum Religiosorum operam, pro feminis vero filiarum s. Vincentii a charitate dictarum curas adhibens.

Verum anno 1876 piarum Scholarum Religiosi a nobili Tolomeorum collegio expulsi, in praedictum surdorum et mutorum institutum se receperunt, ibique religiosam familiam efformarunt.

Hoc tamen non obstante, a die quo huiusmodi Institutum erectum fuit usque ad novissimos dies, quoties aliquis ex surdis et mutis, sive masculis sive feminis infirmabatur, pro assistentia Parochus advocabatur, qui, s. Viatico et Oleo sancto administrato, defuncti cadaver ad ecclesiam parochialem associabat.

Postremis vero hisce temporibus, cum una ex feminis surdis et mutis in morbum inciderit religiosus, actualis Instituti rector, spiritualem assistentiam infirmae praestitit, s. Viaticum et extremam Unctionem administrando; et infirma vitâ functâ, parochum pro funeraria associatione tantum arcessivit.

Huiusmodi rectoris agendi ratione parochus se gravatum reputans, Curiam Senen. adivit, asserens Instituti rectori iura parochialia super Religiosis alumnorum educationi praeposi-

tis spectare; quo vero ad alumnos et servos laicos haec iura sibi competere.

Vicissim Instituti rector Bullis, ss. Canonibus, gravium doctorum iudicio et aliorum Institutorum exemplo innixus super omnibus, qui in Instituto degunt, iurisdictionem parochialem sibi vindicare studuit.

Instituti Rectori chorum egit R. P. Procurator Generalis Ordinis, qui insuper contendit, quod universa Collegia Ordinis sive in Italia sive extra existentia ad exemplum Collegii Nazareni in Urbe erecti huiusmodi iuribus et privilegiis fruuntur; ut scilicet sacerdotes religiosi in collegiis degentes et pro confessionibus a P. Generali approbati, confessiones convictorum et famulorum audire valeant; ut insuper iidem convictores et famuli, utpote commensales, absque Parochi vel Ordinarii licentia Paschatis praecepto satisfacere et extremam Unctionem recipere possint.

Contendit tandem ceteros Religiosos Ordines huiusmodi iuribus et privilegiis gaudere; ac per consequens omnes Regulares iis frui posse; et hanc esse doctrinam a Gury, a Scavini et a s. Alphonso traditam.

Huiusmodi habiti libelli *pro informatione et voto* Curiae Archiepiscopali Senen. remissi fuerunt, quae in accurato epistolio inter multa alia, de quibus inferius, retulit, praefatum Institutum esse regium, ipsius rectorem a Gubernio eligi, magistros vero a commissione virorum, qui partim a Gubernio partim a Municipio nominati sunt.

Disceptatio Synoptica

Quae parocho favere videntur. Parochus ad sua iura parochialia super Instituto tuenda observat ex facto constare, quod Rectores ab Instituti fundatione iugiter recognoverint huiusmodi iura in Parocho pro tempore residere. Idque erui praesertim ex agendi ratione P. Pendola, qui anno 1860 tunc temporis Parocho significavit se a Sede apostolica facultatem obtinuisse administrandi in Instituti Ecclesia pa-

schalem Communionem ipsius Instituti alumnis, tam masculis quam feminis. Quae res, ait Parochus, manifestum facit Instituti rectorem iura parochialia super alumnis exercere non posse, sed ea sibi reservata esse.

Hoc suum assertum confirmat epistola tum oeconomi spisitualis Ecclesiae s. Augustini, qui a Parocho ss. nm. Quirici et Iulittae veniam petiit, ut cadaver medici Perrazzi, qui in Istituto decesserat ad paroeciam s. Augustini, ad quam pertinebat, transferretur, tum ipsius P. Pendola, qui ob veniam a praefato Parocho indultam gratias egit.

Sed hisce omnibus sepositis, Parochus sustinet Instituti alumnos suae iurisdictioni subditos esse, quia ii *de domo* et *familia* dici nequeant. In cuius rei confirmationem duas resolutiones adducit S. Congregationis Episc. et Regul. alteram diei 21 Iunii 1848 praecipientem decretum esse *reformandum*, quo Episcopus Parmensis praescripserat ad Clericos regulares s. Pauli ius pertinere Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et extremae Unctionis ministrandi *suis alumnis convictoribus absque ulla licentia Parochi s. Sepulchri, in cuius territorio situs erat praedictorum Regularium conventus*. Alteram vero diei 21 Iulii eiusdem anni, *qua statutum est, ut iura Parochi casu mortis salva remaneant*.

Quin regerere valeat dispositionem Conc. Tridentini statuentis sub Regularium iurisdictione esse *famulos actu servientes et inter septa monasterii viventes*, ut ex hac dispositione deducatur a fortiori Instituti Rectoris iurisdictioni alumnos subiici debere, qui in eodem Instituto degunt. Quandoquidem Parochus observat citatam dispositionem in nullo pretio habendam esse, ex eo quod Conc. Tridentinum de alumnis inter monasteriorum septa viventibus sermonem instituere haud poterat, cum huiusmodi Collegia tunc temporis non existerent.

Tandem Parochus animadvertit fel. rec. Pium IX, sub die 3 Septembris anni 1864, Congregationi s. Sulpicii nec non Sodalitio s. Spiritus in Gallia existentibus exemptionem indulsisse. Ex quo inferre arbitratur pueros ac puellas, instructio-

nis gratia, in Religiosorum collegiis commorantes parochi iurisdictioni subditos esse.

Quae instituti rectori faveni. Instituti Rector ultro concedit suum Institutum a die fundationis usque ad annum 1876 iurisdictioni parochiali iugiter subiectum fuisse: sed addit hoc nihil officere posse. A temporis enim momento, quo scholarum piarum Religiosi a nobili Tolomeorum Collegio expulsi in Institutum sese receperunt, hoc ad participationem iurium et privilegiorum admissum fuisse, quibus ex Summorum Pontificum concessione, familia religiosa fruitur. Iamvero cum dubitari nequeat, quod familiae religiosae exemptione a parochi iurisdictione gaudeant; consequitur quod praefatum Institutum, ex eo quod ad Regulares pertineat, a iurisdictione parochiali eximi debeat.

Et hanc esse magnae notae Theologorum doctrinam, quos inter allegat S. Ligorium; Gury *Vol. 2 pag. 464 novae editionis romanae,* et Scavini *Vol. I, pag. 327 undecimae editionis.* Verumtamen ob aliam quoque rationem exemptionem in themate admittendam esse censet; quia scilicet anno 1864 fel. rec. Pius IX decretum promulgavit, quo voluit ut a Parochorum iurisdictione alumni omnes exempti essent, qui in Collegiis et Institutis degisseant, quorum regimen Regularibus creditum fuisset.

Animadvertit praeterea Parochum nunquam se immiscuisse in instructione religiosa, imo neque potuisse, attenta instructionis specialitate, quae alumnis exhibetur. Insuper Institutum valetudinariis comparat, quae in vim Bullae Pontificiae, a Sacerdote dependent, cui religiosa infirmorum assistentia demandata est, excluso Parocho loci, in quo huiusmodi valetudinaria exurgunt.

Asserit quoque Religiosos in Instituto ecclesiam propriam et publicam habere, in qua ipsi missam conventualem quotidie celebrant; Archiepiscopos in pastoralibus visitationibus Tabernaculum solummodo visitasse, in quo SSmum Sacramentum asservatur: Instituti famulos, quippe qui de familia religiosa sunt, instructionem religiosam a Sacerdote per Su-

periorem designato qualibet hebdomada recipere; idque contingere ipse ait, quia huiusmodi famuli ab obligatione accedendi ad parochiam exempti sunt.

Observat tandem alumnos ceterosque omnes, qui in Instituto cum Religiosis vivunt, in Ecclesia eiusdem Instituti praecepto Paschatis satisfacere.

Quod si in Collegio eiusdem Ordinis Florentiae existenti, famuli saeculares sub Prioris s. Laurentii iurisdictione sunt: contra Institutum nihil ponit in esse, quandoquidem in vim peculiaris reservationis hoc contigit.

Huiusmodi excepto Collegio, indubii facti esse, quod reliqua quibus scholarum piarum Religiosi praesunt, a parochi iurisdictione exempta sunt. Hinc a fortiori Senen. Institutum a parochi iurisdictione eximendum esse sustinet, et hanc exemptionem a miserrima alumnorum conditione exurgi.

Hinc numquam contigisse perpendit, ut Parochus Monasterium seu Collegium adiverit pro animarum statu conficiendo; ceu in usu habet, quoties de locis agatur; quae ab ipsius iurisdictione dependent.

Et si interdum Parochus s. Quirici Religiosis moribundis in Instituto degentibus Sacramenta administravit, id peregit, quia invitatus ab Instituti Rectore, qui parochi assistentiam moribundis praestandam gratiae ergo petivit.

Hisce tum in facto, tum in iure adnotatis, Rector concludit Senen. surdorum mutorumque Institutum a Parochi s. Quirici iurisdictione exemptum declarandum esse.

Argumentis pro Instituti exemptione vindicanda a Rectore adductis adstipulatur Curia episcopalis, quae existimat Instituti Rectori *pro tempore* indulgendam esse facultatem assistentiam spiritualem praestandi et Sacramenta omnia etiam extremae Unctionis administrandi tam alumnis, sive masculis sive feminis in Instituto degentibus, quam ceteris personis qui in eodem Instituto vitam ducunt.

Et huiusmodi a parocho exemptionem nedum utilem, sed necessariam esse et in bonum alumnorum cedere, ex eo quod cum ipsi non intelligant nisi loquendi rationem a religiosis

magistris traditam, assistentia parochi, qui talem loquendi modum non cognoscit, inefficax et prorsus inutilis evaderet.

Hisce omnibus ex utraque parte perpensis propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An et quomodo alumni et famuli laici degentes in surdorum mutorumque Instituto urbis Senen. a Clericis Regularibus scholarum piarum recto, a parochiali iurisdictione exempti sint in casu.

Resolutio. Sacra Congregatio Episc. et Regul. re maturo examini subiecta, sub die 12 Aprilis 1889 respondere censuit: *Negative in omnibus, sed, attentis specialibus circumstantiis in casu concurrentibus, supplicandum SSmo. pro gratia exemptionis a iurisdictione parochiali, exceptis iuribus parochi quoad funera.*

Ex quibus colliges: I. In monasteriis ac etiam in Collegiis, ubi iuxta instituta regularia vivitur, posse tam Praelatos Regulares quam confessores Regularium eorumdem Monasteriorum seu Collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui sunt de familia et continui commensales, non tamen illorum qui tantum ipsis deserviunt.

II. Iuvenes et convictores alumnos viventes pro studiis in Regularium Collegiis, habendos esse veluti spectantes ad Coenobii et Monasterii familiam, adeo ut, irrequisito parocho communionem Paschalem, Viaticum et Extremam unctionem a superiore Regulari recipere possint.

III. In themate vero hanc qualitatem surdis et mutis Instituti Senen. denegatam fuisse, tum quia huiusmodi Institutum non tam a Clericis Regularibus, quam potius a potestate laica dependere retentum fuit; tum quia etiam Parochus loci in quo Institutum exurgit, alumnis, tam masculis quam feminis infirmis, extrema Sacramenta iugiter administravit.

IV. Ideoque, ob speciales circumstantias in casu concurrentes, supplicatum fuisse SSmo pro gratia exemptionis a iurisdictione parochiali, ita tamen ut iura parochi *quoad funera* ipsi intacta servarentur.

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

DECRETUM Urbis et Orbis; quo conceditur Indulgentia Christifidelibus pium exercitium quindecim Sabbathorum in honorem Deiparae sub titulo Sanctissimi Rosarii peragentibus.

Pluribus abhinc annis Sodales Confraternitatum Ssmi Rosarii consueverunt singulare pietatis obsequium Bmae Mariae Virgini tribuere quindecim Sabbathis, haud interruptis, vel immediate ante festum eiusdem B. Mariae Virginis sub memorato titulo, vel etiam quolibet infra annum tempore. Haec autem pia praxis sacris iam Indulgentiis a Summis Pontificibus pro supradictis tantummodo sodalibus ditata, in eo sita est, ut nempe singulis praefatis Sabbathis Sodales accedant ad sacramenta Confessionis et Ssmae Eucharistiae, simulque aliquem devotionis actum eliciant in honorem quindecim Mysteriorum, quae recensentur in marialibus precibus SSmi Rosarii. Modo vero quum apud Christifideles usus exhibendi huiusmodi obsequium B. Mariae Virgini frequentissimus invaluerit, preces delatae sunt Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, ut etiam Christifidelibus devote peragentibus hoc pium exercitium coelestes Indulgentiarum thesauros benigne reserare dignaretur. Porro Sanctitas Sua, cui summopere cordi est, ut erga Bmam Virginem sub titulo SSmi Rosarii cultus foveatur et pietas, relatas preces in audientia habita die 21 Septembris 1889 ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae peramanter excepit et, alia quacumque abrogata Indulgentia, quae fortasse pro universis Christifidelibus eidem pio exercitio quomodolibet fuerit adnexa, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in singulis haud interruptis quindecim Sabbathis vel immediate praecedentibus idem festum B. Mariae Virginis sub titulo SSmi Rosarii, vel etiam quolibet infra annum tempore vere poenitentes,

confessi ac sacra Communione refecti, tertiam saltem Ssm̃i Rosarii partem devote recitaverint, vel aliter eiusmodi Ssm̃i Rosarii mysteria pie recoluerint *Plenariam Indulgentiam,* defunctis quoque applicabilem, semel tantum in uno ex supradictis Sabbathis uniuscuiusque arbitrio eligendo, benigne concessit; in reliquis vero quatuordecim Sabbathis *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum,* animabus pariter in Purgatorio detentis applicabilem, clementer elargitus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 21 Septembris 1889.

Pro Em̃o ac Rm̃o Dño C. Card. CRISTOFORI, *Praefecto*

ALOISIUS Card. Episcopus SABINENSIS.

L. ✠ S.

Alexander Episcopus Oensis *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria VI die 6 Decembris 1889.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quae sequuntur Opera damnata atque proscripta a Sacr. Congr. S. Universalis Inquisitionis:

Jean de Bonnefon — Le Pape de demain. — Paris E. Dentu, éditeur Libraire de la Société des Gens de lettres, 1889. — *Decr. Fer. IV die 4 Decembris 1889.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate aut in posterum edere aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illa tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 14 Iunii 1889.

CAMILLUS MARIA Card. MAZZELLA Praef.

Fr. Hyacinthus Frati Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 17 Iunii 1889 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

APPENDIX IV.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

LINCIEN.

Quo Liturgicarum praescriptionum observantiae nec non S. R. C. Decretorum conformitati apprime consulatur in eis quae ad cultum divinum spectant, Rmus D. Franciscus Iosephus Rudigier Episcopus Lincien. sequentia Dubia pro opportuna resolutione eidem Sacrae Congregationi humillime subiecit, nimirum :

I. An Dominica III Octobris, in qua in Dioecesi Linciensi anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et omnium simul Ecclesiarum celebratur, debeat a Sacerdotibus, qui hac ipsa die celebrant anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, fieri commemoratio Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, prout hucusque factum est ?

II. Quatenus vero haec Commemoratio Dedicationis Ecclesiae Cathedralis facienda esset, et quidem iuxta rubricas per Orationem « *Deus qui invisibiliter* etc., quaeritur: an in hac Oratione verba illa *templum hoc* in *illuc deprecaturi* (et sic respective in Secreta et Postcommunione) mutari debeant, prout in Kalendario aliquarum Dioecesium adnotatur ?

III. Dioecesis Linciensis anno 1871 die 28 Septembris indultum obtinuit, per totum Adventum celebrandi quotidie unam Missam votivam B. M. V. *Rorate*, excepto festo Immaculatae Conceptionis eiusdem B. M. V. ; ac diebus quando fit officium de infra Octavam eiusdem Immaculatae Conceptionis ; item excepto festo Expectationis partus B. M. V. ; nunc vero dubium exortum est, an die 10 decembris in festo Translationis Domus Lauretanae B. M. V. (quod Dioecesi Linciensi anno 1870, die 7 Iulii concessum fuit) liceat dicere praedictam Missam votivam *Rorate* vel potius dici debeat Missa de Festo ?

IV. Dioecesi Linciensi viget (sicut in pluribus Dioecesibus Imperii Austro-Hungarici) consuetudo extinguendi Candelas tum acolythorum tum altaris, dum canitur *Passio* in Missa solemni Dominicae Palmarum ; quaeritur an haec consuetudo possit retineri ?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, nec non Rmi. Assessoris

Congregationis ipsius, sic enuntiatis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Provisum in praecedenti.

Ad III. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Ad IV. Negative, et consuetudinem in casu tollendam. Atque ita declaravit et rescripsit. Die 13 Iulii 1883.

NITRIEN.

Intra limites Dioeceseos Nitrien. in oppido vulgo *Dubnicza* nuncupato, Ecclesia extructa et consecrata fuit die 25 Iunii 1789, quae deinceps duplex passa est incendium: primum quidem anno 1814, quo nonnisi lignea tecti compages ac turris conflagravit, alterum anno 1882, quo compages, fornicem mediae navis templi percussit, adeo ut parietes Ecclesiae in una parte vitiati, et binae in parietibus Cruces consecrationis destructae fuerunt. Hinc in restaurationis operibus accidit, ut tum eaedem Cruces penitus amotae sint, tum reliqui totius Ecclesiae muri cum caeteris Crucibus consecrationis inalbari rursus, atque ideo novae Cruces pictae efformari debuerint. Hisce perfectis, Ecclesia dominica SSmae Trinitatis anni vertentis iuxta Ritualis praescripta benedicta est. Verum sequentia dubia statim suborta sunt circa Ecclesiae consecrationem, quae Rmus Dnus Augustinus Roskovangi hodiernus Nitrien. Episcopus pro opportuna resolutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An, stantibus expositis, praedicta Ecclesia rursus consecranda sit? et quatenus negative;

Dubium II. An tantum omnes Cruces consecrationis iterum consecrandae sint; vel illae quae solummodo quae omnino abrasae fuerunt? et quatenus affirmative ad primam partem;

Dubium III. An huiusmodi reconsecratio fieri possit, ut actus consecrationis inchoetur per antiphonam *Lapides pretiosi* etc. thurificationem?

Dubium IV. An pro nova Crucium consecratione praescriptum ieiunium pridie observari debeat?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. Negative, idest nulla nova consecratio peragenda.

Ad II. Nulla crux consecranda, sed tantummodo redintegrandae Cruces deletae.

Ad III. et IV. Provisum in praecedentibus. Atque ita rescripsit. Die 13 Iulii anno 1883.

PETROCORICEN.

Rmus Dnus Nicolaus Iosephus

Dabert Episcopus Petrocoricensis insequentia Dubia pro opportuna solutione SS. Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Utrum in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis in fine Tertiae ante Missam Conventualem dicendus sit versus *Fidelium animae,* uti praescriptum videtur in Rubrica Breviarii XXX, n. 3., et uti decrevit S. Rit. Congregatio die 24 Aprilis 1742 in Thelesina, an vero omittendus sit, uti contendunt nonnulli, declarationi eiusdem S. C. die 27 Februarii 1847 in Senen. ad 4 innixi?

Dubium II. Utrum in Missis quotidianis de *requiem*, quae in plerisque Ecclesiis parochialibus absque Ministris a solo Celebrante cantantur, dicendae sint tres Orationes, an vero una?

Dubium III. Haec S. Rit. Congregatio interrogata: quanam hora liceat incipere privatam Matutini cum Laudibus recitationem Vesperae diei praecedentis; respondendum censuit die XVI Martii 1876 in una de Zacathecas: Privatam recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum. Nunc vero quaeritur an praedicta resolutio ita intelligenda sit, ut ille non sastisfaceret obligationi suae qui Matutinum cum Laudibus Vespere diei praecedentis recitaret priusquam sol medium cursum teneret inter meridiem et occasum?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito antea voto in scriptis alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Servetur Rubrica.

Ad II. Dicenda una Oratio.

Ad III. Consulantur probati auctores. Atque ita rescripsit et declaravit. Die 13 Iulii 1883.

ARICHATEN.

Exponens Rmus Dnus Ioannes Cameron Episcopus Arichaten. in sibi commissa Dioecesi altaria portatilia reperiri, quorum sepulchra coemento tantum conclusa sunt: quae quidem facile Reliquias amittere possunt, quum huc illuc ex necessitate transferantur, si iuxta declarationem S. R. Congregationis lapide dumtaxat cooperiantur. Hinc eidem S. Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit:

I. An in posterum in altarium consecratione in sua Dioecesi coementum tantum adhibere valeat loco lapidis, seu operculi pro claudendis Reliquiarum sepulchris?

II. An ex singulis altarium sepulchris quae extant in Dioecesi Arichaten., coementum extrahere teneatur, et pro ipso lapides de more substituere? Et quatenus affirmative;

III. An sit necessarium integram consecrationem repetere quia ob duritiem coementi in substitutione facienda, eiusdem coementi cum Reliquiis et granis thuris facile contingeret commixtio?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, sed in casu S. Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sñio D. N. Leone Papa XIII tributis, indulget usum brevioris ritus. Hic autem ritus erit sequens: Episcopus Orator vel per se vel per simplices Sacerdotes hoc tantum in casu Apostolicae Sedis nomine delegandos, certas Sanctorum Reliquias in iisdem aris reponat, iis solummodo caeremoniis servatis, quae in Pontificali romano praescribuntur, dum in sepulchro reconduntur Reliquiae, et superponitur lapis; scilicet ut signetur sacro chrismate Confessio sive Sepulcrum, et interim dicatur oratio, *Consecretur et sanctificetur,* postea reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris, et superposito operculo ac firmato, dicatur altera oratio *Deus qui ex omnium cohabitione Sanctorum,* et nihil aliud. Atque ita rescripsit et indulsit. Die 28 Iulii 1883.

OSTIEN. ET VELITERNEN.

Hodiernus Redactor Kalendarii pro usu Dioeceseos Ostien. et Veliternen. a Sacra Rituum Congregatione haec declarari humillime expetivit, nimirum:

I. Quotiescumque infra Octavam alicuius festi eam habentis non occurrat Duplex vel Semiduplex, neque ullum Festum ad tramitem novarum Rubricarum respondendum sit, fieri ne prorsus debet de Octava, aut licitum est recitare Officium votivum respectivum, prouti ex Decreto Urbis et Orbis diei 5 Iulii vertentis anni indultum fuit?

II. In festo s. Dominici Confessoris nuper a SSmo Dno Nro Leone Papa XIII ad ritum duplicem maiorem evecto, quaenam lectiones in primo Nocturno legendae sunt?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii sic rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad II. Legendae sunt lectiones de Communi 2. loco Conf. non Pontif. *Beatus vir.*

Atque ita declaravit, rescripsit ac servari mandavit. Die 13 Augusti 1883.

CASTELLANETEN.

In Kalendario Dioeceseos Castellaneten. die 9 Augusti affixum

est festum S. Stephani Papae et Martyris, in cuius Missa legitur Evangelium de Communi unius Martyris 2. loco. Idem autem Evangelium ponitur pro Vigilia S. Laurentii Martyris quae in ipsum diem incidit. Hinc Rmus Dnus Caietanus Bacile Episcopus Castellaneten. a S. Rit. C. exquisivit:

I. Debetne legi aliud Evangelium in fine Missae pro Commemoratione Vigiliae S. Laurentii, et quale?

II. Et si negative, quid agendum pro IX Lectione in recitatione Officii?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic respondendum censuit:

Ad I. et II. In casu de Vigilia faciendam esse tantummodo commemorationem tum in Laudibus Officii diei, tum in eius Missis privatis cum consueto *Initium S. Evangelii secundum Ioannem,* in fine. Atque ita respondit ac rescripsit. Die 19 Septembris 1883.

DIANEN.

Rmus Dnus Pro-Vicarius generalis Dioeceseos Dianen. a Sacra Rituum Congregatione horum Dubiorum declarationem humillime expostulavit, nimirum:

I. An Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium debeatur in celebratione solemnium Missarum Presbyter assistens veluti praerogativa propria vel potius uti praerogativa particularis?

II. An simplici Canonico celebranti loco Episcopi aut Dignitatis impeditae vel absentis competat ius habendi Presbyterum assistentem?

Et Sacra eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ac relatione infrascripti Secretarii, sic declarare rata est:

Ad I. Neutrius esse privilegium et detur Decretum in Lucana diei 17 Iunii 1843. (1).

Ad II. Provisum in praecedenti, seu Negative. Atque ita declavavit et rescripsit. Die 19 Septembris 1883.

(1) LUCANA. Percupientes quam maxime Aeditui ac Beneficiati Ecclesiae Sanctae Mariae vulgo in Foro Civitatis Lucanae, ut in eadem Ecclesia quoad Sacras Functiones singula ordinate fiant, Sacrorum Rituum Congregationem humillime rogarunt decerni utrum in Missis solemnibus, quando vel Canonicus, vel aliqua ex Dignitatibus celebrant, praeter Diaconum, et Subdiaconum alter Sacerdos pluviali indutus valeat assistere? Et Sacra eadem Congregatio audita relatione a me subscripto Secretario facta, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: « Iuxta alias decreta admittitur Assistens in Missa Solemni ubi probari potest consuetudo. »

Atque ita rescripsit. Die 17 Iunii 1848.

GOAN.

Rmus Dnus Antonius Sebastianus Valente hodiernus Archiepiscopus Goan. S. Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequens Dubium humillime subiecit:

In Ecclesiis praedictae Archidioeceseos mos viget imagines Patroni in throno locandi, ubi SSmum Eucharistiae Sacramentum exponitur, tametsi extra tempus huiusmodi expositionis. Quaeritur num hic mos tolerari possit, quum sine magna populi repugnantia ac dispendio aboleri nequeat?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita rescribendum censuit: curet Rmus Archiepiscopus, quantum fieri potest, ut mos iste eliminetur, et imagines aliter super altaribus collocentur. Atque ita rescripsit. Die 19 Septembris 1883.

RAVENNATEN.

Emus et Rmus Dnus Card. Iacobus Cattani Archiepiscopus Ravennaten. a Sacra Rituum Congregatione exquisivit: An in Ordinatione generali, quae, ut par est, fit cum cantu, ad evitandam immodicam prolixitatem, liceat Graduale et *Benedictus* dimidiate canere, vel potius integre canenda sint?

Et Sacra eadem Congregatio proposito Dubio sic respondendum censuit: Affirmative, dummodo pars, quae non canitur, clara voce recitetur. Atque ita respondit ac rescripsit. Die 19 Septembris 1883.

RAVENNATEN.

Ab Emo et Rmo Dno Cardinali Iacobo Cattani Archiepiscopo Ravennaten. insequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna resolutione proposita fuere, nimirum:

Caeremoniale Episcoporum (lib. II. Cap. 24) dicit a Presbytero assistente vel a Subdiacono pacem dandam alicui acolytho vel caeremoniario qui ceteris de Choro eam distribuit, quaeritur:

I. An Caeremoniale in hoc directive se habeat, vel praeceptive?

II. Et quatenus affirmative ad secundam partem, quaeritur utrum consuetudo immemorabilis dandi pacem solis Canonicis tolerari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit:

Servetur Caeremoniale, ita ut pax detur tum Canonicis, tum ceteris de Choro. Atque ita rescripsit. Die 19 Septembris 1883.

RAVENNATEN.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Iacobus Cattani Archiepiscopus Ra-

vennaten. a S. Rituum Congregatione insequentis Dubii declarationem exquisivit, nimirum:

In Ordinatione maiorum Ordinum dicenda est oratio pro Ordinatis sub unica conclusione cum oratione Missae diei, quaeritur ergo: quae dicetur oratio Missae diei in Sabbathis Quatuor temporum, prima ne quae dicitur post quintam Lectionem ante Epistolam? Ratio dubitandi est, quia ex una parte oratio propria Missae diei videretur quae dicitur primo loco post *Kyrie* quae cum officio concordat, ex parte altera vero, attenta Pontificalis Rubrica, oratio propria Missae diei videretur quae dicitur ante Epistolam.

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia, sic declarare rata est. Servetur praescriptum a Pontificali. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 19 Septembris 1883.

SALOPIEN.

Rmus D. Edmundus Knight Episcopus Salopiensis S. Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna declaratione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. In opere R. P. D. Martinucci, cui titulus *Manuale sacrarum Caeremoniarum* lib. VII cap. 2. n. 47 de inhibitione discedendi, quae legitur ab Archidiacono ante Ordinationes, dicitur: si Ordinatio peragetur ab Episcopo extraneo, ex mandato Episcopi Ordinarii, legetur semper praedictum mandatum nomine Episcopi Ordinarii. Quaeritur quomodo sit legenda haec inhibitio si Ordinatio fiat ab Episcopo extraneo, servatis servandis tempore sedis vacantis: an sit nominandus Episcopus extraneus, seu potius Vicarius capitularis? Et quatenus affirmative ad secundam partem, quibus verbis sit nominandus?

Dubium II. Ritus servandus in expositione et benedictione SSmi Sacramenti, auctoritate Concilii primi Provincialis approbatus, praecipit ut Sacerdos, cotta indutus, utatur amictu, et adiungit: Si expositio SSmi Sacramenti immediate sequatur aliud officium divinum, et Sacerdos pluviali coloris respondentis officio diei indutus, non recedat ab altari, tunc paramentis non mutatis velum humerale albi coloris assumatur. Quatenus vero recedat et expositio habeatur tanquam functio distincta ab officio praecedenti, paramenta albi coloris adhibeantur. Nec tamen improbandus usus assumendi pluviale album pro expositione Sanctissimi Sacramenti, etiamsi ipsa immediate sequatur Vesperas solemniter cantatas et paramenta non sint mutanda; quaeritur an foret contra Decretum generale S. R. C. 7 Septembris 1816, si sacerdos antequam induat pluviale pro Vesperis, simul sumat

amictum et stolam propter Benedictionem SSmi, quae Vesperas statim secutura est? Et quatenus hoc sit prohibitum, quaeritur an Sacerdos, pluviali indutus, apud altare illud deponere et reassumere debeat, sumptis interim amictu et stola, et hoc etiamsi paramenta non sint coloris albi?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus accurate perpensis ita rescribendum censuit:

Ad. I. Inhibitio legenda est nomine Vicarii capitularis hisce verbis:

Rmus Dnus N. N. huius Dioeceseos, sede vacante, Vicarius capitularis deputatus sub excommunicationis poena praecipit etc.

Ad II. Licet sumere amictum et stolam si ante Vesperas fiat expositio, et Benedictio immediate illas sequatur. Atque ita rescripsit. Die 19 Septembris 1883.

AQUEN.

Rmus Dnus Iosephus Maria Sciandra hodiernus Episcopus Aquen. S. Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit:

Ex Decreto ipsius S. Congregationis diei 23 Maii 1835 in una Namurcen. ad X. recitatio libera alicuius officii ad libitum fit obligatoria quum iussu Ordinarii illud affixum fuerit diei non impedito in Kalendario Dioecesano. Idipsum confirmari videtur Decreto *Urbis et Orbis* nuperrime die 5 Iulii vertentis anni, quoad choralem recitationem; quum post capitularem officiorum electionem semel pro semper factam et ab Ordinario approbatam, eorumdem recitatio fit obligatoria. E contra quoad privatam recitationem, singulis e Clero licet pro lubitu officium feriae vel officium votivum eius diei recitare. Hinc quaeritur:

Dubium I. Utrum libera electio quoad privatam recitationem concessa coarctetur solummodo ad officia ad libitum in Decreto 5 Iulii citato contenta, ideoque officiis antecedentibus ad libitum servandum sit Decretum diei 23 Maii 1835?

Dubium II. Utrum in redigendo Ordine annuali Divini Officii debeant nunc duo officia feriale et alterum votivum ad libitum adnotari, quoties privata alterutrius recitatio singulorum arbitrio reliquitur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Redacto Ordine divini officii more consueto iuxta rubricas, addi poterit rubrica particularis officii votivi currentis diei. Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 4 Septembris 1883.

DECRETUM.

Ob recentem ad ritum Duplicis primae classis evectionem Festi Immaculatae B.Mariae Virginis Conceptionis, et Festi S. Iosephi eiusdem Deiparae Sponsi, Catholicae Ecclesiae Patroni, quum inter solemniora eadem Festa accensenda sint, Sacra Rituum Congregatio congruum duxit, ut in Caeremoniali Episcoporum, tum lib. I.c.XVI n. 4, in quo agitur de usu Pallii, tum lib. II. c. XXXIV n. 2, ubi dies enumerantur quibus Episcopi solemniter celebrare solent, utraque ex praedictis festivitatibus amodo inseratur. Hanc porro Sacrae ipsius Congregationis sententiam, per infrascriptum Secretarium SSmo Dno Nostro Leoni Papae XIII relatam, Sanctitas Sua ratam habens, praecepit ut in novis praefati Libri liturgici editionibus eiusmodi additamentum perficiatur. Die 9 Septembris 1883.

DUBIORUM.

Quum nonnulla oborta sint dubia circa indultum generale a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII datum per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 5 Iulii, nuper praeteriti, quoad recitationem Officiorum Votivorum, per annum loco ferialium, Sacra eadem Congregatio sui muneris esse censuit ea sedulo examini subiicere, atque exinde authenticam declarationem emittere.

Quapropter idem Sacer Ordo subsignata die ad Vaticanum in particulari coetu coadunatus insequentia dubia expendenda suscepit, nimirum:

I. An verba Indulti *quoad privatam vero recitationem ad libitum singulorum de Clero* intelligenda sint de eis tantum, qui nullo canonico titulo ad Chorum tenentur?

II. An statuta de consensu Capituli, seu Communitatis ab Ordinario approbato, recitatione Officii votivi, liceat quandocumque ab ea acceptatione recedere?

III. An Indultum ipsum ita acceptari possit, ut quibusdam anni diebus de Feria, aliis vero de votivis Officiis in chorali recitatione agi valeat?

Emi porro ac Rmi Patres, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. et III. Negative. Atque ita rescripserunt, declaraverunt, ac servari mandarunt die 10 Novembris 1884.

DUBIORUM.

Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna declaratione proposita fuere, nimirum:

Dubium I. Cum ex Decreto diei 5 Iulii 1883 liberum sit iis, qui nullo canonico titulo ad chorum tenentur, recitare quibusdam feriis exceptis, vel officium feriale,

vel officium votivum huic feriae respondens, quaeritur: utrum obligatio adhuc maneat solum officium votivum recitandi, ubi istud officium antea iam fuerat speciali privilegio alicui Dioecesi concessum: ita ut praefatis diebus ferialibus non detur optio inter officium feriale et officium votivum? Et quatenus affirmative, an optio detur diebus contentis in novo Indulto 5 Iulii 1883 in alio praecedenti exceptis?

Dubium II. Tempore paschali in officio votivo Passionis est ne addendum *Alleluia* et servanda eiusdem temporis propria?

Dubium III. In Rubrica officiis votivis nuper indultis praemissa statuitur, ut eadem officia habeant tum commemorationem, tum IX lectionem de festo simplici occurrenti: quaeritur igitur, an praedicta officia votiva recitari possint, nedum loco officiorum ferialium, prout in decreto diei 5 Iulii 1883, sed etiam loco officii alicuius festi simplicis (v. g. Sanctae Agnetis secundo) quod unice ea die in Kalendario assignetur?

Dubium IV. Ex eadem Rubrica, Vesperae officii votivi currentis ritus semiduplicis, si die praecedenti vel sequenti occurrat officium aliud quodcumque IX lectionum, ordinandae sunt iuxta Rubricam de concurrentia officii. Cum autem officium votivum cum alio item votivo vel cum alio semiduplici concurrere possit, quaeritur utrum hoc in casu Vesperae iuxta praefatam Rubricam generalem Breviarii tit. 3 n. 4 semper dicendae sint a capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis; an vero habenda sit ratio dignitatis unius officii votivi prae alio iuxta eiusdem Rubricae n. 2. Et quid praesertim agendum sit, cum officium votivum Sanctissimi Sacramenti concurrit cum officio de Passione D. N. I. C.?

Dubium V. Cum Festum sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae die 28 Octobris incidit in feriam secundam, quaenam in secundis Vesperis adhibenda est oratio pro Commemoratione officii votivi de Apostolis, quod sequenti feria tertia recitari contingat?

Dubium VI. Si in Vigilia, feriis Quatuor temporum, aliisque feriis propriam Missam habentibus recitetur in Choro Officium votivum, sunt ne canendae duae Missae, altera de vigilia vel feria, an potius unica dicenda est Missa de vigilia vel feria cum commemoratione officii votivi?

Dubium VII. Quoties feria tertia recitatur officium votivum Omnium Sanctorum Apostolorum, omitti ne debet in suffragiis ad Vesperas ac Laudes commemoratio Apostolorum Petri et Pauli?

His porro dubiis, ab infrascripto Secretario relatis, Sacra eadem Congregatio, post accuratum omnium examen, sic rescribere rata est:

Ad I. Affirmative ad primam et secundam partem.

Ad II. Affirmative, et adhibeatur color rubeus toto anni tempore.

Ad III. Provisum in Rubrica Officiorum.

Ad IV. Quoad 1. ad primam partem affirmative, quoad secundam negative. Quoad 2. totum de pracedenti, nihil de sequenti.

Ad V. Sumatur Oratio pro aliquibus locis die XXIX. Iunii scilicet: *Deus qui nos Beatorum Apostolorum commemorationem laetificas; praesta quaesumus: ut quorum gaudemus meritis instruamur exemplis. Per Dominum.*

Ad VI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad VII. Negative. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 24 Novembris 1883.

URBIS ET ORBIS.

Ad praesidium columenque militantis Ecclesiae virum sanctissimum excitavit misericors Deus, Dominicum Guzmanum, inclitum Ordinis Praedicatorum conditorem et patrem, qui pugnare pro Ecclesia catholica aggressus est, maxime precatione confisus, quam sacri Rosarii Mariani nomine primus instituit, et per se suosque Alumnos longe lateque disseminavit. Ad mirabilem hanc orandi formulam nobilis instar tesserae christianae pietatis Catholici semper habere consueverunt. Quare vix ac Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ad opem a Iesu Christo per Mariam Virginem Eius Matrem praesentibus necessitatibus impetrandam, integrum mensem Octobrem Rosarii precibus in toto catholico Orbe hoc anno exigendum, encyclicis datis Litteris, indixit; ubique sacrorum Antistites et fideles populi, supremi Pastoris voluntati obtemperantes, frequentissima Rosarii recitatione pietatis suae et dilectionis erga Dei Matrem peramantissimam splendida argumenta exhibuerunt, certam spem foventes se, eadem Beatissima Virgine opitulante, a caelesti misericordiarum Patre in praesentibus tam privatis, quam communibus christianae reipublicae calamitatibus efficacius optata subsidia impetraturos.

Iamvero Sanctissimus idem Dominus Noster summopere cupiens tum augeri cultum erga ipsam augustam Dei Genitricem haec praesertim orandi constuetudine eidem Virginis gratissima, tum Christifideles ad hoc obsequium Ei praestandum magis magisque excitari, humillimas preces sibi oblatas a Rmo Patre Iosepho Maria Larroca magistro generali Ordinis Praedicatorum, nimirum ut Litaniis Lauretanis addendam indulgeat Reginae a Rosario invocationem, quae iamdudum apud Dominicianam Familiam in usu est, benigne ac perlibenter excepit. Voluit propterea Sanctitas Sua praecepitque, ut ceteris Litaniarum Lauretanarum

beatae Mariae praeconiis, et hoc in Ecclesia universa in posterum addatur postremo, loco scilicet *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.*

Mandavit praeterea super his expediri Litteras in forma Brevis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 Decembris 1883.

CONGREGATIONIS PIORUM OPERARIORUM

In Ecclesia sub titulo S. Nicolai vulgo « *alla Carità a Toledo* » adnexa domui Congregationis Piorum Operariorum in Civitate Neapolitana, singulis Feriis sextis ad parvum altare ligneum, in quo D. N. I. C. simulacrum sub nomine *Ecce Homo* magna Fidelium veneratione colitur, pia exercitia fieri solent in honorem Pretiosissimi Sanguinis ipsius D. N. I. C., sacrosanctum Missae Sacrificium celebratur, ac SSmum Eucharistiae Sacramentum exponitur, quo fidelibus demum benedictio impertitur. Quum vero circa pium huiusmodi morem nonnulla Dubia oborta sint, Rev. P. Petrus Centofanti hodiernus Praepositus generalis Congregationi Piorum Operariorum, S. R. C. humillime ea subiecit pro opportuna resolutione, nimirum:

Dubium I. In ligneo altari SSmum Sacramentum potestne publico cultui exponi?

Dubium II. Antequam adstantibus Fidelium detur benedictio cum SSmo Sacramento, haberine potest conciuncula vulgo « *Fervorino* »?

Dubium III. Praedictum simulacrum debetne coopertum manere, durante SSmi Sacramenti expositione?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, omnibus accurate perpensis auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribere rata est:

Ad I. Affirmative, dummodo SSmi Sacramenti expositio rite perficiatur, et agatur de altari rite extructo.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Durante huiusmodi SSmi Sacramenti expositione, statuam de qua in casu posse detectam manere. Atque ita rescripsit et declaravit. Die 14 Decembris 1883.

SEGUNTINA.

Rmus Dnus Antonius Ochoa et Arenas Episcopus Seguntinus a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit ut insequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum:

Dubium I. Nuper edito Decreto sub die 31 Maii 1883 S. Petrus de Alcantara inter alios ad ritum duplicis secundae classis pro universo Hispaniarum regno elevatus est, ex quo in Kalendariis dioecesanis efformandis haec statim exurgit difficultas: S. Petrus de Alcantara diem proprium habet in

Kalendario universali 19 Octobris, qua quidem ipsamet die toto Hispaniarum regno evenit celebranda Octava Beatae Mariae Virginis de Columna. Eritne, gratia ritus duplicis secundae classis, celebrandus S. Petrus de Alcantara suo proprio die, nempe 19 Octobris, reducendo in perpetuum diem octavam B. M. de Columna ad ritum simplicem iuxta tabellam occurrentiae, vel eritne celebranda die 19 Octobris Octava B. M. V. de Columna, ac S. Petrus de Alcantara cum suo ritu duplicis secundae classis transferendus in primam liberam tamquam in sedem fixam, sicuti usque huc factum fuit, aequali cum gauderent ritu?

Dubium II. Novissime Decreto Urbis et Orbis die 5 Iulii anni labentis indultum generale conceditur Capitulis, ut de consensu ipsius Capituli seu Communitatis ab Ordinario semel pro semper approbando, Officia Votiva persolvantur per anuum, loco Officiorum ferialium, praeterquam diebus ipsomet in Decreto exceptis. Hac occasione a S. R. C. ut benigne declarare dignetur humillime exorare visum fuit:

I. An in Cathedralibus, simul ac dicta permutatio legitime fiat, Missa conventualis cantari debeat de officio votivo respectivo, ut Missa cum officio conveniat, vel de officio feriali occurrente?

II. Et quatenus affirmative ad primum, an eiusmodi Missa conventualis votiva dicenda sit in Choro post Tertiam, vel post Nonam?

III. An in Quadragesima et Vigiliis quae ieiunantur praeter illam Missam votivam cum Officio votivo congruentem, et aliam Missam de Feria vel Vigilia canere opus sit, itemque pro Benefactoribus ut caeterae Conventuales, utramque applicare?

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii audita alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia, hisce dubiis rescribere rata est:

Ad. I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Iam provisum in Rubrica pro Missis votivis per annum edita.

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 14 Decembris 1883.

TORNACEN.

A sa. me. Pio Papa IX die 11 Februarii 1848 indultum fuit, ut in Dioecesi Tornacen. recitaretur sub ritu duplici Officium votivum de Immaculata Deiparae Conceptione cunctis Sabbathis non impeditis. Porro de huius Indulti applicatione ad Sabbatha non libera ante recens Decretum Sanctissimi Dni. Nri. Leonis Papae XIII nunc exortum est Dubium. Hinc Rmus Dnus Isidorus Ioseph du Rousseaux hodiernus Episcopus Tornacen. a Sacra Rituum Congregatione declarare petiit: an vi praefati Indulti

anni 1848 liceat in Dioecesi Tornacen. recitare sub ritu duplici officium cum Missa Immaculatae Conceptionis B. M. V. singulis Sabbathis in Indulto diei 5 Iulii currentis anni comprehensis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, sic respondit: aut stricte utendum veteri indulto, aut novo, veteri prorsus dimisso. Atque ita respondit ac declaravit. Die 22 Decembris 1883.

DE LINARES.

Rm̃us Dnus Ignatius Montes de Oca hodiernus Episcopus Dioeceseos de Linares exponens quod in sua Cathedrali Ecclesia diebus solemnioribus nona Matutini Lectio non ab hebdomadario, sed a Capituli praeside recitari solet; a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit, an huiusmodi consuetudo licite continuari possit? Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, auditoque voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit: consuetudinem in casu esse abusum et ideo tollendam. Atque ita rescripsit et declaravit. Die 11 Ianuarii 1884.

DE LINARES.

In Ecclesia Cathedrali Dioeceseos De Linares in Mexico mos invaluit quibusdam in Festis Missam solemnem decantandi ex adventitia fidelium oblatione, cui Missae Capitulum adsistit, et Missa, cuius onus adest canendi iisdem diebus pro Benefactoribus lecta, ab hebdomadario celebratur. De huiusmodi vero consuetudinis legitimitate dubitans Rmus Dnus Ignatius Montes de Oca hodiernus Episcopus de Linares, a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit, ut ea licite continuari possit, attenta praesertim illius Ecclesiae redituum deficientia. Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribendum censuit: expositam consuetudinem tolerari posse, dummodo adsistat Capitulum Missae lectae pro Benefactoribus. Atque ita rescripsit. Die 11 Ianuarii 1884.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Feria Secunda die 30 Decembris 1889.

Fuit Consistorium publicum in Aula Regia ad Aedes vaticanas, in quo Sñus Dñus noster Leo Papa XIII tradidit Galerum rubrum Eñis Rñis Dñis Cardinalibus Francisco Mariae Beniamino Richard, Archiepiscopo Parisiensi; Iosepho Alfrido Foulon, Archiepiscopo Lugdunensi, et Francisco de Paula Schönborn, Archiepiscopo Pragensi, creatis ac publicatis in Consistorio Secreto diei 24 Maii eiusdem anni.

Solemnitatis illius in intermedio, Guido Marucchi eques torquatus et advocatus consistorialis secundam egit Causam beatificationis venerabilis servi Dei Vincentii Pallotti, sacerdotis Romani.

Publico expleto Consistorio, in superioribus Palatii Vaticani Aedibus habitum fuit Consistorium secretum, ubi tradita ab Eño ac Rño Dño Cardinali Laurenzi Perula Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii SSño Dno nostro Papae, qui eamdem fidit Eño ac Rño Dño Cardinali Melchers, et clauso, iuxta morem, praefatis tribus Eñis ac Rñis Cardinalibus Richard, Toulon, et Schönborn ore, ita Summus Pontifex S. R. E. Cardinalibus fatus est

ALLOCUTIO

Venerabiles Fratres

Tempestivum quoddam solatium ex remotis Americae oris, pariterque ex Helvetiis nuper accepimus. Quod enim magnopere catholici expetebant, ut propria aliquot sibi esse Gymnasia magna in eruditionem iuventutis liceret, id sua ipsorum contentione novissimo tempore assecuti sunt, constitutis Washingtoni, Ottawae, itemque Friburgi maiorum disciplinarum domiciliis: in quibus hoc quidem sanctissimae legis instar habebitur, coniungere incolumitatem fidei cum elegantia doctrinae, neque minus ad religionem, quam ad artes optimas informare adolescentes. Qua de re probe intelligimus quantam haberi gratiam

imprimis Episcoporum providentiae et constantiae, tum collatae privatorum operae oporteat. Utrisque sua tribuenda laus quod, coniunctis consiliis studiisque, memorabile beneficium pepererint, quo non Ecclesia solum, sed civitas magnà cum salute sua perfruatur. Nam eiusmodi coeptorum cernimus animo, Venerabiles Fratres, fructus futuros: intereaque Nos ea cogitatio non parum recreat, in civitatibus, quae memoratae sunt, libere properare ad incrementa posse catholicum nomen, tutela legum et hominum aequitate defensum.

Ista quidem satis iucunda foris acerbiorem sensum earum rerum efficiunt, quae geruntur domi. Hic enim impugnare Ecclesiam adversarii non desistunt: quin etiam profitentur hostiles animos quotidie audacius, gloriamque facinoris ultro petere non verentur. Satis eloquuntur hominis non privati nuper dicta, cum in concione frequenti, eàque consulto vocatà, quid rectores rerum italicarum de Ecclesia romanoque Pontificatu cogitent, quid velint, aperte indicavit. — Neque absimiles in Urbe, mense Iunio, auditae voces, quibus diebus per inusitatas easque clamosas significationes non tam transfugae homos, quam Ecclesiae ignominia quaerebatur. Ita facile apparet, eodem inclinare utrobique sententias, et hoc esse prorsus commune propositum, exercere cum avita religione inimicitias, pravarumque sectarum auspiciis et ductu totum italorum genus, si fieri posset, ab Ecclesiae complexu divellere. Compertas illas habetis, venerabiles Fratres, plenas importunitate atque audacia sententias. Romanorum Pontificum in Urbem Romam oppugnare iura placuit, eademque usque adeo opinione minuere, ut non plus habere momenti dicta sint, quam quod regiarum domorum rationes habere universe solent. Quod autem est Nobis ereptum, id esse novis possessoribus firmo perpetuoque iure quaesitum, quasi nasci ius ex vi iniuriàque possit. — Supervacaneum profecto est hoc loco meminisse titulos omnino singulares, quorum caussà Sedes Apostolica ius sibi suum in Urbe vindicat, vindicabit. Pariter nihil est opus naturam commemorare civilis romanorum Pontificum principatus, qui, cum illuc pertineat ut apostolici ministerii libertatem dignitatemque debitam efficaci custodia tueatur, caussam habet sibi unice propriam, idemque a communi ratione principatuum non parum differt. At vero silere omnino neque possumus, neque debemus, cum in Apostolicam Sedem istos velut renovatus impetus vis inimica convertat. Eo vel maxime, quod

in propugnatione iuris Nostri non tutelam rei alicuius mortalis Nobis proponimus ipsi tamquam finem, sed maiora quaedam atque altiora spectamus. Videlicet fidem christianam conservari integram, ut oportet, volumus: eius enim vocatur in discrimen incolumitas, quando qui populo praesunt has partes assignant reipublicae, vindicare humanae rationi sine modo, sine lege, principatum: quod, missis ambagibus, nihil est aliud, quam respuere funditus quaecumque a Deo tradita sunt, planeque ab Ecclesia desciscere. Itaque non id agitur tantum ut religionem civitas nullam habeat potiorem, aequabilitatemque iuris largiatur nullo discrimine singulis, in quo iniqua et summe perniciosa ipsa aequabilitas est: sed lacessere placet catholicum nomen publica denunciatione belli, et cum pessimis Iesu Christi inimicis consilia viresque coniungere. Vix credibile videatur, huc denique esse perventum, idque in Italorum gente, quae christianae veritatis lumen maturrime, Dei munere, aspexit bonitatisque divinae maxima ac plane singularia beneficia undeviginti saeculorum spatio et sensit et religiose custodivit. Sed res est ante oculos posita. Nec sane minacius dicunt, quam faciant: quin omni ratione conantur destinata perficere, propterea quo non desinunt institutorum et legum in Ecclesiae perniciem torquere cursum.

Proximae calendae Ianuariae initium novi iuris poenalis sunt, ut nostis, allaturae. De quo cum deliberationes anno superiore in legumlatorum coetu haberentur, Nos quidem hoc ipso loco haud praetermisimus capita illa, ut oportebat, redarguere, quae per speciem castigandae licentiae illuc revera pertinent ut iustam Cleri libertatem minuant, operamque praepediant. In quo detractum iri plurimum Ecclesiae diximus, quippe quae in societatis perfectae formam divinitus constituta sui iuris est, non debet in muneribus officiorum suorum ulli hominum imperio subesse. Simul conquerebatur, iniuriam fieri universo ordini Clericorum quod in eos, nulla caussâ probabili, sacri iuris auctoritate contempta, singulares leges singulari severitate constituerentur. Quae tamen perlevi sententiarum mutatione probatae lataeque sunt. Nos itaque apostolici officii Nostri memores, quas tunc expostulationes, coeptâ iniuriâ, fecimus, easdem nunc, patratâ, renovamus.

Sed aliud ex alio vulnus impendere Ecclesiae videtis: rogatam legem intelligimus de Operibus Piis, quam nuperrime, festinatis suffragiis, probavere: quamque ipsam fatentur esse

tanquam gradum ad cetera iactum; scilicet ad omnia religionis delenda vestigia ex institutis civitatum. Congruit sane cum eiusmodi proposito ratio legis: cuius ea vis est imprimis, quaecumque pietatis caussà instituta esse constiterit, ea partim extinguere, partim in aliam formam naturamque convertere, ita plane ut tanta mutatione eversio rerum institutarum verissime consecutura videatur. — Sed illud prae ceteris nec pietati consentaneum nec iustitiae, omnia fere, quae instituta sint aut testamento relicta, divini cultus caussà, aut defunctis expiandis, dotandisve puellis ad collegia Monialium aspirantibus, hoc ipso haberi caduca et vacua, aliosque in usus converti oportere. In quo perspicuum est, auctorum violari voluntatem, propterea quod suam illi pecuniam utique in eas caussas, quae memoratae sunt, nec ullo pacto in alias, addixere: quae caussae cum ad religionem, ad piorum manium solatia, ad perfectionem virtutis pertineant, tam sunt naturà immutabiles ac perpetuae, quam iurà et officia, quae hominem iungunt Deo. — At vero ne illud quidem praeterire taciti possumus, in Decurias praepositorum rei subsidiariae administrandae plerosque omnes cooptari, ne feminis quidem exceptis, licere, Parochos non licere. Quod quidem ita placuisse memoravere ob cognitam illorum in Episcopos suos romanumque Pontificem voluntatem: ita ut dubitari non possit, qua mente, cuius rei gratià, hanc, de qua loquimur, legem invenerit. — Utique *laicam* inquiunt esse beneficentiam oportere, ut queat esse gratior: nam accipere verecundius, animumque despondere calamitosos consuevisse, ubi caritatem christianam sibi sentiant adesse. Sed miserum est in christianis reperiri, qui tam vehementer errent in eius aestimatione virtutis, quae princeps est et regina ceterarum. Quandoquidem sincera voluntas hominum iuvandorum non potest nisi ex intima benevolentia nasci: hanc vero aut unice aut maxime insidere in eorum animo necesse est, qui singulos homines poene se alteros putent, fratrumque diligant loco: qui ceteros aeque ac se ex Deo tamquam patre genitos, pariterque Iesu Christi sanguine redemptos, et ad eamdem in caelis felicitatem vocatos sciant. Quin inopes atque aerumnosos tàm amanter Iesus Christus complectitur, ut collatam in eos beneficentiam plane collocatam apud se, seque ipse obligatum beneficio deputet. His sensibus comitata caritas tantum abest ut animos frangat miserorum, ut potius extollat ad tantam per-

sonae dignitatem, quantam homo sine caelestis doctrinae lumine ne fingere quidem cogitatione posset. Nunc vero huiusce indolis caritas frustra requiritur extra Ecclesiam Dei, quam videlicet unam Iesus Christus sapientiae, disciplinae, charismatum suorum reliquit haeredem: quaeque divini auctoris sui quam bene et obtemperare consiliis et exempla imitari consueverit, dedit omni tempore documenta maxima. Ullumne aerumnarum est genus, cui non Ecclesia succurrere nedum pietate materna, sed excellenti prudentia vigilantiàque studuerit? Ita eius potissimum operâ atque auctoritate, aut saltem consilio, gratiâ, tutelâ, opportuna variis calamitatibus solatia ubique gentium inventa sunt, sed iis in locis plura, in quibus florentior Ecclesia, virtutumque christianarum studia maiora. Insignis hac laude Italia, quae fidem catholicam, per prospera, per adversa intemeratam retinendo, fuit omni aetate beneficiorum huius generis uberrime ferax, eo magis inhumanum atque italica gente indignum, praeripere Ecclesiae voluisse beneficentiae publicae facultatem. — Obtenderant quidem interversos reditus maleve locatos: sed lux veritatis, unde minime voluissent, erupit. Instituta de administratione quaestio criminationem falso confictam splendide refutavit.

Inter quae velut ad cumulandas iniurias aliud accessit commissum audax, quo qui rerum civilium potiuntur, in ipsam rei sacrae administrationem invasere. Facile, venerabiles Fratres, intelligitis quo spectet oratio: de ea nimirum, quae contra venerabilem fratrem Aloisium Episcopum titularem Troadensem, Ordinarium Aquaevivae et Altamurae, his ipsis postremis mensibus aggressi sunt statuere. Actas res universi cognoscitis: primum Episcopo Troadensi interdictum utriusque Ecclesiae bonis: tum ipsum gradu motum: aedibus eiectum: simulque earum Ecclesiarum delatum alteri reginen, perinde ac res agatur mere civilis, omnino in ditione arbitrioque posita politicae potestatis. Quo facto non perruptae solum Ecclesiae leges sunt, sed ipsa pontificii Nostri primatus nativa iura violata. Itaque non sine magno angore animi conquerimur talem iniuriam: simul, quae hac super re per vim decreta gestave sunt, improbamus atque apostolica auctoritate reiicimus. Ad Clerum populumque earum Ecclesiarum quod attinet, utrosque in Domino monemus, quid a se postulet officium serio perpendere. Sicut aequum est, politicae potestati dicto audientes esse in rerum genere civilium,

ita in iis quae regimen animarum attingunt non alii possunt auctoritati, quam Nostrae legitimoque iure praepositorum subesse, nisi velint, quod Deus prohibeat, se ipsi ab hoc centro seiungere catholicae unitatis.

Nunc vero, prius quam Episcopi designentur vacuis Ecclesiarum sedibus praeficiendi, ad maiorem Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem duos praestantes viros S. R. E. Cardinales creamus, quos tamen iustis de caussis in pectore reservamus, arbitrio Nostro quandocumque publicandos. Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Ista peracta allocutione SSmus Pater sequentes proposuit Ecclesias:

Metropolitanam Ecclesiam Hispalen. vacan. per dimissionem ab Emo ac Rmo Domino Zephyrino Tituli S. Mariae supra Minervam S. R. E. Presbytero Cardinali Gonzalez et Diaz Tunon ultro, libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam et ab Eadem admissam, suspenso interim dimissionis effectu ad possessionem usque Sui Successoris, favore R. P. D. Benedicti Sanz et Forés, Archiepiscopi Vallisoletani, ad primodictam Sedem Hispalensem translati ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Metropolitanam Ecclesiam Vallisoletan. vacan. per translationem ad Metropolitanam Sedem Hispalensem R. P. D. Benedicti Sans et Forés, favore R. P. D. Mariani Michaelis Gomez Episcopi Victoriensis ad eamdem Vallisoletan. Ecclesiam translati ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Metropolitanam Ecclesiam Monacen. et Frisingen. vacan. per obitum bo. me. Antonii Steichele, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Thoma Episcopi Passaviensis ad primodictam Sedem Monacen. et Frisingen. translati, ad nominationem, vigore Indulti Apostolici, Serenissimi Principis Luitpoldi Bavariae Regni Regentis.

Metropolitanam Ecclesiam Urbinaten. vacan. per translationem ad Sedem Mutinensem R. P. D. Caroli Mariae Borgognoni, favore Nicodarii Vampa Presbyteri Fanensis.

Ecclesiam titularem Episcopalem Lampsacen. sub Archiepiscopo Cyziceno vacan. per translationem ad Cathedralem Sedem Isclanam R. P. D. Iosephi Candido, favore R. P. D. Ra-

phaelis Bianchi, Episcopi Clusini ac Pientini ad ipsam Lampsacen. Ecclesiam translati.

Cathedralem Ecclesiam Victorien. vacan. per translationem ad Metropolitanem Sedem Vallisoletanam R. P. D. Mariani Michaelis Gomez, favore R. P. D. Raymundi Fernandez Pierola et Lopez de Luzuriaca, Antistitis Abulensis ad ipsam Victorien. Ecclesiam translati, ad praesentationem serenissimae Reginae catholicae regentis.

Cathedralem Ecclesiam Tiraspolen. vacan. per dimissionem a R. P. D. Francisco Xavèrio Aloisio Zottmann ultro libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam, et ab Eadem admissam, favore R. P. D. Zerr Episcopi titularis Diocletianopolis.

Deputationem vacantis Suffraganeatus Uladislaviensis, favore R. P. D. Henrici Petri Delega Kossowski Episcopi titutaris Serrensis, atque Suffraganei et Administratoris Plocensis.

Cathedralem Ecclesiam Urbevetan. vacan. per obitum bo. me. Iosephi Ingami, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Dominici Bucchi Accica Episcopi Nursini.

Cathedralem Ecclesiam Assisien. vacan. per obitum bo. me. Caietani Lironi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. N. Nicanoris Thomae Priori, presbyteri Calliensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Callii progenitus et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, ac tum in sacra theologia, tum in utroque iure doctorali laurea dudum donatus, principe, post Pontificalem, Praeposituraе dignitate Calliensi in Cathedrali hucusque honestatus est. Calliensi in seminario philosophiae ac theologiae Professor adlectus, pluries examinator pro-Synodalis et Concionator deputatus est. In ministerio Episcopali qua Vicarius generalis adiutor constitutus, ac novem abhinc annis Senogalliensi sede vacante Vicarius capitularis renunciatus, et inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios adscitus est.

Cathedrales Ecclesias Clusin. et Pientin. invicem perpetuo canonice unitas, vacan. per translationem R. P. D. Raphaelis Bianchi ad titularem Ecclesiam Episcopalem Lampsacensem, favore R. P. D. Iacobi Bellucci Presbyteri dioeceseos Soanensis ac Pitilianensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Scantiani dioecesis Soanensis ac Pitilianensis progenitus et quinquagesimum septimum aetatis suae annum super-

gressus, Presbyteratus ordine, in sacra theologia, inque iure canonico dudum doctorali laurea donatus, Vicarius postea in spiritualibus generalis pro eadem dioecesi a R. P. D. Antonio Sbrolli Episcopo effectus est. Ipso autem Antistite ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Naupactensem evecto, utriusque unitae dioeceseos apostolicus administrator renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Alben. vacan. per translationem R. P. D. Fr. Laurentii Caroli Pameirio, Ordinis Praedicatorum s. Dominici ad Sedem Metropolitanam Vercellensem, favore R. D. Iosephi Francisci Re presbyteri taurinensis Archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Butilieriae ad Astam Pompeiam, Archidioeceseos Taurinensis progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia, et in utroque iure dudum doctorali laurea ditatus, inter examinatores synodales adscitus, Vicarius in spiritualibus generalis hucusque praeelectus, et illius metropolitanae Ecclesiae Canonicus ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Spalaten. vacan. per obitum bo. me. Marci Calogerà, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Philippi Francisci Nakic', presbyteri archidioeceseos Iadrensis ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici uti Dalmatiae regni etiam Regis, vigore indulti Apostolici. R. D. Franciscus Nakic' ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco nuncupato Salboe Iadrensis archidioeceseos progenitus et quinquagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, Religionis magister, Iudex, examinator pro-Synodalis, consiliarius Tribunalis archidioecesani, et in foro appellatorio consultor adlectus, instituti puellarum, orphanorum Director, atque ad praesens usque Metropolitanae Iadrensis Canonicus renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Suessionen. vacan. per translationem R. P. D. Odonis Ehibaudier ad metropolitanam Sedem Cameracensem, favore R. D. Ioannis Baptistae Theodori Duval, Presbyteri archidioeceseos Rothomagensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot, Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe Portus Gratiae, archidioeceseos Rothomagensis progenitus, et sexagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, Archipresbyteri titulo honestatus, et Canonicus ac Vi-

carius generalis ornamentarius Rothomagensis nominatus, ad praesens usque Parochus-Archipresbyter Sanctae Mariae in civitate Portus Gratiae, vulgo *le Hâvre,* renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Carnuten. vacan. per obitum bo. me. Ludovici Eugenii Regnault, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Lagrange, Presbyteri archidioeceseos Bituricensis ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco vulgo nuncupato *Dun-le-Roi,* nunc autem *Dun-sur-Auron,* archidioeceseos Bituricensis et secundum supra sexagesimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Vicarii in spiritualibus generalis Aurelianensis titulo ditatus, illiusque Episcopalis administrationis munere perfunctus, et hucusque metropolitanae Parisiensis Canonicus renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Briocen. vacan. per obitum bo. me. Eugenii Angeli Mariae Bouché, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Petri Friderici Fallières presbyteri dioeceseos Agennensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco nuncupato *Mézin* dioeceseos Agennensis progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in facultate theologica baccalaurei gradu dudum donatus, Vicarius in spiritualibus generalis pro Dioecesi Ambianensi, et tandem pro Archidioecesi Burdigalensi adlectus est.

Cathedralem Ecclesiam Vallis-Vidonis vacan. per obitum bo. me. Ludovici Victoris Aemilii Bougaud, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iulii Cleret, Presbyteri dioeceseos Constantiensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Reipublicae Gallicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco dicto *Carentan* dioeceseos Constantiensis progenitus, et quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, muneribus successive perfunctus est tum Professoris in parvo seminario dioecesano Sancti Laudi, *Saint-Lô,* tum dioeceseos nativitatis suae Archipresbyteri-Parochi.

Cathedralem Ecclesiam Sancti Deodati vacan. per obitum bo. me. Mariae Camilli Alberti de Briey, ultimi illius Episcopi

extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Stephani Mariae Alphonsi Somnois, Presbyteri dioeceseos Divionensis ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot, Reipublicae Gallicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *la Mergelle*, dioecesis Divionensis progenitus et sexagesimum primum aetatis suae annum supergressus, in suo dioecesano seminario philosophiae agens Antecessorem, in loco *Jouvey*, ac successive apud *Santeney* oppidum Parochiali munere perfunctus, in sua Divionensi dioecesi Parochus Decanus hucusque renuntiatus, inter Canonicos ornamentarios Divionenses adscitus est.

Cathedralem Ecclesiam Baionen. vacan. per obitum bo. me. Francisci Alfridi Fleury-Hottot, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Antonii Jauffret, presbyteri Massiliensis dioecesis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco nuncupato *La Ciotat*, massiliensis Dioeceseos progenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Collegii ecclesiastici Massiliensis vulgo *École de Belzunce* septemdecim annis regimini praefectus, Collegio Canonicorum Massiliensium ad praesens usque adiunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Illerden. vacan. per translationem R. P. D. Thomae Costa et Fornaguera ad sedem metropolitanam Tarraconensem, favore R. D. Iosephi Meseguer et Costa Presbyteri Dioeceseos derthusensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Villabona* derthusensis Dioeceseos progenitus et quadragesimum sextum aetatis suae annum supergressus, tum in sacra theologia, tum in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, ipso in Vallisoletano Capitulo Decanus ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Mindonien. vacan. per translationem R. P. D. Iosephi Mariae de Cos et Macho ad Sedem Metropolitanam S. Iacobi de Cuba, favore R. D. Emmanuelis Fernandez-Castro, presbyteri Ovetensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Urbe Ovetenti progenitus et quadragesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in sacra

theologia dudum doctorali laurea donatus, in patrio seminario Spiritualem Directorem, Rectoris vices, ac etiam Rectorem, agens, Ecclesiae Ovetensis Canonicus Poenitentiarius hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Gandaven. vacan. per obitum bo. me. Henrici Caroli Camilli Lambrecht, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Stillemans presbyteri dioeceseos Gandavensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe S. Nicolai dioeceseos Gandavensis progenitus et quinquagesimum septimum aetatis suae annum supergressus, tum in philosophia, atque litteris, tum in sacra theologia doctorali laurea dudum donatus, praeses ac rector maioris seminarii Gandavensis constitutus, inter Canonicos ad honores Cathedralis Gandavensis, atque inter Pro-Synodales Examinatores adscitus fuit.

Cathedralem Ecclesiam Monasterien. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Bernardi Brinkmann, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Hermanni Dingelstad presbyteri monasteriensis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in pago, cui vulgo nomen *Bracht* monasteriensis Dioecesis progenitus et quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, in facultate philosophica doctorali laurea donatus, Collegii Augustiniani Gaesdonchani primum, ac dein Gymnasii Vechtensis Professor adlectus, quingentos fere iuvenes doctrinam christianam de fide ac moribus una cum historia ecclesiastica fructuose edocuit.

Cathedralem Ecclesiam Passavien. vacan. per translationem R. P. D. Antonii Phoma ad Metropolitanam Sedem Monaco'Frisingensem, favore, R. P. D. Michaelis Rampf, presbyteri monacensis ad nominationem, vigore Indulti Apostolici, serenissimi Principis Luitpoldi Bavariae Regni Regentis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Monachii progenitus et sexagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Clericorum seminarii, quod Frisingae floret, directorem agens, Canonicus prius, et hucusque penes monacensem Ecclesiam praepositus renuntiatus, semel iterumque tum illius archidioeceseos Vicarii in spiritualibus generalis, tum ipsa sede vacante Vicarii capitularis munere perfunctus, inter Sanctitatis Suae Praelatos Domesticos adscitus est.

Cathedralem Ecclesiam Vilnen. vacan. per dimissionem a R. P. D. Carolo Kriniewicki ultro libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam, et ab Eadem admissam, favore R. D. Antonii Andziewiez, Presbyteri dioeceseos Vilnensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago Salatensi, *Telzy*, dioeceseos Vilnensis progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia Candidati ac magisterii atque doctoratus gradu dudum donatus, Vilnae nosocomii militaris S. Iacobi Capellanus, parocciarum SS. Apostolorum Philippi et Iacobi, Verkoviensis, Turgelensis et Radorzkovicensis Vicarius constitutus, Vilnensi in gymnasio religionis catholicae Professor adlectus est. Mohiloviensi Capitulo qua Canonicus vice-custos adiunctus, hucusque Scholastici dignitate honestatus est.

Cathedralem Ecclesiam Lublinen. vacan. per obitum bo. me. Casimiri Wnorowski, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Yaczewski Presbyteri Podlachiensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in pago nuncupato *Gòrki Grubaki* Podlachiensis dioeceseos progenitus et quinquagesimum septimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum Candidati gradu donatus, penes seminarium Podlachiense antecessorem agens, Clericis illis sacrae scripturae, sacrorum rituum, ac theologiae moralis tradens scientias, Lublinum vocatus ab Ordinario, qui et Administrator Podlachiensis, regens ac simul professor seminarii Clericorum, matrimoniorum defensor, iudex surrogatus illius Consistori et examinator pro-Synodalis adlectus, Canonicus Lublini, ea sede vacante Vicarius capitularis, et Administrator generalis dioecesis eiusdem hucusque renuntiatus est.

Cathedralem Ecclesiam Plocen. vacan. per obitum bo. me. Gasparis Borowski, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Michaelis Nowodworski Presbyteri Uladislaviensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Uladislaviae ortus, quinquagesimum octavum aetatis suae annum excedit, in sacra theologia Doctoris lauream assequutus, Paroeciae Caenecensis in dioecesi Cuiaviensi seu Calissiensi Vicarius deputatus, Varsaviae academiae Ecclesiasticae bibliothecarius, iuris canonici professor, atque scientiarum biblicarum, vi concursus, Cathedraticus adlectus est. Collegiatae Loviciensis ornamentarius Canonicus, atque Varsaviae censor librorum ar-

gumenti religiosi, professor consiliarius ecclesiasticae academiae atque academici consilii membrum constitutus, hucusque Canonicus varsaviensis, Iudex et examinator pro-Synodalis renuntiatus est.

Cathedralem Ecclesiam de Chilapa in ditione Mexicana Americae Septemtrionalis vacan. per translationem R. P. Fr. Bonaventurae Portillo ex Ordine Minorum Observantium S. Francisci ad Sedem de Zacatecas in Mexico, favore R. D. Iosephi Raymundi Mariae Salome Ybarra, presbyteri dioeceseos Tlascalensis in Mexico. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco nuncupato *Olinalà* dioeceseos Tlascalensis progenitus, ac trigesimum sextum aetatis suae annum supergressus, Romae alumnis Collegii Pii Latini Americani adiunctus, tum in philosophia, sacra theologia, iure canonico, ac summa a Sancto Thoma Aquinate dudum doctorali laurea ditatus, ac studio penes Congregationem Concilii Tridentini hac in Urbe addictus fuit. Reversus in patriam, ac Tlascalensis Ecclesiae Canonicus hucusque renunciatus, illa sede vacante Vicarii capitularis, et hactenus provisoris atque dioeceseos Vicarii generalis in contentiosis munere perfunctus est.

Ecclesiam titularem Episcopalem Amathen. sub Archiepiscopo Scitopolitano vacan. per successionem R. P. D. Dominici Taccone-Gallucci ad sibi invicem unitas Sedes Nicoterensem ac Tropiensem, favore R. D. Paschalis Corrado, presbyteri Archidioeceseos beneventanae. Qui etiam constitutus fuit in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Caietani Rossini Melphictensis, Iuvenacensis ac Perlitiensis Antistitis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago Montis herculaei, *Montesarchio,* Archidioeceseos beneventanae progenitus, et quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, confessarii, examinatoris synodalis, atque Cleri procuratoris perfunctus muneribus, in suae nativitatis loco ad S. Nicolai Abbas Curatus Infulatus hucusque renuntiatus est.

Episcopalem Ecclesiam titularem Carysten. sub Archiepiscopo Chalcidense vacan. per assignationem Ecclesiae S. Alexii de Urbe factam Emo ac Rmo Domino Iosepho S. R. E. Presbytero Cardinali d'Annibale, favore R. D. Ioannis Maria Iannoni, presbyteri dioeceseos Fesceninae. Qui etiam constitutus fuit in suffraganeum ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia in sibi invicem perpetuo canonice unitis Ecclesiis suburbicariis,

Ostiensi ac Veliternensi, earumque dioecesibus obeunda. R. D. Ioannes Maria Iannoni ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in terra Campaneani de Urbe Nepesinae dioecesis progenitus et quinquagesimum septimum aetatis suae annum supergressus, in Collegiata Caprarolae Canonicatum assequutus, Theologus quoque Canonicus inibi adlectus est. Vicarii in spiritualibus generalis semel iterumque ad praesens usque Velitris, eaque sede vacante Vicarii quoque Capitularis munere perfunctus, Abbas etiam ordinarius Nullius S. Martini ad montem Ciminum renunciatus est.

Ecclesiam titularem Dionisiaden. sub Archiepiscopo Bostrensi vacan. per obitum bo. me. Thomae Gentili, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ludovici Felicis Zdanowicz, Presbyteri Vilnensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in paroecia Datnoviensi provinciae et districtus Caunensis Vilnensi in dioecesi progenitus ac septuagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia Magister et Candidatus dudum effectus Canonicus prius Vilnensis Capituli, a quo deputatus ad Romano-Catholicum Collegium Petropoli, et hucusque Praelati-Praepositi inibi dignitate praeditus, eiusque Vilnensis dioeceseos apostolicus administrator renuntiatus fuit.

Hisce SSmus ceteras addidit Ecclesias per Litteras in forma Brevis novissime provisas:

Patriarcham Hierosolymitanum Latini ritus renuntiavit Ludovicum Piavi Siunensem Archiepiscopum.

Archipraesulem Torontinum effecit Ioannem Walsh Episcopum Lonodonensem.

Alexandrum Grossi Episcopum Oensem Nicopolis Archipraesulem constituit.

Kingstoniensem Sedem nuper Metropolitanam effectam contulit Iacobo Cleary illius Ecclesiae Episcopo.

A Mennitensi ad Archiepiscopalem titulum Siunensem transtulit Thomam Grace.

Henricum O'Collaghan Episcopum Hagulstadensem et Novocastrensem titulo exornavit Archiepiscopali Nicosiensi.

Ad Sedem Siouscormensem transtulit Martinum Marty Tiberiensem Episcopum.

Thomae Wilhinsom Cisamensi Episcopo Sedem contulit Hagulstadensem et Novocastrensem.

In perpetuum Coadiutorem Vicarii Apostolici Novae Guineae deputavit Henricum Verius Episcopum Limyrensem, quem a Vicariatu Apostolico Novae Brittaniae transtulit.

Heniensi et Agadamensi Sedibus praefecit Ioannem Coffei.

Ad Sedem Deniensem evexit Ioannem Keys O'Dogherty.

S. Claudii Ecclesiae nuper erectae providit de Othone Zardetti.

Cathedram Duluthensem, quam nuper erexit, assignavit Iacobo Mac Golrich.

Novae Sedi Iacobopolitanae praefecit Ioannem Stanley.

Vinonensem Sedem nuper erectam contulit Iosepho Cotter.

De persona Augustini Van de Vyver providit Ecclesiae Richmondiensi.

Titulum Gambysopolis attribuit Gulielmo Wulfing Vicario Apostolico pro Surinam.

Aboleritana Ecclesia cohonestavit Maglorium Desideratum Barthet, Apostolicum in Senegambia Vicarium atque Praefectum Senegalensem.

Hodierni Vicarii Apostolici in Tunquino Septemtrionali perpetuum Coadiutorem selegit cum Amoriensi titulo Maximinum Velasco.

Antistiti Leidiensi attribuit Coadiutorem perpetuum cum titulo Arcadiopolis in persona Guilelmi Gordon.

Andream Albertum Blais constituit Episcopum Germanicopolis et Antistitis S. Germani Coadiutorem perpetuum.

Edmundo Dardel Apostolico pro Insulis Seychelles Vicario Zaraitensem contulit Ecclesiam.

Castabalensi Ecclesiae praefecit Rochum Tornatore Apostolicum in Orientali Birmania Vicarium.

Tevestinum Episcopum renuntiavit Ioannem Hirth Apostolicum Victoriae Nyanzensis Vicarium.

Uxentini Antistiti perpetuum Coadiutorem adlegit cum titulo Amathusiae Ecclesiae Vincentium Brancia.

Ecclesiam Episcopalem titularem Amathusien. sub Archiepiscopo Salaminio vacan. per obitum bo. me. Antonii Galecki, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Vincentii Brancia, Presbyteri nicoterensis; qui etiam in caodiutorem cum futura successione constitutus fuit R. P. Fr. Ianuarii Mariae Maselli ex ordine Minimorum, Episcopi

ugentini. R. D. Vincentius Brancia ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Nicoterae progenitus et septuagesimum primum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, professor emeritus latinae ac italicae litterarum, quas in patrio tradidit seminario, Canonicus primum, et hucusque Archidiaconus-Parochus nicoterensis Cathedralis renuntiatus, Pro-Vicarii in Spiritualibus generalis, Iudicis Synodalis pro ipsa dioecesi, et Nicoterensis ac Tropiensis examinatoris Synodalis muneribus perfunctus est.

Ad titularem Ecclesiam Uranopolen. evexit Thomam Mac Redmond, Laonensis Antistitis perpetuum Coadiutorem.

Gadarensem titulum adsignavit Iosepho Schirò, Graeci Ritus, pro ordinandis Italo-Graecis Calabris.

Novae Brittanniae Vicarium Apostolicum constituit cum Lerio titulo Aloisium Coupet.

Eumenensem Ecclesiam contulit Laurentio Guillon Apostolico Vicario Mandchuriensi.

Auxiliario munere penes Cardinalem Archiepiscopum Carthaginensem honestavit cum titulo Hadrumetino Salvatorem Alexandrum Carmelum Brincat.

Hiericuntinum Episcopum effecit Stephanum Potron, Ordinis Minorum S. Francisci.

Hisce peractis SSmus Dnus noster aperuit Os de more Emis ac Rmis Dominis Cardinalibus Richard, Foulon et Schönborn, ut in Consistoriis, Congregationibus, aliisque functionibus Cardinalitiis, quibuscumque in locis, propria valeret pandere vota, et post factam ab Advocatis consistorialibus instanter, instantius ac instantissime postulatione sacrorum Palliorum pro Ecclesiis Patriarchali Hierosolymitana Latini Ritus, ac Metropolitanis Urbinatensi, Hispalensi, Vallisoletano, Monaco-prisingensi, ac Tarentino, pretiosum Annulum donando Eisdem Emis ac Rmis Cardinalibus concessit et adsignavit pro titulo Cardinalatus:

Emo ac Rmo Dño Richard Ecclesiam S. Mariae in Via.
Emo ac Rmo Dño Foulon Ecclesiam S. Eusebii
Emo ac Rmo Dño Schönborn Ecclam SS. Ioannis et Pauli.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Emum Cardinalem in Urbe Vicarium de spirituali recessu peragendo a cuncto romano clero, nemine excepto.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Signor Cardinale.

Fra le molteplici cure che per dovere dell'apostolico ministero Noi abbiamo sempre consacrato alla conservazione e all'incremento della religione cattolica in Italia, principalissima è quella che riguarda il Clero, dal quale in grandissima parte dipendono gl' interessi della fede e delle anime. Perciò in ogni occasione abbiamo caldamente inculcato che il Clero venga formato non solo alla scienza soda e verace, ma in modo speciale alle virtù sacerdotali e allo spirito schiettamente ecclesiastico, che è lo spirito stesso del sommo ed eterno Sacerdote Gesù Cristo. — Ma la necessità di avere un Clero così formato, è molto più forte e più sentita per la città di Roma. Qui, nella Capitale del mondo cattolico, nel centro della religione nostra SSma, dove i cattolici convengono da ogni parte della terra per trovarvi conforto alla loro fede, qui più che altrove è necessario che la vita e i costumi e le opere di coloro che son chiamati *luce del mondo* e *sale*

Eme Cardinalis.

Inter multiplices, quas pro Apostolici Ministerii nostri officio conservandae augendaeque in Italia Catholicae Religioni, curas impendimus, ea potissima est, quae Clerum spectat, in quo et Fidei Christianae profectus, et animarum salus maxima ex parte nititur. Quapropter quoties opportuna Nobis sese obtulit occasio, etiam atque etiam hortati sumus, ut Clerus non modo firma veraque scientiâ, sed speciali modo virtutibus sacerdotalibus ac spiritu mere ecclesiastico, qui idem ac summi atque aeterni Sacerdotis Christi Iesu Spiritus est, instruatur.

Sed Cleri huiusmodi habendi necessitas longe maior est, ac magis quam alibi Romae persentitur. Hic enim in catholici Mundi capite, in Sanctissimae nostrae Religionis centro, quo Catholici ab omnibus Terrae partibus conveniunt, ut Fidei suae solamen ac robur ibi conquirant, hic, inquam, magis quam alibi, necesse est, ut eorum vita, mores atque opera, qui lux Mundi et sal Terrae nuncupantur, vividiori ac fulgentiori lumine splendeant, ut omnes inde virtutem edocean-

della terra, risplendano di più chiaro e fulgido lume, affinchè tutti ne traggano edificazione e stimoli a ben fare. — Perciò come abbiamo fatto recentemente con tutti i Vescovi d'Italia, così e molto più sentiamo ora il bisogno di richiamare, Signor Cardinale, sù questo importantissimo argomento tutta la sua attenzione. — Le condizioni proprie di Roma, il maggior numero di ecclesiastici, che qui accorrono da ogni paese, esigono maggiori cure ed industrie perchè la disciplina del Clero non abbia a soffrire per tali cause, nè a perdere la sua efficacia. — È giusto qui render onore a tanta parte di ecclesiastici, che esemplari e pieni di zelo, tutti dati alle opere del ministero e della carità cristiana, nella devozione e nell'attaccamento alla Santa Sede e al Vicario di Gesù Cristo, nell'obbedienza e nel rispetto verso i loro Superiori e nello spirito di unione e di concordia sentono esser riposta la più sicura garanzia del loro retto operare, la sorgente delle maggiori benedizioni del cielo, l'efficacia dei loro sforzi. Per essi si continuano le gloriose tradizioni del Clero romano, che tanti e sì luminosi modelli ha lasciato all'imitazione dei posteri, alcuni dei quali giudicati degni anche degli onori dei Santi. — Ma si sa che i nemici,

tur et ad recte agendum exstimulentur.

Proinde quemadmodum cum omnibus Italiae Episcopis nuper egimus, ita, imo multo plus, necessarium arbitramur, Emi Cardinalis, super hoc maximi momenti argumentum sedulam attentionem vestram excitare.

Peculiares Urbis Romae conditiones, maior virorum Ecclesiasticorum numerus, qui huc ab omni regione concurrunt, ampliorem profecto curam ac solertiam exigunt, ne Cleri disciplina hisce de causis detrimentum patiatur, aut quidquam de sua efficacia amittat.

Iustum quidem est hic honorem laudemque tribuere tot Ecclesiasticis Viris, qui virtutum exemplar se praebentes, ac zelo pleni sacri Ministerii et christianae Charitatis operibus sedulo dediti, in obsequio et sincera animi adhaesione huic S. Sedi, et Iesu Christi Vicario, in obedientia atque observantia erga suos Praesules, ac demum in Spiritu unionis et concordiae, omnium maxime tutam suorum recte factorum cautionem, selectiorum coelestium munerum fontem, suorumque piorum conatuum efficaciam, repositam esse persentiunt. Per ipsos praeclarae Romani Cleri traditiones prosequuntur, qui tot tamque splendida exempla posteris imitanda reliquit; et quorum nonnulli etiam Sanctorum honoribus digni habiti sunt.

At vero nemo ignorat christiani nominis hostes in omnibus, iisque variis, belli formis, quod in Ecclesiam inferunt,

in tutte le varie forme della guerra che ora muovono alla Chiesa, prendono sempre più specialmente di mira Roma, e in essa raccolgono le loro forze. E così anche contro il Clero qui si è cominciata un'opera tenebrosa colla perfida mira di screditarlo, di scinderlo, di alienarlo dai legittimi Superiori e di farlo ribelle alla loro autorità. Per tale scopo è buono ogni mezzo; ma il più deplorevole e il più penoso si è, che tra gli stessi ecclesiastici se ne possa trovare alcuno che, dimentico dei propri doveri e della santità del suo carattere, giunga a tanto da prestare il concorso dell'opera sua per l'esecuzione d'intendimenti così perversi. — Per questi motivi è da avvisare senza indugio e con tutta energia al pericolo. Importa moltissimo che alla educazione del giovane Clero si dieno le cure più intelligenti e più assidue: che si usi il più oculato discernimento e le maggiori cautele nell'ammissione di quella parte di Clero che viene da altre Diocesi; che gli uni e gli altri non sieno troppo lasciati in loro balia, ma sia per ciò che riguarda la loro condotta, sia per ciò che spetta all'esercizio dei diversi ministeri ed offici, sappiano di esser sempre sotto l'occhio vigile dei Superiori e sentano sempre il freno salutare di una

Romam semper ac praecipue spectare, et contra ipsam suas conferre vires. Ita nimirum et contra Clerum hic tenebrosum opus incoeptum est nefaria intentione eum infamandi, discindendi, alienandi a legitimis Praesulibus, atque rebellem efficiendi horum auctoritati. Ad hunc finem omne medium bonum autumant. Sed quod maximopere deplorandum est atque dolendum docemus, id est, etiam inter ipsos Ecclesiasticos viros aliquem reperiri posse, qui officiorum suorum et sanctitatis quo insignitus est, Characteris oblitus, in haec adeo scelerata consilia perficienda exequendaque operam suam conferre audeat.

Hisce de causis absque mora ac totis viribus praesenti periculo prospiciendum est. Atque illud permagni referre arbitramur, ut iuniori Clero educando omnium diligentissimae ac maxime assiduae curae, prudentissimum iudicium, atque omnes perquam solertes cautiones adhibeantur in admittendis in sortem Domini iis qui ex aliis Dioecesibus huc adveniunt, nec utrorumque nimio plus suo quisque arbitrio relinquatur; sed tum quoad suae vitae rationem, tum vero etiam quod spectat sacrorum munerum atque officiorum suorum exercitium, noverint se, sub vigili continenter oculo Praesulum versari, et severae ac sapientis disciplinae salutare froenum iugiter persentiant. Sed in primis ut omnes eo sanctitatis, abnegationis, Sacrificii ac zeli spiritu, qui sacri

ferma e saggia disciplina. — Ma sopra ogni altra cosa interessa, che tutti sieno animati di quello spirito di santità, di annegazione, di sacrificio, di zelo che è proprio del loro carattere e che li rende veri ministri di Cristo. A tale effetto nulla può essere più opportuno che chiamarli tutti di tanto in tanto a raccogliersi negli esercizi spirituali, che sono di una mirabile efficacia per la riforma della vita, per la perseveranza nel bene e per dare nuovo vigore allo spirito, in mezzo ai pericoli e a tante cause di dissipazione che offre il mondo. — Sappiamo che qui già vige il santo costume del ritiro spirituale per gli ecclesiastici: ma ora vogliamo qualche cosa di più speciale, e nominatamente che tutto il Clero di Roma, senza eccezione, debba consacrare nell'anno prossimo alcuni giorni al ritiro e alla preghiera. — A Lei, Signor Cardinale, affidiamo la cura di tutto predisporre per l'esecuzione di questa Nostra volontà; e siamo certi, che tutti gli ecclesiastici risponderanno volenterosi all'invito; ed entrando nelle Nostre viste, sapranno trarre da questa grazia singolare, che Dio loro prepara, quel maggiore e più durevole profitto che Noi così ardentemente bramiamo.

A tale effetto imploriamo sopra di essi le più copiose be-

ipsorum characteri proprius est, quique illos veros efficit Christi Ministros, animentur oportet.

Ad quod obtinendum nil opportunius esse potest, quam eosdem ad se spiritualium exercitiorum causa congregandos idemtidem advocare; quae quidem exercitia vitae emendationi, perseverantiae in bono obtinendae, novoque robore spiritui in mediis periculis, ac tot animorum evagationis causis, quas Mundus exhibet, impertiendo, mirabili pollent efficacia.

Scimus equidem, hic piam spiritualis secessus per Ecclesiasticos Viros celebrandi morem iam vigere. Sed Nos aliquid specialius expetimus: nimirum ut universus Romanus Clerus, quin ullus exinde excipiatur, proxime insequenti anno, per aliquot dies sacro recessui et supplicationi vacet.

Vobis, Eme Cardinalis, omnia quae huic nostrae voluntati exsequendae necessaria sunt, apte disponendi curam committimus: et pro certo habemus fore, ut omnes Ecclesiastici Viri invitationi nostrae lubentes respondeant; votaque nostra atque consilia obsecundantes, ex hoc adeo praecellenti beneficio, quod iisdem Deus ipse praebet, uberrimum illud ac maxime stabile spirituale emolumentum capiant, quod nos vehementer optamus.

Huius rei obtinendae gratia, amplissima Coeli munera ipsis adprecamur, Vobisque, Eme Cardinalis, ac toti Clero Po-

nedizioni del cielo: ed a Lei, Signor Cardinale, e a tutto il Clero e popolo di Roma impartiamo di cuore l'apostolica benedizione.

Dal Vaticano, 18 Dec. 1889.

puloque romano apostolicam benedictionem ex corde impertimus.

Dat. e Vaticano die XVIII Decembris MDCCCLXXXIX.

LEO PP. XIII.

LEO PAPA XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CASSANEN.

PROCESSIONUM

Die 6 Iulii 1889.

Sess. 25 cap. 22 de Reform.

Compendium facti. In oppido cassanensis Dioecesis, cui vulgo nomen *Morano Calabro,* tres ecclesiae parochiales et receptitiae Deo dicatae existunt, una in honorem s. Petri Apostoli, altera s. Nicolai et tertia s. Mariae Magdalenae. Inter cleros harum ecclesiarum a remotis usque temporibus saepe dissensiones enatae sunt atque lites motae praesertim quoad iura et praeeminentias in processionibus aliisque sacris functionibus peragendis. Unde anno 1666 ex S. C. C. iudicio, quaedam conventio inter partes inita est, quae tamen controversiis finem haud imposuisse videtur.

Etenim anno 1734 coram S. C. C. iterum disputatum est de praeeminentia aliisque connexis quaestionibus inter ecclesiam s. Petri et clerum s. Mariae Magdalenae. Causa definita fuit die 5 Iunii illius anni; et inter dubia tunc proposita tertium aderat ita concinnatum: « *An ubi constiterit de unius vel alterius Ecclesiae matricitate, licitum sit clero s. Mariae Magdalenae recedere a concordia statuta anno 1666, ita ut processiones fieri possint separatim in casu.* »

Cui responderi placuit: « *Negative et ad D. Secretarium cum SSmo iuxta mentem*. Mens autem fuit: ut pro extinguendis penitus controversiis ab antiquissimo tempore inter hosce cleros vigentibus, si quaepiam iniri posset conventio, qua, firma remanente praeeminentia Ecclesiae s. Petri, statutum foret processiones separatim fieri, supplicaretur SSmo pro habendo eius Apostolico assensu. » Uti legitur in folio illius temporis, EE. PP. in hanc devenerant sententiam tum opinione emissa a quodam iudice in quem partes compromiserant, tum voto Episcopi cassanensis, qui mentem suam his verbis aperuerat: « Optarem ut ad sedandas omnino ecclesiasticorum ac civium contentiones et lites, atque ut in posterum nullus scandalis aditus pateat, quae praeteritis temporibus in processionibus ac conventu totius cleri eius oppidi accidere consueverunt, trium dictarum Ecclesiarum cleri omnino separentur, atque unusquisque in sua Ecclesia et Paroecia sacras functiones ac processiones omnes perageret. » Verumtamen cum partes ad conveniendum super proposita processionum separatione trahi non possent; iterum acta causa, dubiisque repropositis ad 3, de quo quaestio, die 21 Augusti 1734 EE. PP. responderunt: *In decisis et amplius*. Hanc autem resolutionem firmatam fuisse literis Apostolicis Benedicti XIV perpetuum silentium partibus imponentibus sub die 6 Aprilis 1743 in forma Brevis expeditis, nec non decretis 29 Decembris 1764 et 1 Septembris 1781 Regis Ferdinandi IV, clerus ecclesiae S. Mariae Magdalenae asserit.

Post haec res satis pacifice processisse videntur usque ad annum 1872; quo tempore clerus s. Mariae Magdalenae apud S. Rituum Congregationem conquestus est eo quod occasione processionis B. V. Perdolentis, clerus s. Nicolai fines suae paroeciae ingressus fuisset. Porro, audito Episcopo, S. RR. C. respondere censuit: « Non licuisse neque licere praeposito parocho, canonicis et sacerdotibus enunciatae ecclesiae s. Mariae Magdalenae opponere se Primicerio parocho, canonicis et sacerdotibus memoratae ecclesiae

s. Nicolai, quando isti de consensu Episcopi in processionibus peragendis intrant fines parochiae oratorum : mandavitque oratoribus, ut in posterum a quacumque oppositione facienda sese omnino abstineant. »

Id minime arrisit clero s. Mariae Magdalenae, qui ideo labente anno 1884 supplex S. C. Rituum adivit, conquerens se vix inauditum ex sola Episcopi informatione fuisse damnatum, ac contendens se merito prohibere posse quominus parochus et clerus S. Nicolai e finibus suis egrediatur et alterius paroeciae limites invadat ob antiqua S. C. C. peculiaria decreta superius relata. Quapropter et rogabat, ut ab illa S. Congregatione universa quaestio ad S. C. C. iamdiu praeventam, remitteretur. Quod et factum est. In suo autem supplici libello praeter enarratum quaestionis caput quoad observandos in processionibus paroeciae fines alias etiam quaerimonias clerus s. Mariae contra parochum et clerum s. Nicolai movebat. Lamentabatur enim, clerum s. Nicolai fines ac iurisdictionem paroeciae s. Mariae invasisse, nedum in processionibus agendis, sed et in benedictione domorum, in sacramentorum administratione et funeribus.

Super his omnibus cum a S. C. C. requisitus fuisset Episcopus, hic, datis litteris, simulque quadam cleri s. Nicolai allegatione transmissa, cito respondit. Porro in iis praeter nonnulla de processionum agendarum iure, de quibus infra, quoad reliqua, de quibus clerus S. M. Magdalenae conqueritur, haec aut falsa aut exaggerata dicuntur. Sane quoad sacramentorum administrationem ac funera, notat clerus s. Nicolai, se numquam iura invasisse parochi s. Mariae Magdalenae, sed nonnunquam tantummodo a defunctorum propinquis vocatum in defunctorum domos de more atque ex pietate oraturum venisse: quoad benedictiones vero domorum in paroecia s. Mariae existentium, sabbato sancto peractas, animadvertit clerus s. Nicolai, se id fecisse audito huius paroeciae rectore et ex consuetudine ibi vigente, qua domus praecipuorum civium a singulis tribus parochis benedicuntur. Ceterum clerus S. Mariae Magdalenae probationes

super his accusationum capitibus non adducit. Unde tota quaestio ad hoc unum coarctanda videtur, utrum scilicet clero s. Nicolai de Episcopi venia fines paroeciae s. Mariae Magdalenae ingredi liceat.

Disceptatio Synoptica.

Iura Cleri s. Mariae. Age vero, pro huius s. Mariae cleri instantia primum observari posset ius agendi processiones esse territoriale seu iurisdictionale, ut monet Card. De Luca *De praeem. disc. XLII, 5*, et Pignatellus qui *Tom. 6 Consult. 65* haec habet: « At vero tenendum est non licere nisi ex privilegio. Id probo tum ex praescripto iuris communis, tum ex decretis SS. CC. Concilii, Episcoporum et Rituum, quibus vetitum est quibuscumque regularibus et sodalitatibus facere processiones intra limites alienae parochiae absque licentia parochi. Ex praescripto quidem iuris communis, quia facere processiones est actus iurisdictionis, ut asserit Riccius *p. 1 decis. 90 n. 2*. Iurisdictio autem in alieno territorio exerceri non potest, atque adeo nec fieri possunt processiones, ut recte concludit P. Donatus, Tamburini, Zerola etc. »

Et licet Episcopus iurisdictionem habeat in tota Dioecesi et ad ipsum spectet ordinare et moderari processiones, ut saepe a S. C. C. definitum est, id tamen cum aliqua limitatione intelligi debere contendit clerus s. Mariae. Sicut enim in aliis iuribus parochi minuendis non potest Episcopus procedere nisi caute, et iusta de causa, atque per modum, ut ita dicam exceptionis, ita a pari videtur de processionibus dicendum.

Insuper communiter traditur ad hoc ut Episcopus licentiam ingrediendi alienam paroeciam in processionibus dare queat, requiri Capituli consilium; Ferraris *Voc. processio* - ibi: - « Requiritur tamen ad id consilium non autem consensus Capituli: S. R. C. in *Comen.* 7 Feb. 1632. Ita ut Episcopus solus sine consilio Capituli eas indicere et di-

rigere minime valeat, ut decisum fuisse ab eadem S. C. referunt auctores etc. » Atqui in themate permissio ingrediendi alienam paroeciam videtur ab Episcopo data non in modum exceptionis, sed quasi in perpetuum; neque ad ipsam largiendam Capituli consilium expetitum est.

At insuper in themate Episcopi licentia si daretur impingere saltem aliquatenus videretur in conventionem anni 1666, S. C. C. decretis anni 1731 firmatam, et Benedicti XIV ac Ferdinandi IV auctoritate roboratam. Etenim licet per eam conventionem ac subsequentia decreta cautum directe ac proprie hoc unum sit, ut nempe processiones separatim ab unoquoque clero peragerentur, tamen implicite id etiam iussum videtur, ut scilicet in propriis uniuscuiusque paroeciae finibus supplicationes continerentur: hoc namque Episcopus poscebat, hoc ipsa dispositionis ratio, ut scilicet controversiae ac lites deinceps evitarentur, exigebat. Quapropter licet commune ius non omnino nec peremptorie intentioni faveret cleri s. Mariae, et licet Episcopo potestas generatim foret permittendi supplicationum unius paroeciae in alienam paroeciam ingressum; nihilominus, attento peculiari iure in *Morano Calabro* vigente, concludendum videretur, hanc potestatem in ea peculiari provincia Ordinario deesse.

Nec videtur ratio cur hodie debeat receptum per ea loca ius in gratiam cleri s. Nicolai mutari. Imo sartum tectumque servandum esse eaedem circumstantiae suadent, quae ius illud induxerunt. Conventio enim anni 1666 ideo statuta est, et S. C. C. auctoritate firmata ut dissentiones et scandala evitarentur. Iamvero hodie eadem omnino perseverare causa videretur.

Nec valide opponi posse videtur contraria S. Rituum C. resolutio anno 1872 lata. Quandoquidem sustinet clerus s. Mariae Magdalenae, huiusmodi decretum ex sola Episcopi informatione fuisse confectum. At insuper certo certius in ea edenda resolutione S. illam Congregationem latuit quae modo relata sunt S. C. C. decreta. Etenim de iis in illius temporis Ordinarii epistola nec verbum nec vola est.

Ea demum quae s. Nicolai clerus innuit, nempe se pluries, etiam post S. C. C. sententiam in processionibus peragendis limites parochiarum praetergressum fuisse, id nullam vim habere. Unus enim vel alter actus non inducit statum. De Luca *De parochis disc. 9, n. 4; disc. 40, n. 11,* Pitonius *Disc. eccl. disc. 17, num. 53.*

Iura Cleri s. Nicolai. Verum ex adverso clerus s. Nicolai insistit in responsione S. Rituum C. anni 1872, quam tuetur communi iuri omnino consonam fuisse. Siquidem ius processiones publicas indicendi, dirigendi et ordinandi privative ad Episcopum spectare, S. Rituum C. declaravit in *Trullen. 17 Decembris 1602,* in *Elboren. 14 Ianuarii 1617 et 28 Martii 1628* et in *Squillacen. 9 Maii 1693* apud Ferraris. Nec Episcoporum hac in re potestatem parochi iurisdictio coarctare potest. Audiatur sane Card. De Luca *Misc. Eccl. Disc. 15, n. 7.* « Ideoque magna differentia est inter ius simplicis parochi et illud Ordinarii seu Dioecesani, quoniam ius parochi est solum territoriale, non autem adeo iurisdictionale ut est illud dioecesani: ac etiam quia dioecesanus, tamquam primus parochus seu parochus parochorum, nec non tamquam iudex et superior, agnoscendo quod irrationabilis et indiscreta sit parochi aliorumque clericorum saecularium oppositio... ita debitum consensum tamquam indebite denegatum supplere potest, adeo ut ita cum consensu et licentia domini territorii geratur. »

Nec necessarium absolute est, ut in hoc negotio expediendo Episcopus de consilio aut de consensu capituli procedat. Etenim si in quibusdam praesertim antiquis Sacrarum Congregationum decretis hoc cautum invenitur, in aliis ac praesertim recentioribus contrarium admittitur. Citasse sufficiat *Urbevetana 17 Iunii 1606, Elboren. 14 Ianuarii 1617* apud S. Rituum C., *Parmen. 1 Septembris 1858* apud S. C. C. aliasque. Cuius diversitatis haec est iustissima ratio, quia scilicet obligatio Episcoporum interrogandi capitulum iuxta notum Decretalium titulum *10 lib. 3,* non est ita absoluta, ut semper et ubique procedat. Imo in hoc

puncto attendendam unice esse locorum consuetudinem, passim docent DD., et iura ac tribunalium decreta prorsus constituunt; Reiffenstuel ad *tit. De iis quae fiunt a praelatis etc. n. 8, 25 et 26*. Iamvero iu casu de quo agimus et quoad Dioecesim cassanensem notat Episcopus: nullum praesto esse exemplum, tempore transacto, quod capitulum unquam rogatum fuerit quoad modum, vias et tempus pro processionibus actis, tum in civitate, tum per Dioecesim. Et re quidem vera, si facile capitulum rogari posset de processionibus in civitate agendis, poene impossibile esset quoad illas peragendas in variis vicis Dioecesis, quorum quilibet quinquies aut sexies in annum processiones peragit.

Quibus accedit, quod ex hodiernis moribus et ex vigenti disciplina confinium observantia minus quam antiquitus rigida ac praecisa exigi videatur. Sic sane in ducendis e. g. funeribus transitus per alienam paroeciam solemniter atque elata cruce olim vix ferebatur, dum e contra passim hodie et absque controversia admittitur.

Quod vero spectat resolutionem S. C. C. anni 1734 notari posset in *mente*, responsioni adiecta, hoc tantummodo legi quod debeant « *processiones separatim fieri* » non vero quod peragi debeant ab unoquoque clero in sua ecclesia et paroecia, uti in voto Ordinarii scriptum erat. Porro ex eo quod cautum est supplicationes separatim ab unoquoque clero esse faciendas, non descendit neque inferri legitime potest iussum quoque fuisse, ut in territorio uniuscuiusque paroeciae, finibus absolute servatis, agerentur: et eo minus inferri potest quod per hoc decretum sublata fuerit Episcopo potestas, quam de iure communi habet, sacras supplicationes indicendi et pro arbitrio ordinandi.

Imo in quaestione acta anno 1734 de hoc uno proprie agebatur, nempe de praeeminentia inter s. Petri et s. Mariae Magdalenae ecclesias, nec in discrimen ullatenus positum erat ius excedendi fines unius aut alterius paroeciae in processionibus peragendis. Ratio vero ob quam iussum est processiones separatim peragi ea fuit quia, unaquaeque ecclesia

sibi praeeminentiam ascribebat. Haec autem aliena omnino esse ab hodierna quaestione apparent. Quapropter cum De Luca *Decis. Nic. n. 61*, optime concludi posse videtur quod « cum de hoc non fuisset disceptatio... non potest dici decisum; decisio quippe debet interpretari ex facto sapientibus proposito, de quo apparet in textu: et quod non est disceptatum, nec deductum non potest haberi pro deciso, dicens praesumi latam sententiam ex causa quae resultat ex actis. » Quibus consonat *De praeem. disc. 4, num. 4 et 5*.

Et ita sententiam S. C. C. semper fuisse intellectam, ut scilicet processiones fieri deberent separatim, nullo habito tamen respectu ad egressum e finibus propriae paroeciae, clerus s. Nicolai probare satagit ex vetusta illius oppidi observantia. Namque dicit a remota usque aetate et quasi ex necessitate, ob irregularem scilicet confinium formam, ut ipse Episcopus recolit, passim contigisse ut processiones s. Nicolai fines s. Mariae Magdalenae ingrederentur. Idque evenisse in processione Purificationis B. V. M. iam ab anno 1777, nec non in processionibus Palmarum, Rogationum et B. V. M. ab angelo salutatae, in qua accedebatur ad sacellum Annuntiationis cleri s. Nicolai proprium licet in ambitu paroeciae s. Mariae Magdalenae comprehensum. Haec autem semper ac pacifice ita obtinuisse.

Et quamvis hoc aevo frequentius contigerit processiones quasdam solemniores a clero s. Nicolai duci, et in his fines s. Mariae Magdalenae pervadi, hoc tamen factum semper fuisse, sustinet clerus s. Nicolai, tum ex populi desiderio, quum ex Episcopi voluntate, simulque ex necessitate. Sane ita loquitur Episcopus: nec prima vice fiebat processio anno 1873, ex meo consensu; nam anno 1872 quoque, me praesente, tranquille exacta fuit processio per girum, nunc contestatum. Ita pariter facta fuit eadem processio ultimo mense Aprilis. Adest autem quaedam necessitas tangendi extremam territorii Magdalenae partem ut processio palmarum fieri valeat a Capitulo s. Nicolai cum quadam decentia et decore.

Quapropter si in omni casu dedeceret parochum confratris sui proximique sacerdotis ita esse aemulatorem, ut vix reipublicae in hostili statu hodie assuescunt,. non videtur sine magna reprehensione ferenda illius parochi praesumptio, qui nedum confratri, sed Episcopo Ordinario suo supplicationum transitum ex iusta et necessaria causa permittenti ipse resistat.

His omnibus libratis, enodandum propositum fuit

Dubium

An parochus et clerus s. Nicolai, de Episcopi licentia, ingredi in supplicationibus possit fines paroeciae s. Mariae Magdalenae in casu.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re cognita sub die 6 Iulii 1889, censuit respondere: *Affirmative et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Ad Episcopos privative spectare ius indicendi, dirigendi et ordinandi publicas processiones; nec iurisdictio parochorum valet in hac materia limitare Episcoporum potestatem per totam Dioecesim.

II. Maxime inter se differre ius simplicis parochi et Ordinarii; ius enim parochi est stricte territoriale et quoad paroeciam; ius vero Episcopi est iurisdictionale et quoad totam Dioecesim; et ita Episcopus valet ceu parochus parochorum, seu superior et iudex agnoscere quando alicuius parochi oppositio sit irrationabilis vel indiscreta.

III. Etsi ex Decretalium titulo 10 *lib. 3* obligentur Episcopi rogare capitulum de consilio aut de consensu quoad processionum permissionem; tamen obligatio haec non est ita absoluta, ut semper et ubique procedat; ceu eruitur etiam ex nuperrimis resolutionibus S. C. Rituum.

IV. In themate, praeter inolitam iurisprudentiam, nullum haberi casum, quo Capitulum rogatum fuerit, tempore peracto, de consilio aut consensu quoad processiones peragendas.

BRIXINEN.

SYNODI DIOECESANAE

Die 6 Iulii 1889.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Brixinensis Episcopus has litteras ad S. C. C. mittebat:

« Cum ex rationibus in relatione expositis, quam feci de statu dioeceseos, occasione visitationis ss. liminum, perdifficile, imo impossibile accidat, Synodum dioecesanam iuxta rigorem canonum cogendi, enixe rogo, ut Emi Domini talem formam indulgeant, quae nostris circumstantiis est accommodata, quin tamen a lege ecclesiastica iusto longius recedatur. Haec mea petitio innitur Brevi f. r. Pii IX die 5 Novembris 1855 ad Episcopos Austriacos, quo Pontifex benigne pollicitus est, fore ut ipsis modus celebrandi synodum facilior indulgeatur, quemadmodum idipsum indultum est Episcopo Leodiensi, vigore rescripti die 4 Maii 1851, vel iuxta alium modum a Benedicto PP. XIV in *Synodo Dioec. l. 4 c. 2 n. 5* exhibitum.

« Non est abs re praemonere, quod in nostra Dioecesi haud aptum esse videatur synodum celebrare coniunctim cum ss. exercitiis, licet haec quotannis sed eodem fere tempore, in diversis Dioecesis locis pro sacerdotibus haberi consueverint.

« Mihi quidem convenientissimum videtur celebrare synodum in ipsa urbe episcopali, sed tamen ita, ut non omnes, qui ex lege venire tenentur, advocari debeant, quia tot sacerdotes per plures dies greges suos deserere non possunt. Satis esset iuxta meam sententiam, praeter Capitulares aliosque altioris ordinis sacerdotes, solummodo parochos, nec non curatos, qui non sunt nisi minorum gentium parochi, invitare, quin tamen omnes invitati venire cogerentur, quod possibile non est. Forsitan expediret, ut illi, qui licet invitati venire non possunt, procuratores eligerent nomine absen-

tium acturos. Ne vero clerici inferioris ordinis e. gr. sacerdotes auxiliarii vel beneficiati non-parochi excludantur a synodo, hi quoque vices suas quibusdam procuratoribus delegare possent, si Eminentissimis hoc placeret.

« Sed peculiaris difficultas enascitur quoad Vicariatum Vorarlbergensem. Iuxta enucleatius exposita in altera plagula districtus Vorarlbergensis, ex mente f. r. Pii VII ceu futura Dioecesis, proprie non est pars dioeceseos, sed tractus peculiaris et a Dioecesi Brixinensi quodammodo distinctus. Attamen in praxi distinctio haec vix in oculos cadit, eo quod omnes leges et ordinationes, quae ab Ordinario Brixinensi eduntur, omnino etiam pro dicto Vicariatu valent, ita ut omnimoda uniformitas hic et illic vigeat.

« Ut haec desiderabilis uniformitas deinceps quoque sarta tecta servetur, quam maxime optandum est, ut unica tantum pro utroque districtu synodus habeatur.

« Sed obmoveri fors posset, tali modo districtum Vorarlbergensem omnino confundi cum Dioecesi brixinensi, cum ex mente Pii VII non ceu pars dioeceseos, sed potius ut tractus peculiaris censeri debeat.

« Itaque rogo: - 1. ut S. Concilii Congregatio modum supra indigitatum celebrandi Synodum dioecesanam approbet, vel alium modum suggerere dignetur;

« 2. ut, nisi fors status rerum provisorius in Vorarlberg - quod maxime expediret - aliquo modo convertatur in stabilem, declarare dignetur sacerdotes Vorarlbergenses, eo non obstante, quod f. r. Pii VII binas dioeceses constituere in animo habuerit, ad synodum dioecesanam Brixinensem venire teneri, et unitas adeo pretiosa et desiderabilis sarta tecta servetur. »

Disceptatio Synoptica.

Ad singula quae Episcopus aut definienda aut concedenda postulat pauca adnotata fuerunt; et in primis, quoad locum ac tempus convocandi Synodum, in *Viterbien.* 14 Septembris 1782

§ 2 haec constituta inveniri nempe « Episcopum non solum in civitate, sed in quolibet Dioecesis loco Synodum convocare posse; expedire tamen, si nullum obstet impedimentum, ut haec semper in ecclesia cathedrali celebretur. » Itaque in themate Episcopus si velit Synodum seorsim a spiritualibus exercitiis indicere, id ei licebit; si vero in cathedralem convenire iubeat, nedum ampla, sed aequa ei erit id faciendi potestas.

Quo vero ad eos qui invitandi sunt ad Synodum, vel non, res pariter explorata est. Siquidem Tridentinum *cap. 2 sess. 24* docet « rationem tamen parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum etiam annexarum debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. » Unde receptum est, quod, praeter canonicos, curati omnes ad Synodum intervenire debeant: quoad reliquum vero clerum communiter traditum est, ut si in synodo agendum sit de re respiciente totum clerum, videlicet de reformatione morum et de intimandis decretis provinciae, tunc accedere teneantur omnes, aliter autem non, *Vulturarien. Iurium*, 19 Ianuarii 1828.

Relate vero ad non cogendos omnes, qui ceteroquin ad Synodum venire deberent, ne ecclesiis debita servitia subtrahantur, id iustum omnino et necessarium videtur. Imo res adeo apparet plana, ut revera nec disputatione egeat: si tamen iura quaerantur, quibus id adstruatur, consuli potest citata *Vulturarien. Iurium*, 19 Novembris 1727 apud Zamboni *tom. 4 Conclus. v. Synodus dioeces.*, ubi ita in terminis concluditur: « Accedere tenentur omnes de eodem clero, *ita tamen ut ecclesiis debita servitia non subtrahantur.* » Imo Benedictus XIV *De syn. lib. 3 c. 12 n. 3* docet, « parochum si per alium ovium saluti consulere nequeat licite et sancte se a Synodo subtrahere » et « non solum non reprehendendos, sed plurimum commendandos esse (parochos), si ideo dumtaxat ad Synodum non accedant, quia alium non habent sacerdotem quem sibi in animarum curam substituant. » Episcopus itaque non solum non debet, sed neque

potest omnes, licet reapse ad Synodum arctatos, indistincte ad conventum cogere. Ad summum videre et iudicare poterit, ne quis sub praetextu boni animarum negligentiam et socordiam celet.

Unica difficultas, si qua est, quoad nuncupandos et admittendos absentium procuratores datur.

Refert enim Benedictus XIV *l. 3 c. 12 n. 4* opinionem quorumdam qui docuerunt « legitime impeditum posse constituere procuratorem, non solum ut eius absentiam excuset, sed ut synodo eius nomine intersit; » quam sententiam ipse improbat et reiicit his rationibus motus: - *ibi n. 7* - « In Synodo dioecesana solus Episcopus est iudex et legislator: ipse suo nomine decreta facit et promulgat, et quamvis adstantium consilium exposcat, non tamen cogitur illud sequi; ex quo fit, ut admissio procuratorum nihil prorsus ad synodi utilitatem conferre valeat. Ad haec, aut in procuratorem eligitur, qui alias non esset synodo interfuturus, et hic potest repelli tamquam extraneus; aut eligitur, qui iam suo iure Synodo intervenit, et hic certe non potest unum consilium suum, aliud absentis nomine, Episcopo praebere; eaque propter inutile et supervacaneum est, ut absentis quoque personam in Synodo repraesentet: quare concludendum existimamus, absentium procuratoribus nullum patere aditum ad dioecesanam Synodum, nisi illum iisdem aperiat, quae iamdiu in Dioecesi inoleverit, consuetudo. »

Verumtamen ex adverso, cum debita tanti Pontificis reverentia, dicam non minora pro absentium procuratoribus admittendis militare. Atque in primis evidens est, quod quaestio ad eos tantummodo coarctatur qui ius interessendi habent: nam qui per semetipsos intervenire non valent, a fortiori neque per alium possunt adesse. Itemque planum, est, quod in procuratores ii dumtaxat eligi possunt, qui synodo adstare valent. Quo posito pro absentium procuratoribus admittendis stat in primis quaedam aequitatis ratio. Etenim quamvis solus verus iudex in Synodo sit Episcopus, attamen ibi ipse non iudicat nisi de consilio fratrum suorum.

Eo enim fine cogitur Synodus, ut plurium experientiâ, voto et prece Episcopus melius discat, et quasnam leges decernere oporteat, et quanam diligentia et fructu praevideantur observandae. Hoc autem sub respectu, effectu et utilitate vacuum non videtur esse suffragium etiam absentis. Ad hoc autem quod notat Benedictus XIV, procuratorem non posse « unum consilium suum, aliud absentis nomine proferre », id verum esse potest, si procurator habeat mandatum generale; sed contra optime et plerumque verificari potest, procuratorem accepisse mandatum speciale de re peculiari, et proinde si proprio voto addat votum absentis, ei sane quid roboris accedet; si vero proprio voto contrarietur votum mandantis, id monebit Episcopum ea de re non unam esse cleri sui sententiam: quae scientia ipsi non solum supervacanea non est, sed maximam praebere potest utilitatem. Accedit quod ipse Benedictus XIV testatur *l. c. l. 1 c. 2 n. 5*, S. C. C. anno 1720 procuratorum constitutionem commendasse Episcopo carrariensi. Etenim cum hic non posset congregare totum clerum, S. C. C. id ei proposuit, ut scilicet in unaquaque insula clericos convenire iuberet, « vices suas uni aut pluribus procuratoribus delegaturos » qui referrent suarum Ecclesiarum statum, quique non solum nomine proprio, sed et nomine absentium, Episcopum docerent « quid ubique Dioecesis agatur. » Iamvero nihil aliud postulat Episcopus Brixinensis, quippe quia et ipse ad huiusmodi caput operis Benedicti XIV provocat. Demum si ex consuetudine inolescere potest, ipso Benedicto XIV docente, procuratores ad Synodum admitti, non videtur graviter obstare quominus ex S. Sedis venia id introducatur.

Ultimo tandem loco relate ad Vicariatum voralbergensem, nil videtur obstare ne illius terrae sacerdotes in unam Synodum conveniant cum reliquo Dioecesis brixinensis clero, et ad easdem obligentur leges. Sane in *Matheranen. et Acherontina Synodi, 24 Martii 1736*, ita iuxta Zamboni *l. cit.* praefiniebatur: « Quilibet Episcopus duas habens Dioeceses, quae inter se sunt aeque principaliter unitae potest dioece-

sanam Synodum in alterutra celebrare et utriusque clerum ad eam, ubi voluerit, convocare. » Et in *Viterbien. seu Tuscanen.* 14 Septembris 1782: « Quando duae cathedrales ecclesiae ab uno eodemque Episcopo moderantur, potest Episcopus inspecta iuris severitate in ecclesia, quam maluerit Synodum celebrare, cui ecclesiastici omnes utriusque Dioecesis interesse tenentur, editasque constitutiones inviolabiliter servare; licet ad evitandas inter utramque eccles'am simultates et concordiam fovendam maxime expediat, ut Synodus modo in una modo in alia habeatur. » Porro districtus voralbergensis in distinctam Dioecesim non est constitutus, sed tantummodo, et ad summum, designatus; nam Pius VII non erexit, sed solummodo in animo habuisse dicitur voralbergensem Dioecesim erigere. Ideoque eo magis Episcopus poterit eius loci sacerdotes in unum cum ceteris suae Dioecesis clericis congregare, et eisdem legibus subordinare.

Quibus praenotatis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re cognita sub die 6 Iulii 1889 censuit respondere: *Pro gratia, exclusis procuratoribus.* (1)

MARSORUM

ELECTIONIS CANONICORUM

Die 6 Iulii 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Episcopus Marsorum S. C. C. referebat: quum instaurare cuperem apud Ecclesias collegiatas, infaustâ civili lege suppressas, religiosum servitium, praecipue diebus festis, nominare vellem canonicos honorarios; sed absque consensu aut voto capitulorum, apud quae, aliis

(1) Recole Vol. XXI, 726 *Baionen. Synodi dioecesanae;* qua gratia indulta fuit convocandi non omnes parochos simul.

iam defunctis, nunc tantum manent duo vel tres canonici titulares. Idque exposcerem hac ratione ductus; quia canonici superstites magna cum difficultate huic annuerent nominationi quae efficeret ut choralia officia expleri iterum possent. Nunc enim ab omni chori onere solutos sese reputant, dum unus aut alter, ex paucis qui supersunt, aut infirmitate aut curà animarum excusantur a choro. Qua de re Antistes facultatem nominandi canonicos honorarios, absque consilio Capituli petit, imponendo nominatis onus adstandi choro, saltem diebus festis.

Disceptatio Synoptica

Quoad nominationem canonicorum ad honorem certa res est, quod, seclusa peculiari consuetudine, illud ius spectat et ad Capitulum et ad Episcopum simul. Ita enim resolutum est a S. C. C. in causa *Fulginatensi* 26 Februarii 1629 aliaque *Fulginaten.* 6 Augusti 1815 et in causa 6 Iulii 1867 relata in *Acta S. Sedis tom. III pag. 118*, in qua, proposito dubio, « an Archiepiscopus privative a seipso canonicos ad honorem nominare, etiamque honorem hunc quibusdam officiis, veluti doctoribus Seminarii, Parochis civitatum etc., assignare valeat, vel potius hoc agere debeat de consensu vel consilio Capituli. » S. C. C. respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Dicitur seclusa peculiari aliqua consuetudine; nam pluribus in locis, in Galliis praesertim, mos obtinet, ut Episcopus ex se, quin capituli votum exquirat, canonicos ad honorem nuncupet: et S. Sedes hunc agendi modum nedum non improbavit, sed imo, attentis peculiaribus circumstantiis, non raro ratum habuit ac confirmavit, ut apparet ex *Gratian.* 14 Ianuarii 1860 et *Tarbien.* 28 Aprilis 1880.

Utrum vero in themate similem potestatem Ordinario, prout petitur, concedere expediat, res est quae disputatione vacua non videtur.

Etenim in primis agitur de canonicis honorariis nuncupandis in iis capitulis quae extincta pene sunt et reditibus

carent. Porro non existentis aut propemodum extincti corporis socios ad honorem nuncupari, ridiculum per se videtur, verumque ambitionum fomentum, quo scilicet nonnullis per ea loca ansa praebebitur, honoribus et insigniis facile acquisitis gestiendi. Imo id videtur canonicae ac receptae regulae contrarium: nam si in honorariorum nuncupatione cautum est, ut respectu habito ad numerum titularium procedatur, ne plures honorarii sint quam praebendati, ubi hi desunt aut propediem deerunt, neque illi institui posse viderentur.

At vero Episcopus ad petendam honorariorum institutionem sancta ac probatissima causa movetur, ut scilicet divinum cultum in collegiatis ecclesiis aut restituat aut augeat. Atque ideo proponit honorarios ad chorale servitium saltem diebus festis obligare, et forte ad alia etiam onera subeunda.

Verumtamen ex hac onerum, plurium vel pauciorum non refert, subeundorum praescriptione, nova haberetur confusio ac iuris relaxatio; etenim receptum ac statutum est, ut socii ad honorem, iuribus et oneribus titularium careant, iuxta doctrinam Fagnani, quam omnes recipiunt, ubi ad *cap. Dilecti 19 de praeb. et dignit.* docet canonicatus ad honorem « nomen esse sine re, dignitatem ventosam, vanam atque inanem nomenclaturam. »

Accedit periculum dissensionum inter novos honorarios canonicos, et veteres qui adhuc supersunt praebendatos. Hos enim aequo animo novos confratres non recepturos evidens est ex ipsius Episcopi testimonio. Ideo imo Ordinarius honorarios eligere postulat ex se et sine capitulorum suffragio, quia probe noscit praebendatos consensum suum ad honorariorum nuncupationem, ac praesertim talium honorariorum quales Episcopus vult, certe non praebituros.

Demum vero incertum valde est, an finis, ad quem Praesul ex honorariorum nuncupatione intendit, attingi tuto possit. Quandoquidem ab humana natura alienum est ut servitium, praesertim si nec leve nec perfunctorium sit, sed continuum

ac grave, digne ac solerter sine praemio et sine poena praestetur. Ab initio quidem, tum ob rei novitatem, tum ob nuper recepti honoris responsionem continget, noviter electos servitii zelo flagrare; at cito ob insitam in humana natura virium imbecillitatem accidet, pristinum studium, quod nulla sanctione nulloque lucro fulcitur, deficere, et canonicos levissimis primum de causis, dein vero ex sola etiam ignavia, choralia officia aut relinquere aut negligenter implere; et sic scandalum in populo magis quam aedificatio, dedecus forte magis quam auctio divini cultus obtinebitur.

Hisce praenotatis, quaesitum est quomodo essent preces dimittendae.

Resolutio. Sacra Concilii Congregatio re cognita sub die 6 Iulii 1889, censuit respondere: *Quoad canonicos mere honorarios negative.*

PARISIEN.

MATRIMONII

Die 6 Iulii 1889.

Sess. 24 Cap. 4 de Ref. Matr.

Compendium facti. Die 4 Iulii anni 1878 in ecclesia parochiali S. Vincentii a Paulo, Parisiis vir militaris, Ernestus Dupuy uxorem duxit Carolam Margheritam Barbe. Sponsi aliquot annos tranquillam duxerunt vitam, prole etiam lactificatam. sed repente aliquid accidit ex quo vir consuit ac decrevit a se uxorem deiicere et ad parentes remittere, ceu factum est.

Dein cogitans vir de civili divortio obtinendo, cum quodam religioso hac super re contulit, et ab eo scivit suum matrimonium cum Margherita forte nullum esse ob impedimentum consanguinitatis tertii gradus lineae collateralis a quo dispensatio minime petita fuerat. Hisce motus initio anni 1886 ab archiepiscopali Curia Parisiensi causam tractari petiit.

Testes excussi fuerunt; exhibitum schema genealogicum, cum parochialibus testimoniis ortus et baptismatis in singulis gradibus, et cum ex his omnibus constaret de expresso cognationis impedimento, Curia Archiepiscopalis Parisiensis sequentem dedit sententiam: « Constare de nullitate matrimonii inter Ernestum Dupuy et Carolam Barbe initi . . . . utpote contractum cum impedimento dirimente consanguinitatis, firma tamen remanente legitimitate prolis susceptae. »

Disceptatio Synoptica

A Defensore matrimonii ex officio, interposita fuit appellatio ad Sacram Congregationem Concilii, iisdem exhibitis documentis, nempe :

1. Schemate genealogico familiae utriusque coniugis, ex quo probatur Ernestum et Margheritam ligari impedimento consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis;

2. Testimoniis ortus et baptismatis quae idem demonstrant.

3. Testibus qui omnes deponunt novisse gradum parentelae inter coniuges, sed neque cogitasse de petenda dispensatione. Solummodo sacerdos qui quando matrimonium celebratum fuit erat Coadiutor Parochi S. Vincentii a Paulo, testatur sese ignorasse huiusmodi impedimentum.

Defensor matrimonii substantiam et veritatem documentorum minime impugnavit, sed ob formam esse reiiciendam sustinuit. Porro in huiusmodi quaestionibus potissimum argumentum ex codicibus parochialibus esse hauriendum, dicebat, ceu docet *Instructio S. C. de Propaganda Fide anni 1883 part. alt.* art. 1.: « Cognatio carnalis, et etiam » affinitas, quae ex praecedenti matrimonio procedit, dignos- » cuntur ex arbore genealogica utriusque familiae, conficien- » da ex regestis matrimoniorum, et ex libris etiam baptiza- » torum, in quibus notata esse debent nomina non modo » coniugum et eorum qui baptizati sunt, sed etiam paren- » tum... Talia documenta in forma authentica ex dictis libris

» erunt haurienda opera parochorum vel curiae, una cum » testimonio de identitate cum respectivis particulis in libris » extantibus; imo si a parocho testimonium datum fuerit, » opus erit ut eiusdem parochi obsignatio a curia episcopali » authentica declaretur. » Imo Barbosa docet documentum » fieri debere *cum formali transcriptione partitae de verbo ad verbum*, et concludit: « Aliter autem facta fides, seu » attestatio parochi, quibuscumque verbis concepta sit, absque » formali transcriptione partitae non valet. » *De off. et pot. parochi part. 1 c. 7 n. 21.* Cum vero ne una quidem parochorum attestatio superscriptis conditionibus praedita esset, eas nullius valoris esse Defensor affirmabat.

Reiiciebat quoque argumentum conflatum ex auditione testium, quia contra quod statutum est in *Cap. 47 §. Testes autem, De test. et attes.* minime designant *circumlocutione sufficienti*, nec *ab utroque latere singulos gradus* clara computatione *distinguant.*

Hinc concludebat sententiam archiepiscopalis Curiae parisiensis esse infirmandam, quia disputatio de non obtenta dispensatione omnino inutilis est, nullo formali et iuridico argumento adducto de existentia consanguinitatis.

Propositum fuit

Dubium

An sententia curiae archiepiscopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii die 6 Iulii 1889 respondit: *Sententiam esse confirmandam.*

COLONIEN.

TRANSLATIONIS ET DISMEMBRATIONIS BENEFICII

Die 3 Augusti 1889.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Archiepiscopus coloniensis paucis abhinc mensibus sequentes litteras ad S. C. C. misit: « Petrus Rutgerus Schos, sacerdos qui in domo nobili Bürgel Archidioecesis coloniensis oeconomi munere olim fungebatur, testamento diei 29 Aprilis 1738 confecto de beneficio quodam, favore Bürgelensium erigendo, haec statuit.

« - 2. Ex tota mea haereditate beneficium hic in Bürgel erigi volo.

« - 7... Reliqua ordinabo si Deus longiorem vitam mihi concedat.

« Praefata nempe domus Bürgel in dextera Rheni fluminis ripa sita una cum accolis tunc temporis ad parochiam Zons, item Archidioecesi coloniensi subditam, sed in sinistra Rheni ripa iacentem, pertinebat. Cum igitur medius inter Zons et Bürgel Rhenus undas suas volvat, aditus ad ecclesiam parochialem in Zons et vice versa administratio sacramentorum viatici et extremae unctionis in Bürgel hiemis praesertim et noctis tempore maximis difficultatibus obnoxia erant. Hisce praecise difficultatibus ut mederetur pius testator beneficium praedictum in ecclesia Bürgelensi s. Materno dedicata fundavit.

« Sed fundatore praematura morte eodem anno 1738, quin ad - reliqua ordinanda - inveniret tempus, erepto, de beneficii specie deque beneficiati officiis accuratius statuere Ordinarii erat. Itaque Vicarius generalis huius Archidioecesis coloniensis die 20 Iulii 1743 dictum beneficium de mandato Archiepiscopi sub titulo s. Antonii in ecclesia loci Bürgel hac lege erexit, ut beneficiatus

« *a)* singulis diebus Dominicis et de praecepto festivis in dicta ecclesia Bürgelensi sacrum faceret addita homilia,

quae saltem ad quartam horae partem produceretur, adiecta insuper horis postmeridianis catechesi et recitatione publica rosarii.

« *b)* certis diebus ferialibus pro anima fundatoris defuncti s. Missae sacrificium afferret.

« *c)* personaliter et continuo in Bürgel vel in Ordenbach (qui quidem locus nunc ad parochiam Benrath vicinam adscriptus est) residendo, pastori loci, in quo ipsum residere contingat, ad discretam eiusdem requisitionem pro viribus in cura animarum assistat, singulariter tamen sedulam ac continuam animarum in domo Bürgel existentium curam gerere teneatur.

« Praeterea Vicarius generalis beneficium, de quo agitur, tam incompatibile quam liberae prorsus collationis esse voluit. Quod si inter fundatoris consanguineos sive paternae sive maternae lineae inveniatur qui ad obtinendum idem beneficium sit idoneus, is in beneficio conferendo prae extraneis praeferatur.

« Tandem Vicarius generalis tres viros (sc. dominum domus Bürgel, dummodo catholicae fidei addictus sit, parochum dictae parochiae Zons, necnon Officii Vicariatus Protonotarium) elegit, qui bonis beneficii diligenter administrandis invigilarent. Quorum tamen loco, inde a lege Borussica diei 20 Iunii 1875 de administrandis bonis ecclesiasticis lata, quam legem ad maiora praecavenda mala S. Sedes observare permisit, collegium curatorum, qui bonis parochiae Monheim administrandis ad normam legis praedictae vacant, substitutum est, quae quidem mutatio a me postea ratihabita est.

« Occasione nempe revolutionis sic dictae Franco-Gallicae, qua huius initio saeculi Archidioecesis nostrae pars in sinistra Rheni ripa sita, ideoque etiam supradicta parochia Zons avellebatur, locus Bürgel dein parochiae Monheim in dextera Rheni ripa iacenti adiunctus est, eidemque parochiae, etiam Archidioeceos partibus iterum ut antea adunatis, ad hunc usque diem adiunctus permansit.

« Distantia vero inter Bürgel et ecclesiam parochialem

Monheim est unius horae et paulo amplius (vel circiter 4 leucarum Italicarum). At vero inter Monheim et Bürgel utrinque pariter fere distans alius habetur vicus nomine Baumberg, qui item parochiae Monheim annexus fideles non minus quam 1085 complectitur. Bürgel vero fidelibus, quotquot antea fuerint, nunc vix viginti, qui omnes vel fere omnes sunt conductores vel officiales; possessoris domus Bürgel numquam illic residentis, sed longe illinc in Wetsphalia habitantis, constat, atque ecclesia, in qua olim beneficium s. Antonii fundatum est, temporum iniuriâ hominumque incuriâ obruta iacet.

« Numerus autem fidelium totius parochiae Monheim (inclusis habitantibus Baumberg et Bürgel) est 3157. Quare perutile visum est, idque iam inde a quadraginta fere annis, quod pagus Baumberg a parochia Monheim dismembratus in novam parochiam erigeretur, ita ut parochiae Monheim remanerent fideles circiter 2000, dum reliqua pars, quae in Baumberg et Bürgel invenitur, novae parochiae Baumberg assignaretur.

« Revera fideles Baumbergenses novam eamque amplam et pulchram ecclesiam in Baumberg iam construxerunt itemque domum procuraverunt parochialem. Deest tamen, quae quidem iure canonico ad erigendam novam parochiam requiritur, dos sufficiens. Baumbergenses vero in aedificandis praedictis ecclesia et curia parochiali vires suas adeo exhauserunt, ut doti conflandae impares existant.

« Porro beneficium s. Antonii in Bürgel amplissimis gaudet reditibus, qui quidem annuatim ad marcas Germanicas 1165 seu libellas Italicas circiter 5206 ascendunt. Dicta ecclesia vel sacellum s. Materni in Bürgel nullos omnino reditus possidet e quibus reaedificari possit; insuper saluti animarum omnibus nominibus longe magis expedire videtur, quod reditus beneficii non ad restaurandam ecclesiae s. Materni in parvo illo pago Bürgel, sed potius ad dotandam novam ecclesiam in Baumberg iam erectam adhibeantur. Pagus enim Bürgel, qui vix viginti fideles, ut dictum est,

comprehendit, a Baumberg tantummodo horae dimidiae itinere (vel duabus leucis Italicis) distat viaque hinc illuc ducit facillima. Unde onus, quod Bürgelensibus eo quod beneficium s. Antonii in ecclesiam Baumbergensem transferretur vel potius ad hanc ecclesiam sufficienter dotandam supprimeretur, imponendum esset, si quidem fidelium plus mille Baumbergensium utilitatem prae oculis habueris, grave eo vel minus aestimari potest, quoniam ecclesia in Bürgel diu iam ita ruinosa iacuit, ut Missa inibi haberi non posset. Itaque id quod notatu dignissimum est, tam collegia curatorum bonis ecclesiasticis administrandis praefectorum in Monheim et Benrath, quam ipsum tandem gubernium Borussicum, ut beneficium s. Antonii novae parochiae in Bamberg erigendae bonis suis succurrat, omnino consenserunt.

« Insuper talis bonorum dicti beneficii distributio intenderetur, qualis tam beneficii oneribus, quam omnibus quotquot ex beneficio commodum quoddam haurire potuerunt, optime satisfiat. Seposita enim portione bonorum beneficii, de quo agitur, pro Missis hucusque a beneficiato, deinde vero a rectore ecclesiae Baumbergensis vel eius vicario adamussim in ecclesia Baumbergensi persolvendis, sepositis porro duabus alteris portionibus pro parochiis Monheim et Benrath, in quantum olim beneficiati Bürgelensis servitiis gaudebant, ex aequo compensandis, tantum restat, quantum ad parochiam novam Baumbergensem dotandam plane sufficit.

« Quibus de causis facile censere licet pium testatorem, si viveret, haereditate sua fidelibus potius mille et centum in Baumberg, quam viginti in Bürgel degentibus consulturum esse, eo vel magis, quod ratio ob quam potissimum loco Bürgel relictis bonis suis providit, sc. adeundae ecclesiae trans Rhenum sitae, iam ex longo tempore non obtinet.

« Quare ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus enixe rogo, ut facultatem benigne concedere mihi dignetur, qua beneficium s. Antonii in Bürgel, quod diu iam vacat, modo supra exposito ad dotandum novam ecclesiam parochialem in Baumberg applicare valeam. »

Disceptatio Synoptica

Petitio igitur praecipue porrigitur ad obtinendam 1. translationem beneficii s. Antonii ab ecclesia Bürgelensi, s. Materno dicata ac diruta, ad novam ecclesiam parochialem loci Baumberg, et 2. ad obtinendam dismembrationem aliquam eiusdem beneficii in favorem parochiarum Benrath et Monheim. Quod attinet enim ad erectionem novae parochiae in Baumberg, per dismembrationem parochiae Monheim, Ordinarius utendo facultatibus sibi a Conc. Trid. *Sess. 21 c. 4 De ref.* concessis, eam iuxta sacros canones et prudentiae regulas instituendam sibi assumit, nec ea de re ullum dubium movet.

Relate ad translationem beneficii s. Antonii ab ecclesia Bürgelensi ad novam ecclesiam parochialem Baumbergensem, ut haec congrua dote instrui possit, animadversum fuit exinde pessumdari pii fundatoris legem, testamenti tabulas subverti, et incolas loci Bürgel privari beneficio in eorum praecipue emolumentum instituto. Et ideo translationi obstare notissima utriusque iuris principia, quae cavent pias fidelium voluntates sartas tectasque servari, nisi urgens necessitas aut evidens utilitas contrarium exposcat.

At vicissim si attendatur 1. quod in loco Bürgel viginti vix sunt incolae, et ideo superfluum videatur tam pingue beneficium pro tam modica fidelium manu insumi: si attendatur 2. quod ipsa ecclesia s. Materni diruta sit, et ideo impossibile actu fiat legati implementum, nec sperari possit aedes illas a viginti loci ruricolis restitutum iri, praesertim cum non longe ab ipsis, in nova scilicet paroecia Baumbergensi, congrua ecclesia extructa sit; quo in casu beneficii translatio praevisa est ac praecepta ab ipso Tridentino *Sess. 21 c. 7*, imo et necessaria: si attendatur 3. magna circumstantiarum mutatio quoad conditiones necessitatesque loci Bürgel; nam hic pagus olim unitus erat paroeciae trans Rhenum existenti, dum hodie ecclesiae citra flumen proximaeque adiunctus est; unde beneficii translatio nec fundatoris voluntatem, nec incolarum Burgelensium iura offendere videtur;

imo admissa est ab ipsis bonorum beneficii administratoribus: si demum 4. consideretur favor quo canones prosequuntur constitutionem et dotationem egentis necessariaeque paroeciae, quo factum est, ut S. C. C. aliquoties concesserit, nedum unione beneficiorum, sed et suppressiones legatorum piorum et missarum reductiones, prout constat ex *Tusculana Paroeciae 17 Decembris 1804, et 25 Maii 1805*, Fagnan. *c. Ad audientiam lib. 7 De aedif. eccl. n. 33;* dum in themate onerum missarum reductio non poscitur, quae imo in translatione sarta tectaque mansura spondetur; si haec omnia, inquam, in suo complexu considerentur non abs re videtur petita beneficii translatio.

Quoad dismembrationem autem, seu separationem partis bonorum a beneficio s. Antonii in favorem parochiarum Benrath et Monheim, iusta semper ad eam instituendam requiritur causa, moralis nimirum necessitas vel evidens utilitas, cui alio modo provideri nequeat; nec sufficit abundantia redituum, nam non possunt beneficia quia pinguia sunt, ideo dividi diversisque locis applicari. Porro praecipua causa quae pro dismembratione allegatur haec est, ut scilicet paroeciae Benrath et Monheim, quae a sacerdote beneficio s. Antonii investito auxilium aliquod in cura animarum hucusque obtinebant, aliquatenus, compensentur.

Quibus praenotatis, quaesitum est quomodo oratoris preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognita sub die 3 Augusti censuit respondere: *Pro gratia, iuxta petita.*

PARISIEN.

MATRIMONII

Die 3 Augusti 1889.

Sess. 24 cap. 1 De reform.

Compendium facti. Die 20 Augusti 1888 Aloysius Ghislain comes d'Estourmel et Maria Antonietta Oppenheim iustas

nuptias inibant in paroecia loci Sévres apud Parisios, post unicam bannorum publicationem, ceteris dispensatis.

Matrimoniales tractatus festinanter acti sunt, quia, ut plures aiunt, comitis parentes optabant, filium suum Aloysium e turpi amore, cum quadam pellice Ioanna, quam citius expediri. Quae res usque ad ultimum, tum sponsam, tum sponsae parentes latuit, eo quod amici et coniuncti, qui de hac re edocere potuissent familiam Oppenheim, aut veriti sunt id facere, aut nonnisi postquam civile vinculum contractum fuerat de his nuptiis agi, et Aloysium d'Estourmel his vitiis foedari cognoverunt.

In his conditionibus matrimonium non potuit a primis usque diebus ad infausta non declinare.

Siquidem cum primum nuptiale iter sponsi de more adgressi fuerint, vir saepe diuque tam in via quam in diversoriis sponsam deserebat, et cum meretrice, quam comitem habebat, conversabatur ac moras trahebat, quin satageret id uxorem celare. Et cum Parisios sponsi cito essent reversi, res vel in peius ruere videbantur. Imo licet Aloysii parentes omnia tentaverint, ut filium suum e vitiorum coeno eruerent, et amasiam ab eo depellerent, nihilominus in irritum omnia cesserunt. Unde tandem Maria Antonietta paternos lares repetiit, et die 1 Octobris, quadraginta scilicet dies ab initis nuptiis, supplici libello a SSmo expetivit, ut ab infausto hoc matrimonio, quod ratum mansisse declarabat, benigne dispensaretur.

Instructio processus, iuxta oratricis preces, Archiepiscopali curiae Parisiensi commissa est. Audita fuit actrix, eiusque vir, ac dein quatuor testes ex parte viri, septemque ex parte mulieris, ac demum inspectio corporalis a duobus medicis in quadam salutis domo monialium Augustinianarum coram una ex religiosis sororibus peracta est.

Disceptatio Synoptica

Defensio mulieris. Mulieris defensor restrictum ad rem exhibitum in tres dividit partes; in quarum prima ostendit

matrimonium in themate haud fuisse opere completum, in altera dispensationis causas enucleat, in tertia demum nonnullas difficultates explicat.

Et a prima incipiendo perplures sive viri sive mulieris sive testium depositiones recitat atque cumulat, ex quibus colligitur comitem d'Estourmel pellicem ita turpiter deperiisse, ut uxorem suam non modo ab ipso coniugii exordio despexerit, sed et a matrimonii consummatione se abstinuerit, imo ne tentare quidem curaverit. Sufficiat heic unum vel alterum testimonium referre.

Et in primis ipsemet comes d'Estourmel de se iureiurando affirmat: meam familiam haud latuisse, me alias fovere amicitias, quibus nuncium non dederam etsi per parentes de hoc adprecatus. Hoc forsan desiderabam tempore matrimonii, quod inivi absque amore.

Idipsum confirmat comes de Savignac. Plura in hunc sensum et de pravis viri moribus concinunt baro Robertus Oppenheim, marchio de Lentilhac, vicecomitissa de Saint-Jean, vicecomes et vicecomitissa de Savignac aliique. Hinc nihil mirum si, vix peracto foedere, comes contemptu et iniuriis afflixerit uxorem, quae narrat: quod eadem matrimonii die, dum Ecclesiam relinquerent parum amabilem sese habuit sponsus; quin imo tempore prandii de pellice loquutus est. Sero autem sponsus cubiculum ingressus, petiit an edocta fuerim per matrem de rebus matrimonii; cui quum respondissem, id per sororem meam scivisse, ait, omnia haec locum habere non posse hac eadem nocte, et iterum de pellice loqui adgressus est. Lectum meum petivit, sed per totam noctem tranquille obdormivit. Hac agendi ratione obstupui, et ploravi amare. Comes vero ipsemet, causam non consummationis matrimonii explicans, ait: haud cogitaveram antea me abstinere a consummatione matrimonii, sed a primo die ita tristis atque incertus eram de futuro, ut prudens censuerim hoc capiendum esse consilium. Ideoque prorsus confirmare possum, nullam me habuisse carnalem relationem cum iuvene Oppenheim. Hoc firmatur per confessionem mulieris, quae

iureiurando asseruit virginem adhuc esse. Baro Robertus Oppenheim asseruit scivisse a propria sorore adhuc eam esse virginem post iter, occasione matrimonii peractum. Et ita domina Stahorovich, marchio de Lentilhac, vicecomes de Savignac aliique, qui testantur etiam de comitissae fide et religione, eamque omnibus virtutibus pollentem renunciant, prout Parisiensis ipse Archiepiscopus confirmat.

Iam vero ex *cap. Laudabilem de frig. et malef.* iurata coniugum fides magni facienda est; et dispensationem a matrimonio rato concessam fuisse ex sola coniugum confessione, refert S. C. in *Ianuen. Dispensationis 20 Maii 1719* et Conrad. *Prax. Dispens. lib. 6 cap. 7 n. 36 et seq.* Id autem eo magis si iurans sit probatae conscientiae, Gloss. in *cap. Mulier de iure iurand.*; maxime vero quum utriusque coniugis confessioni testimonium septimae manus, nemine contradicente, suffragetur. Iudiciales enim test'ficationes quanti sint faciendae ad consummationem excludendam, docet Consci *De separat. thori lib. 1 cap. 16 n. 13 et seq.*; idque etiamsi a propinquis et famulis dentur, Rota in *recent. decis. 115 n. 7 par. 18*, in Romana *Separat. thori 9 Martii 1760 § 7 coram Camillac.* Card. De Luca *De matrim. Disc. 2 n. 11.*

At, pergit patronus, plenissima et maxima certitudo moralis de matrimonio non consummato ex medica rite Parisiis peracta inspectione elicitur; quum periti doctores hymenem perfecte integrum, atque nihil lacerationis vel caruncularum myrtiformium in comitissae muliebribus invenerint; quae iuxta artis anatomicae et medicinae forensis scriptores Zacchia, Rudel, Barzellotti maximi sunt momenti ad iudicium de virginitate ferendum. Immo doctor Bucquoy, respondens ad quaestiones, a matrimonii defensore propositas, apertis verbis affirmat, quod si casus adsit, quo ex medica inspectione virginitas dignosci possit, hunc tutissime esse de quo agitur.

Atqui periti non ad testificandum, sed potius ad iudicandum solent adhiberi, De Luca *De iudiciis disc. 33, n. 20.* Abbas *in cap. Proposuisti 4 de prob.*

Post haec patronus gradum facit ad expendendas causas ob quas dispensationis gratia legitime concedi possit. Et primam in eo positam esse ait, quod simplex puella in matrimonium consensit, eo quia vir dissimulavit se vitio luxuriae foedari. Si enim comitissa turpes viri mores postea detectos ab initio comperiisset, numquam cum huiusmodi homine foedus iniisset. Hanc autem legitimam dispensationis causam esse, tradunt doctores Lancellot., Sanchez, De Luca, Pirr., Corrad., Ursaya. Et ob hanc causam dispensationum a Pontifice concessarum exempla referunt Burgatius *De irregul. par. 6, num. 1, de spons. num. 17*, Corrad. *Prax. dispens. lib. 8, cap. 7, num. 35, aliique*. Atque a S. C. C. etiam haec causa plurimi aestimata fuit, veluti videre est in *Nicien. seu Curritana Disp. 12 Martii 1786, in Albiganen. Matrim. 12 Sept. 1807* aliisque.

Alteram dispensationis causam a viri adulterio deducit, cum scitum in iure sit vel ipsam adulterii suspicionem dispensationi causam praebere posse. Consci *De separat. thori lib. 1, cap. 16, num. 269*.

Tertia in gravissima et insuperabili coniugum aversione reponit; iuxta Ursaya *discept. 24, num. 60, et seq. tom. 3, part. 2*, ex qua aversione etiam gravia scandala et neces ipsas emergere posse praevident doctores. Corrad. in *Prax. disp. lib. 8, cap. 7, num. 36*, S. Cong. in *Neapolitana Nullitatis seu dispensationis matrim. 29 Nov. 1862*. Et heic patronus perlongas testium depositiones iterum recitat, ut demonstret coniugum reconciliationem prorsus impossibilem esse. Comitissa enim d'Estourmel inhonestos viri mores ac non emendatum vitae ipsius tenorem maxime pertaesa, et aegro animo ferens, se in dies magis negligi, despici, ac adulterae Ioannae ludibrio subdi, virum ipsum quam maxime aversatur, et nihil aliud in votis habet quam ab eo iudicialiter dissociari.

Quarta dispensationis causa est utriusque coniugis consensus, quem plurimi aestimant Vincentius de Iusto *De disp. lib. 2, cap. 19, num. 28*, Corrad. *Prax. disp. lib. 12,*

cap. 16, num. 9, et S. Congreg. in *Albinganen. matrim. 12 Sept. 1801;* praesertim si urgeant gentium nobilitas et divitiae, quum tunc reconciliatio sit rarior et scandala magis innotescant; maxime vero si, prout in themate, mulier breve post tempus ab initis nuptiis supplicem pro dispensatione dederit libellum. Sanchez *De matrim. disp. 109, n. 19.* Hinc ipsa archiepiscopalis Curia dum vitae coniugalis redintegrationem inter sponsos impossibilem proclamat, mulierem amplissimis verbis commendat.

Postrema dispensationis causa patronus in spirituali utilitate petentis dispensationem collocat, plurimis ad rem adductis DD. citationibus, S. Rotae et S. C. resolutionibus.

Demum tertium caput attingens orator quaedam parvi momenti obiecta diluit, praesertim de non completo testimonio septimae manus ex latere viri, atque de obstetricum absentia. Ad primum respondet, ex latere viri nonnisi quatuor testes inveniri potuisse cum vir ad indigitandos testes invitatus responderit: testimoniis adducendis careo. Et quum hic defectus ex mulieris facto non processerit, ei praeiudicium afferre haud debet. S. C. in *Varsavien. 14 Maii 1887.*

Quoad obstetricum vero absentiam ait, satis abunde fuisse suppletum per medicos, qui non ex relato, sed visu et tactu virginitatem recognoverunt; et insuper hanc consuetudinem quae in nonnullis provinciis Gallicis, aliisque regionibus viget, a S. C. non fuisse improbatam, ceu videre est in causis *Venetiarum 28 Iulii 1860*, in *Patavina 23 Sept. 1865,* et in *Olinden. 1 Sept. 1883.* (1)

Animadversiones vindicis s. vinculi. E contra matrimonii vindex notat peritorum iudicium tot scatere vitiis, ut parum in eo fidendum sit. Siquidem periti in suo relato tantummodo de integritate hymenis testimonium ferunt. Atqui ex Zachia *Quaest. med. leg. l. 4 tit. 2 q. 1 n. 28* constat, posse virginem « deflorari imo etiam concipere, absque eo quod hymen disrumpatur. »

(1) Olinden. relata fuit Vol. XVI, 215.

Ideo ad virginitatem comprobandam, praeter hymenis integritatem alia etiam adminicula prae oculis haberi oporteret, iuxta ea quae Zachia ad *q. 2 n. 16* tradit; quod tamen facere neglexerunt periti, qui unice de hymenis integritate loquuntur.

Accedit quod corporalis inspectio non per obstetrices sed per medicos peracta sit: et hoc naturali honestati repugnat, a canonibus, *cap. Proposuisti De probat.* et *cap. fin. De frig. et malef.* et ab Instructione S. C. C. diei 22 Augusti 1840 reprobatur, ac demum non omnimodam veritatis et iustitiae cautionem praestat, sive quia viri ex mulieris lacrimis facilius commoventur, sive quia, hisce praesertim temporibus, viri minus formidolosae conscientiae sunt quam mulieres.

Insuper ex S. C. C. instructione statutum est mulieris corpus « a singulis seorsim, adstante semper et praesente matrona » explorari, statimque a singulis, pariter seorsim, scriptam relationem edi. At e contra in themate una simul periti inspectionem egerunt, et matrona ex nuptis adlecta non fuit, sed sanctimonialis femina erat; quod quidem minus decere videtur.

Itaque huic inspectioni parum fidendum esse, defensor concludit; nec magis coniugum confessioni et septimae manus testimonio. Coniugum enim dicta collusionis suspecta sunt, quia uterque in matrimonii dissolutionem nedum consentit, sed contendit. Unde Sanchez *De matr. l. 2 disp. 45 n. 3* in terminis docet: « Confessio ea cum sit in consistentium favorem, nihil probat. » Septimae autem manus testimonium non est numeris omnibus absolutum: siquidem in primis non septem tantummodo ex mulieris latere inducti sunt, dum ex latere viri quatuor dumtaxat adstant, et hi quidem parum cauteque loquentes. Praeterea nec plena concordia est in assertis; imo dum actrix et ab ea inducti testes de turpi comitis amore passim loquuntur; vicissim comitis pater, Marchio d'Estourmel, hac de re interrogatus respondit: sese nescivisse, filii passionem ita fuisse violentam, ut a matrimonio ineundo eundem abstraheret. Pariter actricis mater

asserit : matrem sponsi pro conclusione matrimonii pressionem fecisse ; id quod ab ista denegatur. Itemque actrix et eius famula Tetard testantur de continua pellicis praesentia in itineribus, in diversoriis, Henevae sicut et Parisiis ; sed Carolus Tetard comitis famulus e converso refert se nihil vidisse, nihil audivisse, nihil suspicatum esse. Nec valde refert novem ex adductis testibus dixisse, se a comitissa vel a comite, vel ab utroque simul accepisse matrimonium inconsummatum mansisse. Quandoquidem horum testimonium tantum valet, quantum fons unde est desumptum, quantum scilicet sponsorum auctoritas. Atqui sponsi a collusionis suspicione non sunt immunes, quia ad matrimonium dissolvendum student. Accedit quod ut testimonium septimae manus in pretio habeatur necesse sit ex S. C. C. instructione ut « singuli testes audita prius lectura examinis - interrogentur - utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis... ac credant eum vera dixisse. » Iamvero in themate ne unus quidem ex testibus cognovit iudicialia coniugum asserta, et tres tantummodo interrogati sunt utrum actricis religionem perspectam haberent ; nemo autem excussus an crederet comitem vera dixisse.

Verum, prosequitur defensor, nedum dubia est inconsummatio, sed insuper exploratae non sunt dispensationis causae. Non in primis dolus viri in turpi suo amore celando ; quandoquidem ipse ait : apud meam familiam notum omnino erat me alias fovisse amicitias ; et eadem res haud latebat familiam Oppenheim. Idque confirmat Robertus Oppenheim, actricis pater.

Non adulterium ; nam si hoc contigit, remissum simul etiam fuit ; nam actrix fassa est se paratam esse ad condonanda et oblivione omnia obruenda, si vir mutatus rediret ; ceu eruitur tum ex ipsius actricis testimonio, tum ex assertis a marchione d'Estourmel.

Non coniugum aversio ; quippe quia haec magna esse non videtur ; nec undequaque insanabilis ; dum vir et scripsit, et fassus est existimatione maxima se prosequi uxorem.

Nec coniugum consensus; quia cum matrimonii, etsi non consummati, firmitas sit de iure divino, planum est, legitima causa cessante, ex mutuo coniugum consensu sacramentum dissolvi non posse. Itaque in iure haec causa non subsistit; sed neque in facto; cum ex superius relatis constet, uxorem dispositam ad consortium restituendum fuisse, si vir mores mutaret.

Nec demum subsistit ratio de spirituali sponsorum utilitate; quae imo exigeret ut vir abstersis anteactae vitae criminibus novaque vitae ratione instituta, ad legitimam suam uxorem rediret, et cum ea, quam existimat, et a qua amatur, christiane deinceps vivat.

His utrinque relatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSño super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 3 Augusti 1889 censuit respondere: *Affirmative.*

APPENDIX V.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

Rmus P. Procurator generalis Carmelitarum excalceatorum Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod in Kalendario perpetuo Ordinis ab eadem Congregatione sub die 26 Iunii 1850 approbato, die 15 Februarii habetur festum s. Petri Thomae Ep. Mart. eiusdem Ordinis, et die immediate sequenti Commemoratio Sanctorum, quorum corpora et reliquiae asservantur in Ecclesiis Ordinis: quae duo festa per benignum rescriptum ipsius Sacrae Rituum Congregationis sub die 8 Martii 1883 e ritu duplicis minoris ad ritum duplicis maioris evecta sunt. Contigit autem quod Ordinis Kalendaristae differunt circa modum ordinandi Vesperas diei 15 Februarii; quare Orator ad diversitatem tollendam humillime supplicavit pro insequentis Dubii solutione, nimirum: Quomodo ordinandae sint Vesperae in praefata Officiorum concurrentia? Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sic declarandum censuit: in casu Vesperas esse dimidiandas, nempe recitandas a capitulo de sequenti. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 11 Ianuarii 1884.

URGELLEN.

Magister Caeremoniarum s. Ecclesiae Cathedralis Urgellen. in Hispania de consensu sui Episcopi a S. Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum:

Dubium I. Utrum in Dominicis et Festis etiam solemnioribus, iuxta immemorabilem praxim cantari possit a Parocho, induto superpelliceo et stola nigra, absolutio pro Defunctis post Vesperas vel Rosarii recitationem ne populus moerore afficiatur?

Dubium II. In Regnis Aragoniae et Valentiae nec non in Catalauniae Principatu in solemnitate SSmi Corporis Christi cantatur Missa cum expositione SSmi Sacramenti, quod expositum remanet usque ad Vesperas, quibus absolutis, fit solemnissima Processio cum SSmo Sacramento. Hinc quaeritur, utrum ad maiorem Festi solemnitatem possit cantari Missa pontificalis, ut alicubi fit, adhibita diligenti cura ad prae-

cavendas irreverentias erga Sanctissimum Sacramentum?

Dubium III. Utrum in concursu officii votivi SSmi Sacramenti cum officio item votivo Passionis D. N. I. C. Vesperae fieri debeant a Capitulo sequentis, cum praecedentis commemoratione: an potius integrae dicendae de SSmo Sacramento absque Passionis commemoratione?

Dubium IV. Utrum post Decretum S. R. C. datum sub die 16 Septembris 1865 in Cathacen. sustineri possit doctrina, quam tradit De Herdt in sua Praxi liturgica tom. 2, n. 278 (edit. ann. 1876) nempe: Festum habens octavam occurrens in Dominica, si impediatur alio festo maioris ritus vel dignitatis, quod tamen non habet octavam, et nulla dies non impedita infra hebdomadam occurrat, reponi posse in die octava seu in Dominica sequenti, in qua alias de die octava fieret, si festum alicui Dominicae sit affixum (S. R. C. 7 Decembris 1844) non autem si diei mensis iam in Dominica occurrenti sit assignatum, in quo casu post Dominicam est transferendum (S. R. C. 16 Feb. 1754)?

Dubium V. Utrum in Officiis S. Petri de Alcantara et S. Ioannis a Cruce ad ritum duplicis secundae classis nuper evectis, nec non S. Francisci Borgia item secundae classis in Hispania et S. Francisci Xaverii dupl. mai. in hac Dioecesi Urgellen. recitari debeant Lectiones primi Nocturni de secundo loco *Beatus vir,* prout declaratum fuit pro Sanctis Dominico de Guzman, Ignatio de Loyola, et Iosepho Calasanctio die 16 Maii, anno 1871?

Dubium VI. Utrum officium duplex (non Doctoris) vel semiduplex occurrens cum S. Mathia Ap. die 25 Februarii in anno bissextili, ad modum simplicis reduci debeat, iuxta novas Rubricas, an vero servandum Decretum huius S. R. C. 1. Martii 1681 in una Ordinis Minorum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita alterius ex apostolicarum Caeremoniarum magistris sententia, hisce Dubiis sic rescribere rata est:

Ad I. Negative in Festis solemnioribus.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem affirmative ad secundam.

Ad IV. Sustineri posse et debere.

Ad V. Desumantur ex officiis iam approbatis pro aliis Ordinibus.

Ad VI. Servandum S. Rit. Congregationis decretum, et rubricam particularem Breviarii. Atque ita rescripsit. Die 11 Ianuarii 1884.

ALBEN.

Sacrarum Caeremoniarum Magister in Dioecesi Albensi, de mandato sui Rmi Ordinarii, S. Rit. Congregationi insequentia Dubia

pro opportuna solutione humillime proposuit, nempe:

Dubium I. Festum ob occurrentiam alterius Festi, aut diei potioris ritus translatum, reponi omnino debet in diem (etsi infra octavam communem) primam liberam, aut solum potest, praesertim quum ad anni exitum maneant dies liberi, in quibus agi debeat de Feriis?

Dubium II. Utrum in repositione Festi translati quando occurrunt plura translata aequalis ritus, attendenda sit prioritas translationis vel dignitas, aut circumstantia Officii primarii?

Dubium III. Responsio S. Rit. Congregationis sub die 27 Augusti 1836 in una Minoricen. ad V. quoad Lectiones III. Nocturni in Octava S. Ioan. Baptistae et Octava Dedicationis Ecclesiae, estne extendenda pro omnibus Octavis, et pro omnibus diebus infra Octavas, et pro die Octava, uti innuere videtur textus responsionis?

Dubium IV. Ex Litteris Apostolicis SSmi Dni Nri Leonis Papae XIII die 20 Iulii 1882 festum S. Cyrilli Episcopi Alexandrini, Confessoris et Ecclesiae Doctoris affixum fuit diei 9 Februarii. In Kalendario Dioeceseos Alben. haec dies assignata est festo S. Titi Episcopi Confessoris; extant tamen adhuc liberi dies 21, 27 et 28 eiusdem mensis. At dies 21 et 26 pro quibusdam Parochialibus Ecclesiis occupati sunt ab aliis festis perpetuo translatis. Festum igitur S. Cyrilli fixe reponi debet in diem 28 omnino liberam ut cunctae Ecclesiae eadem die idem festum recolant; an in diem 21 nova adsignatione facta pro praedictis Parochialibus Ecclesiis aut demum retinendae sunt adsignationes factae, et pro illis Paroeciis adsignanda ne dies prima libera?

Dubium V. In aliquibus Breviarii Romani editionibus in Festo Maternitatis B. M. V. tertius versiculus Hymni in prima stropha ad Matutinum sic legitur *Ubi caduca membra,* in quibusdam aliis *Ubi futura victima,* quaeritur quaenam sit authentica lectio?

Dubium VI. Ceroferarii ex Rubrica Missalis (tit. VIII n. 8) et ex Caeremoniali Episcoporum (lib. 2 Cap. VIII. ann. 69 et 72) in Missa solemni accedunt ad Altare a *Sanctus* usque ad factam Calicis elevationem, vel ad consummationem si qui communicandi sint, aut Missa sit vel de Requie vel de Vigiliarum ieiunio. Quaeritur utrum ad maiorem Sacramenti reverentiam tolerandum sit, ut hi Ceroferarii cum accensis fanalibus remaneant in cunctis Missis solemnibus usque ad peractam Consummationem, vel etiam usque ad reditum in Sacrarium?

Dubium VII. Ex Decreto S. R. C. Urbis et Orbis die 5 Iulii 1883 n. I statutum est quod Capitulum de Ordinarii consensu possit in Choro recitare Officia votiva, ibi enumerata, loco Officiorum feria-

lium. Quaeritur utrum quilibet e Capitulo legitime absens a Choro, possit privatim recitare Officium votivum, aut feriale pro lubitu?

Dubium VIII. Hinc Officia votiva mox citata cuiusnam sunt ritus?

Dubium IX. Missae respondentes Officiis votivis iuxta dies, sunt ne calebrandae more votivorum, idest sine *Gloria* (exceptis de Immaculata B. M. V. Conceptione et de Angelis) et sine *Credo* cum *Benedicamus Domino* aut more festivo cum *Gloria, Credo* et *Ite Missa est?*

Dubium X. In recitatione Officiorum votivorum, et Rubrica propria cautum est Lectiones primi Nocturni legendas esse de Scriptura occurrente. Quid agendum in Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum et Vigiliarum, quando deficientibus Lectionibus de Scriptura indicitur tantum Homilia?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris omnibus rite perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Festum, dummodo iuxta immutationem Rubricae generalis Breviarii Romani de Translatione Festorum transferri valeat, reponi omnino debet in primam diem Festo duplici vel semiduplici non impeditam.

Ad II. Servetur Rubrica generalis Breviarii sub titulo X, et decretum in Mediolanen. diei 7 Decembris 1743 ad 3. (1)

Ad III. In die Octava alicuius festi lectiones sive II sive III Nocturni quoties propriae non habeantur a S. Sede adprobatae pro aliqua Ecclesia vel Dioecesi, desumendae sunt ex Octavario Romano et in eius defectu iterum Lectiones dicendae diei festi. Diebus autem infra Octavam, in defectu Lectionum Octavarii Romani, Lectiones II Nocturni pro 2 die erunt de Communi I loco, pro 3 die de eodem Communi II loco, si extent, secus de die festo, atque ita alternatim usque ad diem octavam.

Ad IV. Dies 21 Februari pro Dioecesi Alben. perpetuo adsignanda est Festo S. Cyrilli Alexandrini pro quibusdam vero Paroeciis ipsius

(1) MEDIOLANEN. dubium 3. An in fixatione Festorum attendenda sit anterioritas temporis, et non superioris ritus?

Ad 3. « In fixatione Festorum attendi debet, quod praecipitur a Rubrica 10. Breviarii Romani sub num 7. de translatione Festorum, ut scilicet, prius agatur de duplici, postea de semiduplici, et inter plura duplicia, quod est magis solemne semper prius celebretur, sive ex ritu, sive ex dignitate maioritas ista solemnitatis proveniat; alioquin si sint omnino aequalia unum ante aliud reponatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus: eadem etiam militat ratio in fixatione, quae probaret in translatione. »

Et ita etc. Die 7. Decembris 1743.

Dioeceseos dies 28 eiusdem mensis dummodo Festa quae in iisdem Paroeciis celebrantur diebus 21 et 26 praedicti mensis sint saltem ritus duplicis minoris, ita ut occurrentiae leges adamussim serventur.

Ad V. Legendum « *Ubi futura victima* ».

Ad VI. Huiusmodi agendi morem minime tolerandum, et Ceroferarii in Missa solemni ab altari recedant iuxta Rubricas Missalis et dispositiones Caeremonialis Episcoporum.

Ad VII. Detur Decretum diei 10 Novembis 1883. (1)

Ad VIII. IX. et X. Provisum per Rubricas positas in exemplari a S. R. C. edito, eorumdem officiorum votivorum et respondentium Missarum. Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 12 Februarii 1884.

PALENTINA

Sacrarum Caeremoniarum Magister Dioeceseos Palentinae insequentium Dubiorum declarationem a S. R. Congregatione humillime expostulavit, nimirum:

Dubium I. Semel concesso pro universa Dioecesi privilegio utendi colore caeruleo in omnibus Ecclesiis tam in Festo et per Octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V. quam in cunctis Sabbathis, quibus fit eius Officium votivum, vel quoties dicitur eiusdem Missa votiva, potestne ad libitum adhiberi color albus vel caeruleus?

Dubium II. Ecclesiae Monialium in eadem Dioecesi degentium, sed proprio Kalendario utentium, aequiparandae sunt, quoad praefatum privilegium, ceteris Ecclesiis?

Dubium III. Quoties recitatur Officium Festi simplicis, debetne fieri Commemoratio de Cruce ante suffragia Sanctorum, seu commemorationes communes, tam in Vesperis quam in Laudibus?

Dubium IV. In Cathedrali Ecclesia Palentina inter Commemorationes communes semper fit Commemoratio de S. Maria etiamsi in Feriis Quadragesimae et sacri Adventus recitatum sit officium parvum, quod adversari videtur respondenti Rubricae Breviarii, hoc non obstante servanda est eiusmodi consuetudo?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris hisce Dubiis sedulo perpensis sic rescribendum censuit:

Ad I. Negative, sed utendum colore caeruleo.

Ad II. Praefatas Ecclesias indigere speciali indulto.

Ad III. Negative iuxta Rubricas.

Ad IV. Serventur Rubricae. Atque ita declaravit et rescripsit. Die 12 Februarii 1884.

(1) Decretum hoc iam relatum fuit hoc volumine pag. 315.

NEAPOLITANA.

Ut in Ecclesiasticis functionibus omnia ordinate fiant, rectaque methodus servetur, sacrarum Caeremoniarum Magistri Neapolitanae Ecclesiae, annuente suo Rmo Archiepiscopo, insequentium Dubiorum declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime postularunt, nimirum:

Dubium I. Pontificale Romanum habet sub fine tituli *De benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda,* his expletis (Episcopus) si velit, parat se ad celebrandam Missam in dicto loco de Sancto in cuius nomine Ecclesia fundatur. Quaeritur:

1. Adsunt ne dies, in quibus talis Missa uti prohibita habenda est?

2. Haec Missa sive canatur sive legatur, quo ritu celebranda est, scilicet ut votiva solemnis pro re gravi, exclusa omni commemoratione, an ut votiva privata?

3. Si Episcopus nolit talem Missam celebrare, potestne illam alius Sacerdos celebrare?

Dubium II. Rituale Romano titulo *Ritus benedicendi novam Ecclesiam,* praecipit, ut peracta benedictione, dicatur Missa de tempore vel de Sancto. Quaeritur:

1. De quo Sancto celebranda erit haec Missa, scilicet de Sancto occurrente, an de Sancto in cuius honorem dedicatur Ecclesia?

2. Quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam, quo ritu celebranda est, ut in secundo quaesito Dubii praecedentis?

Dubium III. Peracta consecratione alicuius Ecclesiae vel Altaris in Pontificali Romano praescribitur ut dicatur Missa prout notatur in Missali « in ipsa die dedicationis Ecclesiae vel Altaris ». Quaeritur:

1. In hac Missa, sive agatur de consecratione Ecclesiae sive Altaris debentne fieri illae Commemorationes, quae ne in Duplicibus quidem primae classis omittendae, uti de Dominica, de Feria privilegiata etc.?

2. Licetne celebrare talem Missam in utroque casu exposito, in omnibus diebus anni, nullo excepto?

3. Si aliqui dies excipiuntur in Missa diei, debetne saltem fieri Commemoratio Dedicationis?

Dubium IV. Occurrente aliqua gravi et urgente necessitate, nulla Missa specialis in Missali notatur pro ea, sed adest tantum Collecta ex. gr. ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem etc.; si in his rerum adiunctis Episcopus vellet Missam solemnem *pro re gravi* celebrare, quam Missam dicere deberet? Quod si haec Missa esset illa *pro quacumque necessitate,* oportebitne tollere Collectam ipsius Missae *pro quacumque necessitate,* et substituere Collectam particularis necessitatis, quae urget; an retenta illa, addere et hanc sub unica conclusione?

Dubium V. S. R. C. Die 12 Martii 1678 in Mexicana ad primum decrevit, ut Missae propriae festivitatum B. M. V. non possint celebrari uti votivae. Quaeritur:

1. In hac prohibitione includiturne etiam Missa proxime concessa Immaculatae Conceptionis *Gaudens gaudebo?* Ratio dubitandi vero oritur quod post Graduale praedictae Missae, inveniuntur variationes in ipso Graduali faciendae, prout diversa sunt tempora anni, praemissis verbis « in Missis votivis ».

2. Missae sub variis titulis B. M. V. ex. gr. de Monte Carmelo, SS. Rosarii, Boni Consilii, Auxilii Christianorum, Puritatis etc. comprehendunturne in regula Festivitatum, ita ut numquam dici possint, uti votivae, exceptis diebus Octavae si habent?

3. Item Missa Ss. Cordis Iesu *Miserebitur* potestne celebrari uti votiva?

Dubium VI. In hac nostra civitate Neapolitana non est interdictum deferre cadavera ad Ecclesiam, sed ita fert consuetudo, ut vix aliquis obit, cadaver in propriis aedibus exponatur, et, ut plurimum, horis vespertinis diei insequentis ad Ecclesiam deferatur, ubi adimpletis de ritu adimplendis, ipsis horis vespertinis ad coemeterium extra moenia situm transfertur. Unde fit ut raro comprobetur, quod Rubrica Ritualis Romani optat et insinuat, ut nempe cadaver non tradatur sepulchro, quin prius aliqua Missa dicatur praesente corpore defuncti. Posita igitur tali consuetudine, quae difficillime eradicari potest, quaeritur:

1. Licet ne in horis matutinis in quibus cadaver in propriis aedibus remanet expositum, celebrare Missam cantatam in aliqua Ecclesia quaecumque sit, in iis diebus determinatis in Decreto unius Florentinae sub die 23 Aprilis 1781 scilicet etiam in diebus festivis de praecepto, et in Duplicibus secundae classis?

2. Quatenus affirmative, in diebus quibus talis Missa prohibetur, comprehenduntur ne etiam illi qui excludunt Duplicia primae classis secundum regulam quam statuit Aloysius Gardellini in Decreto diei 20 Aprilis 1832 in Derthonen. ad 3 et in Instruct. Clement. §. XII n. 8 et 11?

Dubium VII. S. Rit. Congregatio Decreto diei Martii 1862 in una Palmae in Baleari ad secundum decrevit: Quod ad celebrandam Missam de Requie in duplici non impedito diebus 3, 7, et 30 non requiritur quod defunctus sic ordinaverit in suo testamento, sed sufficit voluntas consanguineorum, amicorum, vel testamenti executorum quaeritur:

1. Sub verbis Duplici non impedito, comprehenditur ne etiam festum Duplicis maioris?

2. Quatenus affirmative, licetne

hanc decisionem retinere etiam pro funeribus anniversariis ad petitionem vivorum non relictis a testatoribus?

Dubium VIII. Pluries S. R. C. decrevit, ut infra Octavas privilegiatas celebrari non liceat anniversaria pro defunctis. Hinc quaeritur: Praeter Octavas Epiphaniae, Paschalis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi, debetne considerari uti privilegiata etiam Octava Nativitatis Domini, ita ut et haec quoque anniversaria funus excludat? Dubium oritur ex eo quod Scriptores rerum liturgicarum de hac re alii aliter sentiant.

Dubium IX. Decreto S. R. C. diei 3 Decembris 1701 in una Bergomen. ad tertium statutum fuit, ut anniversaria pro Defunctis quae in Octavas privilegiatas incidunt, cum post praedictas Octavas transferri debeant, privilegium amittunt ut celebrari possint in duplici maiori. Quaeritur:

1. Cum haec anniversaria celebrari non possint in duplici maiori poteruntne celebrari saltem in duplici minori?

2. Quatenus affirmative ad primam partem, valetne id etiam pro iis anniversariis, quae cum in Hebdomadam maiorem inciderint, post octavam Paschatis celebranda sunt?

Dubium X. In determinando die 3, 7 et 30 cum possit talis dies computari vel a die mortis vel a die depositionis, quaeritur: dies mortis vel depositionis, debetne includi vel excludi? ex. gr. si depositio fiat die prima mensis, et cum velit determinari dies tertia a die depositionis, erit dies tertius an quartus eius mensis?

Dubium XI. Avulsis ob humiditatem lapidibus, qui tegebant Reliquias quorumdam altarium, et nova calce firmati, dubitabatur utrum praedicta altaria indigerent nova consecratione. Exposito dubio S. R. Congregationi sub die 25 Septembris 1875 Ordin. Cistercien. responsum fuit: Si sepulchrum apertum non fuerit, sed tantummodo de novo coemento firmatum, negative; secus affirmative. Nunc quaeritur: Haec decisio potestne etiam retineri cum tota mensa altaris consecrati ad modum fixi e suis stipitibus sublevata, non omnino dimota, novo coemento ipsis stipitibus firmatur et coniungitur?

Dubium XII. Pontificale Rom. et Caeremoniale Episcoporum inter dies in quibus reverendissimus Archiepiscopus uti potest *Pallio* adnumerat etiam « Principales festivitates Ecclesiae suae ». Quaeritur:

1. Comprehenditur ne inter principales festivitates Ecclesiae suae etiam centenarius festus alicuius Sancti, solemnis Incoronatio alicuius Imaginis B. M. V. vel aliae similes festivitates extraordinaria pompa celebratae, sive in Ecclesia Metropolitana, sive in Ecclesiis suae Archidioeceseos?

2. Si Rmus Archiepscopus per specialem gratiam debeat benedictionem Papalem impertiri in aliqua die, in qua uti nequit Pallio in Missa, debetne, peracta Missa, Pallium induere hac una de causa ut praedictam benedictionem impertiatur?

DUBIA ADDITIONALIA

Dubium XIII. Potestne Archiepiscopus his diebus, quibus ei permittitur usus Pallii, absoluta Missa Pontificali dimittere Pallium cum ceteris indumentis Pontificalibus sumere Pluviale, et sic indutus impertire Benedictionem papalem?

Dubium XIV. Absoluto chorali officio, etiam hora Nona recitata, potestne iterum cantari hora Tertia, quando Archiepiscopus assumit paramenta Pontificalia ad celebrandum?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione infrascripti Secretarii, nec non sententia Rmi Assessoris Sacrae ipsius Congregationis, hisce Dubiis maturo examine perpensis rescribere rata est:

Ad I. Quoad primum affirmative, scilicet dies infra annum solemniores; quoad secundum affirmative ad primam partem, negative ad secundam; quod tertiam affirmative.

Ad II. Quoad primum negative ad primam partem, affirmative ad secundam; quoad secundum ut in prima die ad 2.

Ad III. Quoad primum negative; quoad secundum negative iuxta Rubricas et Decreta: quoad tertium affirmative sub unica conclusione.

Ad IV. Quoad primum in casu dicenda foret Missa *Pro quacumque necessitate;* quoad secundum negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad V. Quoad primum negative, quoad secundum affirmative; quoad tertium affirmative iuxta Decreta in Mechlinien. die 1 Septembris 1838 ad 3 (1), et Cameracen. die 11 Septembris 1805 ad 5.

(1) MECHLINIEN. Praxis III. Per Decretum datum pro Dioecesi Mechliniensi die 23 Augusti 1809, concessa est facultas celebrandi Festum Sacratissimi Cordis Iesu Dominica immediate sequenti Octavam Solemnitatis SS. Corporis Christi cum Officio proprio ac Missa die 11 Maii 1765 pro Regno Poloniae et pro Archiconfraternitate in Urbe erecta approbatis. Quum autem in illa Missa, cuius Introitus est *Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum*, *Thren.* 3. non assignetur Tractus pro Missis votivis post Septuagesimam, nec *Alleluia* cum ℣. pro tempore paschali; hinc dubitatum est quid in casu occurrente sit faciendum, quum alii ad Missam Votivam de Sanctissimo Sacramento, alii ad Votivam de Passione Domini recurrant?

Sacra autem Rituum Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata Ordinariis in Comitiis, audita relatione per me infrascriptum Secretarium facta, omnibus mature perpensis, riteque libratis rescribendum censuit.

Quoad 3. « Praxim Tractum et Graduale post Septuagesimam et *Alleluia* cum ℣. tempore paschali desumi posse ex altera Missa iam approbata. »

Die 1. Septembris 1838.

Ad VI. Dilata.

Ad VII. Quoad primum affirmative; quoad secundum provisum in praecedenti:

Ad VIII. Affirmative.

Ad IX. Quoad primum affirmative; quoad secundum, provisum in praecedenti.

Ad X. Utrumque servari posse iuxta Ecclesiae consuetudinem.

Ad XI. Negative.

Ad XII. Quoad primum servetur Caeremoniale Episcoporum; quoad secundum negative.

AD DUBIA ADDITIONALIA

Ad XIII. Negative, et hic usus servatus in Ecclesia Metropolitana est eliminandus, quia Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda dari debet, absoluta Missa Pontificali a Celebrante, induto iisdem paramentis, reassumptis etiam chirothecis, et Pallio ornato, quippe actionem exercet plenitudinis Pontificalis dignitatis.

Ad XIV. Negative. Et quatenus Canonicis non placeat recitare Sextam et Nonam, post Missam Pontificalem, Beneficiarii Ecclesiae Metropolitanae recitent privatim easdem duas Horas in Ecclesia Sanctae Restitutae.

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit. Die 23 Februarii 1884.

LITTERAE Encyclicae Sanctissimi D. N. Leonis Papae XIII de praecipuis civium christianorum officiis.

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Sapientiae christianae revocari praecepta, eisque vitam, mores, instituta populorum penitus conformari, quotidie magis apparet oportere. Illis enim posthabitis, tanta vis est malorum consecuta, ut nemo sapiens nec ferre sine ancipiti cura praesentia queat, nec in posterum sine metu prospicere. — Facta quidem non mediocris est ad ea bona, quae sunt corporis et externa, progressio: sed omnis natura, quae hominis percellit sensus, opumque et virium et copiarum possessio, si commoditates gignere suavitatesque augere vivendi potest, natum ad maiora ac magnificentiora animum explere non potest. Deum spectare, atque ad ipsum contendere, suprema lex est vitae hominum: qui ad imaginem conditi similitudinemque divinam, naturâ ipsâ ad auctorem suum potiundum vehementer incitantur. Atqui non motu aliquo cursuque corporis tenditur ad Deum, sed iis quae sunt animi, cognitione atque affectu. Est enim Deus prima ac suprema veritas, nec nisi mens veritate alitur: est idem perfecta sanctitas summumque bonorum, quo sola voluntas aspirare et accedere, duce virtute, potest.

Quod autem de singulis hominibus, idem de societate tum domestica tum etiam civili intelligendum. Non enim ob hanc caussam genuit natura societatem ut ipsam homo sequeretur tamquam finem, sed ut in ea et per eam adiumenta ad perfectionem sui apta reperiret. Si qua igitur civitas nihil praeter commoditates externas vitaeque cultum cum elegantia et copia persequatur, si Deum in administranda republica negligere, nec leges curare morales consueverit, deterrime aberrat ab instituto suo et praescriptione naturae, neque tam est ea societas hominum et communitas putanda, quam fallax imitatio simulatioque societatis. — Iamvero ea, quae diximus, animi bona, quae in verae religionis cultu constantique praeceptorum christianorum custodia maxime reperiuntur, quotidie obscurari hominum oblivione aut fastidio cernimus, ita fere ut, quanto sunt earum rerum

incrementa maiora, quae corpus attingunt, tanto earum, quae animum, maior videatur occasus. Imminutae plurimumque debilitatae fidei christianae magna significatio est in iis ipsis iniuriis, quae catholico nomini in luce atque in oculis hominum nimis saepe inferuntur: quas quidem cultrix religionis aetas nullo pacto tulisset. — His de caussis incredibile dictu est, quanta hominum multitudo in aeternae salutis discrimine versetur: sed civitates ipsae atque imperia diu incolumia esse non possunt, quia labentibus institutis moribusque christianis, maxima societatis humanae fundamenta ruere necesse est. Tranquillitati publicae atque ordini tuendo sola vis relinquitur: vis autem valde est infirma, praesidio religionis detracto: eademque servituti pariendae quam obedientiae aptior, gerit in se ipsa magnarum perturbationum inclusa semina. Graves memoratu casus saeculum tulit: nec satis liquet num non sint pertimescendi pares. — Itaque tempus ipsum monet remedia, unde oportet, quaerere: videlicet christianam sentiendi agendique rationem in vita privata, in omnibus reipublicae partibus, restituere: quod est unum ad pellenda mala, quae premunt, ad prohibenda pericula, quae impendent, aptissimum. In id nos, Venerabiles Fratres, incumbere opus est, id maxima qua possumus contentione industriaque conari: eiusque rei caussà, quamquam aliis locis, ut sese dedit opportunitas, similia tradidimus, utile tamen arbitramur esse in his Litteris magis enucleate officia describere catholicorum: quae officia, si accurate serventur, mirabiliter ad rerum communium salutem valent. Incidimus in vehementem eamque prope quotidianam de rebus maximis dimicationem: in qua difficillimum est non decipi aliquando, non errare, non animo multos succumbere. Nostrum est, Venerabiles Fratres, admonere quemque, docere, adhortari convenienter tempori, ut *viam veritatis nemo deserat.*

Esse in usu vitae plura ac maiora catholicorum officia, quam eorum qui sint fidei catholicae aut perperam compotes, aut omnino expertes, dubitari non potest. Cum, parta iam hominum generi salute, Iesus Christus praedicare Evangelium Apostolos iussit omni creaturae, hoc pariter officium hominibus universis imposuit, ut perdiscerent et crederent, quae docerentur: cui quidem officio sempiternae salutis omnino est adeptio coniuncta. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non*

crediderit, condemnabitur (1). Sed christianam fidem homo, ut debet, complexus, hoc ipso Ecclesiae ut ex ea natus subiicitur, eiusque fit societatis maximae sanctissimaeque particeps, quam summa cum potestate regere, sub invisibili capite Christo Iesu, romani Pontificis proprium est munus. — Nunc vero si civitatem, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique iubemur lege naturae usque eo, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet, officium est christianorum longe maius simili modo esse in Ecclesiam semper affectos. Est enim Ecclesia civitas sancta Dei viventis, Deo ipso nata, eodemque auctore constituta : quae peregrinatur quidem in terris, sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in caelis felicitatem. Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accepimus : sed necesse est caritate Ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram : quia bona animi corporis bonis rectum est anteponere, multoque, quam erga homines, sunt erga Deum officia sanctiora. — Ceterum, vere si iudicare volumus, supernaturalis amor Ecclesiae patriaeque caritas naturalis, geminae sunt ab eodem sempiterno principio profectae caritates, cum ipse sit utriusque auctor et caussa Deus : ex quo consequitur, non posse alterum officium pugnare cum altero. Utique utrumque possumus et debemus, diligere nosmetipsos, benevolentes esse cum proximis, amare rempublicam potestatemque quae reipublicae praesit : eodemque tempore Ecclesiam colere uti parentem, et maxima, qua fieri potest, caritate complecti Deum. — Nihilominus horum officiorum ordo, vel calamitate temporum vel iniquiore hominum voluntate, aliquando pervertitur. Nimirum incidunt caussae, cum aliud videtur a civibus respublica, aliud a christianis religio postulare : idque non alia sine de caussa, quam quod rectores reipublicae sacram Ecclesiae potestatem aut nihil pensi habent, aut sibi volunt esse subiectam. Hinc et certamen existit, et periclitandae virtuti in certamine locus. Urget enim potestas duplex : quibus contraria iubentibus obtemperari simul utrisque non potest : *Nemo potest duobus dominis servire,* (2) ita ut omnino, si mos geritur alteri, alterum posthaberi necesse sit. Uter vero sit anteponendus, dubitare nemo debet.

(1) Marc. XVI. 16.
(2) Matth. VI, 24.

— Videlicet scelus est ab obsequio Dei, satisfaciendi hominibus caussà, discedere : nefas Iesu Christi leges, ut pareatur magistratibus, perrumpere, aut, per speciem civilis conservandi iuris, iura Ecclesiae migrare. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (1). Quodque olim magistratibus non honesta imperantibus Petrus ceterique Apostoli respondere consueverunt, idem semper est in caussa simili sine haesitatione respondendum. Nemo civis pace bellove melior, quam christianus sui memor officii : sed perpeti omnia potius, et ipsam malle mortem debet, quam Dei Ecclesiaeve caussam deserere. — Quapropter non habent vim naturamque legum probe perspectam, qui istam in delectu officii constantiam reprehendunt, et ad seditionem aiunt pertinere. Vulgo cognita et a Nobis ipsis aliquoties explicata loquimur. Non est lex, nisi iussio rectae rationis a potestate legitima in bonum commune perlata. Sed vera ac legitima potestas nulla est, nisi a Deo summo principe dominoque omnium proficiscatur, qui mandare homini in homines imperium solus ipse potest : neque est recta ratio putanda, quae cum veritate dissentiat et ratione divina : neque verum bonum, quod summo atque incommutabili bono repugnet, vel a caritate Dei torqueat hominum atque abducat voluntates.— Sanctum igitur christianis est publicae potestatis nomen, in qua divinae maiestatis speciem et imaginem quamdam tum etiam agnoscunt, cum geritur ab indigno : iusta et debita legum verecundia, non propter vim et minas, sed propter conscientiam officii : *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris* (2). Verum si reipublicae leges aperte discrepent cum iure divino, si quam Ecclesiae imponant iniuriam, aut iis, quae sunt de religione, officiis contradicant, vel auctoritatem Iesu Christi in pontifice maximo violent, tum vero resistere officium est, parere scelus : idque cum ipsius reipublicae iniuria coniunctum, quia peccatur in rempublicam quidquid in religione delinquitur. — Rursus autem apparet quam sit illa seditionis iniusta criminatio : non enim abiicitur principi legumque latoribus obedientia debita : sed ab eorum voluntate in iis dumtaxat praeceptis disceditur, quorum ferendorum nulla potestas est, quia cum Dei iniuria feruntur, ideoque vacant iustitia, et quidvis potius sunt quam leges. — Nostis, Venerabiles Fratres, hanc esse ipsissimam beati Pauli Apostoli doctrinam : qui

(1) Act. v, 29.
(2) II Timoth. I, 7.

cum scripsisset ad Titum, monendos christianos *principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire,* illud statim adiungit, *ad omne opus bonum paratos esse* (1): quo palam fieret, si leges hominum contra sempiternam legem Dei quicquam statuant, rectum esse non parere. Similique ratione princeps Apostolorum iis, qui libertatem praedicandi Evangelii sibi vellent eripere, forti atque excelso animo respondebat, *si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate: non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui* (2).

Ambas itaque patrias unumquemque diligere, alteram naturae, alteram civitatis caelestis, ita tamen ut huius, quam illius habeatur caritas antiquior, nec unquam Dei iuribus iura humana anteponantur, maximum est christianorum officium, itemque velut fons quidam, unde alia officia nascuntur. Sane liberator generis humani de se ipse *Ego,* inquit, *in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (3). Similiter, *ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* (4) In huius cognitione veritatis, quae mentis est summa perfectio, in caritate divina, quae perficit pari modo voluntatem, omnis christianorum est vita ac libertas posita. Quarum rerum, veritatis scilicet et caritatis, nobilissimum patrimonium, sibi a Iesu Christo commendatum, perpetuo studio vigilantiaque conservat ac tuetur Ecclesia.

Sed quam acre adversus Ecclesiam bellum deflagraverit quamque multiplex, vix attinet hoc loco dicere. Quod enim rationi contigit complures res occultas et a natura involutas scientiae pervestigatione reperire, easque in vitae usus apte convertere, tantos sibi spiritus sumpsere homines, ut iam se putent numen posse imperiumque divinum e communi vita depellere. — Quo errore decepti, transferunt in naturam humanam ereptum Deo principatum: a natura petendum omnis veri principium et normam praedicant: ab ea manare, ad eamque esse cuncta religionis officia referenda. Quocirca nihil esse divinitus traditum: non disciplinae morum christianae, non Ecclesiae parendum: nullam huic esse legum ferendarum potestatem, nulla iura; imo nec ullum Ecclesiae dari in reipublicae institutis

(1) Tit. III, 1.
(2) Act. IV, 19, 20.
(3) Io. XVIII, 37.
(4) Luc. XII, 49.

locum oportere. Expetunt vero atque omni ope contendunt capessere res publicas et ad gubernacula sedere civitatum, quo sibi facilius liceat ad has doctrinas dirigere leges moresque fingere populorum. Ita passim catholicum nomen vel aperte petitur, vel occulte oppugnatur : magnàque cuilibet errorum perversitati permissà licentià, multis saepe vinculis publica veritatis christianae professio constringitur.

His igitur tam iniquis rebus, primum omnium respicere se quisque debet, vehementerque curare, ut alte comprehensam animo fidem intenta custodia tueatur, cavendo pericula, nominatimque contra varias sophismatum fallacias semper armatus. Ad cuius incolumitatem virtutis illud etiam perutile, et magnopere consentaneum temporibus iudicamus, studium diligens, ut est facultas et captus singulorum, in christiana doctrina ponere, earumque rerum, quae religionem continent, quasque assequi ratione licet, maiore qua potest notitia mentem imbuere. Cumque fidem non modo vigere in animis incorruptam, sed assiduis etiam incrementis oporteat augescere, iteranda persaepe ad Deum est supplex atque humilis Apostolorum flagitatio, *adauge nobis fidem* (1).

Verum in hoc eodem genere, quod fidem christianam attingit, alia sunt officia, quae observari accurate religioseque si salutis semper interfuit, hac tempestate nostra interest maxime. — Nimirum in hac, quam diximus, tanta ac tam late fusa opinionum insania, profecto patrocinium suscipere veritatis, erroresque ex animis evellere, Ecclesiae munus est, idque omni tempore sancteque servandum, quia honor Dei, ac salus hominum in eius sunt tutela. At vero, cum necessitas cogit, incolumitatem fidei tueri non ii solum debent qui praesunt, sed *quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem* (2). Cedere hosti, vel vocem premere, cum tantus undique opprimendae veritati tollitur clamor, aut inertis hominis est, aut de iis, quae profitetur, utrum vera sint, dubitantis. Utrumque turpe, atque iniuriosum Deo : utrumque cum singulorum tum communi saluti repugnans : solis fidei inimicis fructuosum, quia valde auget remissior proborum opera audaciam improborum. — Eoque magis christianorum vituperanda se-

(1) Luc. XVIII, 5.

(2) S. Thom. II-II Quaest. III, art. II, ad 2.

gnities, quia falsa crimina dilui, opinionesque pravae confutari levi negotio, ut plurimum, possunt: maiore aliquo cum labore semper possunt. Ad extremum, nemo unus prohibetur eam adhibere ac prae se ferre fortitudinem, quae propria est christianorum: qua ipsa non raro animi adversariorum et consilia franguntur. Sunt praeterea christiani ad dimicationem nati: cuius quo maior est vis, eo certior, Deo opitulante, victoria. *Confidite: ego vici mundum* (1). Neque est quod opponat quisquam, Ecclesiae conservatorem ac vindicem Iesum Christum nequaquam opera hominum indigere. Non enim inopia virium, sed magnitudine bonitatis vult ille ut aliquid a nobis conferatur operae ad salutis, quam ipse peperit, obtinendos adipiscendosque fructus.

Huiusce partes officii primae sunt, catholicam doctrinam profiteri aperte et constanter, eamque, quoad quisque potest, propagare. Nam, quod saepius est verissimeque dictum, christianae quidem sapientiae nihil tam obest, quam non esse cognitam. Valet enim per se ipsa ad depellendos errores probe percepta: quam si mens arripuerit simplex praeiudicatisque non adstricta opinionibus, assentiendum esse ratio pronuntiat. Nunc vero fidei virtus grande munus est gratiae bonitatisque divinae: res tamen ipsae quibus adhibenda fides, non alio fere modo quam audiendo noscuntur, *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?.... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (2). Quoniam igitur fides est ad salutem necessaria, omnino praedicari verbum Christi consequitur oportere. Profecto praedicandi, hoc est docendi, munus iure divino penes magistros est, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (3), maximeque penes Pontificem romanum, Iesu Christi vicarium, Ecclesiae universae summa cum potestate praepositum, credendorum, agendorum magistrum. Nihilominus nemo putet, industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi, eos nominatim, quibus ingenii facultatem Deus cum studio bene merendi dedit: qui, quoties res exigat, commode possunt non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea, quae ipsi acceperint, impertire ceteris, magistrorum voci resonantes tamquam imago.

(1) Io. XVI, 33.
(2) Rom. X, 14, 17.
(3) Act. XX, 28.

Quin imo privatorum opera visa est Patribus Concilii Vaticani usque adeo opportuna ac frugifera, ut prorsus deposcendam iudicarint. *Omnes christifideles, maxime vere eos, qui praesunt, vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant* (1). — Ceterum serere fidem catholicam auctoritate exempli, professionisque constantia praedicare, quisque se posse ac debere meminerit. — In officiis igitur quae nos iungunt Deo atque Ecclesiae, hoc est numerandum maxime, ut in veritate christiana propaganda propulsandisque erroribus elaboret singulorum, quoad potest, industria.

Quibus tamen officiis non ita, ut oportet, cumulate et utiliter satisfacturi sunt, si alii seorsum ab aliis in certamen descenderint. — Futurum sane Iesus Christus significavit, ut quam ipse offensionem hominum invidiamque prior excepit, in eamdem pari modo opus a se institutum incurreret; ita plane ut ad salutem pervenire, ipsius beneficio partam, multi reapse prohiberentur. Quare voluit non alumnos dumtaxat instituere disciplinae suae, sed hos ipsos societate coniungere, et in unum corpus, *quod est Ecclesia* (2), cuius esset ipse caput, apte coagmentare. Permeat itaque vita Christi Iesu per totam compagem corporis, alit ac sustentat singula membra, eaque copulata tenet inter se et ad eumdem composita finem, quamvis non eadem sit actio singulorum (3). His de caussis non modo perfecta societas Ecclesia est, et alia qualibet societate longe praestantior, sed hoc ei est inditum ab Auctore suo ut debeat pro salute generis humani contendere *ut castrorum acies ordinata* (4). Ista rei christianae compositio conformatioque mutari nullo modo potest: nec magis vivere arbitratu suo cuipiam licet, aut eam, quae sibi libeat, decertandi rationem consectari: propterea quod dissipat, non colligit, qui cum Ecclesia et Iesu Christo non colligit,

(1) Const. *Dei Filius*, sub fin.

(2) Coloss. I, 24.

(3) *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. XII, 4, 5.

(4) Cantic. VI, 9.

verissimeque contra Deum contendunt, quicumque non cum ipso Ecclesiaque contendunt (1).

Ad hanc vero coniunctionem animorum similitudinemque agendi, inimicis catholici nominis non sine caussa formidolosam, primum omnium concordia est necessaria sententiarum: ad quam ipsam videmus Paulum Apostolorum Corinthios cohortantem vehementi studio et singulari gravitate verborum: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (2). — Cuius praecepti facile sapientia perspicitur. Est enim principium agendi mens: ideoque nec congruere voluntates, nec similes esse actiones queunt, si mentes diversa opinentur. Qui solam rationem sequuntur ducem, vix in eis aut ne vix quidem una esse doctrina potest: est enim ars rerum cognoscendarum perdifficilis: mens vero et infirma est naturâ, et varietate distrahitur opinionum, et impulsione rerum oblata extrinsecus non raro fallitur; accedunt cupiditates, quae veri videndi nimium saepe tollunt aut certe minuunt facultatem. Hac de caussa in moderandis civitatibus saepe datur opera ut coniuncti teneantur vi, quorum animi discordant. — Longe aliter christiani: quid credere oporteat, ab Ecclesia accipiunt, cuius auctoritate ductuque se certo sciunt verum attingere. Propterea sicut una est Ecclesia, quia unus Iesus Christus, ita cunctorum toto orbe christianorum una est atque esse debet doctrina. *Unus Dominus, una fides* (3). *Habentes autem eumdem spiritum fidei* (4), salutare principium obtinent, unde eadem in omnibus voluntas eademque in agendo ratio sponte gignuntur.

Sed, quod Paulus Apostolus iubet, unanimitatem oportet esse perfectam. — Cum christiana fides non humanae, sed divinae rationis auctoritate nitatur, quae enim a Deo accepimus, *vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest* (5), conse-

(1) *Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit.* Luc. XI, 23.

(2) I Corinth. I, 10.

(3) Ephes. IV, 5.

(4) II Corinth. IV, 13.

(5) Conc. Vat. Const. *Dei Filius*, cap. 3.

quens est ut, quascumque res constet esse a Deo traditas, omnino excipere singulas pari similique assensu necesse sit : quarum rerum abnuere fidem uni huc ferme recidit, repudiare universas. Evertunt enim ipsum fundamentum fidei, qui aut elocutum hominibus Deum negent, aut de infinita eius veritate sapientiave dubitent. — Statuere vero quae sint doctrinae divinitus traditae, Ecclesiae docentis est, cui custodiam interpretationemque Deus eloquiorum suorum commisit. Summus autem est magister in Ecclesia Pontifex romanus. Concordia igitur animorum sicut perfectum in una fide consensum requirit, ita voluntates postulat Ecclesiae romanoque Pontifici perfecte subiectas atque obtemperantes, ut Deo. — Perfecta autem esse obedientia debet, quia ab ipsa fide praecipitur, et habet hoc commune cum fide, ut dividua esse non possit : imo vero si absoluta non fuerit et numeros omnes habens, obedientiae quidem simulacrum relinquitur, natura tollitur. Cuiusmodi perfectioni tantum christiana consuetudo tribuit, ut illa tamquam nota internoscendi catholicos et habita semper sit et habeatur. Mire explicatur hic locus a Thoma Aquinate iis verbis : *Formale..... obiectum fidei est veritas prima secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, et doctrina Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima. Unde quicumque non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei : sed ea, quae sunt fidei, alio modo tenet quam per fidem..... Manifestum est autem, quod ille, qui inhaeret doctrinis Ecclesiae tamquam infallibili regulae, omnibus assentit, quae Ecclesia docet : alioquin si de his, quae Ecclesia docet, quae vult, tenet, et quae non vult, non tenet, non iam inhaeret Ecclesiae doctrinae sicut infallibili regulae, sed propriae voluntati* (1). *Una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud* (I. Corinth. I): *Idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata : quod servari non posset nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam* (2).

(1) II-II. Quaest. v, art. III.
(2) Ib. Quaest. I, art. X.

In constituendis obedientiae finibus, nemo arbitretur, sacrorum Pastorum maximeque romani Pontificis auctoritati parendum in eo dumtaxat esse, quod ad dogmata pertinet, quorum repudiatio pertinax diiungi ab haereseos flagitio non potest. Quin etiam neque satis est sincere et firmiter assentiri doctrinis, quae ab Ecclesia, etsi solemni non definitae iudicio, ordinario tamen et universali magisterio tamquam divinitus revelatae credendae proponuntur: quas *fide catholica et divina* credendas Concilium Vaticanum decrevit. Sed hoc est praeterea in officiis christianorum ponendum, ut potestate ductuque Episcoporum imprimisque Sedis Apostolicae regi se gubernarique patiantur. Quod quidem quam sit consentaneum, perfacile apparet. Nam quae divinis oraculis continentur, ea Deum partim attingunt, partim ipsum hominem itemque res ad sempiternam hominis salutem necessarias. Iamvero de utroque genere, nimirum et quid credere oporteat et quid agere, ab Ecclesia iure divino praecipitur, uti diximus, atque in Ecclesia a Pontifice maximo. Quamobrem iudicare posse Pontifex pro auctoritate debet quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae concordent, quae discrepent: eademque ratione ostendere quae honesta sint, quae turpia: quid agere, quid fugere, salutis adipiscendae caussa, necesse sit: aliter enim nec eloquiorum Dei certus interpres, nec dux ad vivendum tutus ille esse homini posset.

Altius praeterea intrandum in Ecclesiae naturam: quippe quae non est christianorum, ut fors tulit, nexa communio, sed excellenti temperatione divinitus constituta societas, quae illuc recta proximeque spectat, ut pacem animis ac sanctitatem afferat: cumque res ad id necessarias divino munere sola possideat, certas habet leges, certa officia, atque in populis christianis moderandis rationem viamque sequitur naturae suae consentaneam. — Sed istiusmodi regiminis difficilis est et cum frequenti offensione cursus. Gentes enim Ecclesia regit per cunctos terrarum tractus disseminatas, genere differentes moribusque, quas, cum in sua quaeque republica suis legibus vivant, civili simul ac sacrae potestati officium est subesse. Quae officia in eisdem personis coniuncta reperiuntur, non vero pugnantia, uti diximus, neque confusa, quia alterum genus ad prosperitatem pertinet civitatis, alterum ad commune Ecclesiae bonum, utrumque pariendae hominum perfectioni natum.

Qua posita iurium et officiorum terminatione, omnino liquet esse liberos ad res suas gerendas rectores civitatum : idque non modo non invità, sed plane adiuvante Ecclesia : quae quoniam maxime praecipit ut colatur pietas, quae est iustitia adversus Deum, hoc ipso ad iustitiam vocat erga principes. Verum longe nobiliore instituto potestas sacra eo spectat, ut regat hominum animos tuendo *regnum Dei et iustitiam eius* (1), atque in hoc tota versatur. Dubitari vero salva fide non potest, istiusmodi regimen animorum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in eo sit politicae potestati loci : non enim Caesari, sed Petro claves regni caelorum Iesus Christus commendavit. — Cum hac de rebus politicis deque religiosis doctrinâ quaedam alia coniunguntur non exigui momenti, de quibus silere hoc loco nolumus.

Ab omni politico genere imperii distat christiana respublica plurimum. Quod si similitudinem habet conformationemque regni, profecto originem, caussam, naturam mortalibus regnis habet longe disparem. — Ius est igitur, vivere Ecclesiam tuerique se consentaneis naturae suae institutis ac legibus. Eademque cum non modo societas perfecta sit, sed etiam humana quavis societate superior, sectari partium studia et mutabilibus rerum civilium flexibus servire iure officioque suo valde recusat. Similique ratione custos iuris sui, observantissima alieni, non ad se putat Ecclesia pertinere, quae maxime forma civitatis placeat, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur : ex variisque reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit. — Ad hoc exemplum cogitationes actionesque dirigi singulorum christianorum oportet. Non dubium est, quin quaedam sit in genere politico honesta contentio, cum scilicet incolumi veritate iustitiaque certatur, ut opiniones re usuque valeant, quae ad commune bonum prae ceteris conducibiles videantur. Sed Ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adiutricem velle ad eos, quibuscum contenditur, superandos, hominum est religione intemperanter abutentium. Ex adverso sancta atque inviolata apud omnes debet esse religio : imo in ipsa disciplina civitatum, quae a legibus morum officiisque religionis separari non potest, hoc est potissimum perpetuoque spectandum, quid maxime expediat christiano nomini : quod ipsum sicubi in periculo esse adversariorum operâ vi-

(1) Matth. VI, 33.

deatur, cessandum ab omni dissidio, et concordibus animis et consiliis propugnatio ac defensio suscipienda religionis, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia referenda. — Idque opus esse ducimus aliquanto exponere accuratius.

Profecto et Ecclesia et civitas suum habet utraque principatum: proptereaque in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cuiusque caussa constitutos. Ex quo tamen nulla ratione disiunctas esse sequitur, multoque minus pugnantes. — Sane non tantum nobis ut essemus natura dedit, sed ut morati essemus. Quare a tranquillitate ordinis publici, quam proxime habet civilis coniunctio propositam, hoc petit homo, ut bene sibi esse liceat, ac multo magis ut satis praesidii ad perficiendos mores suppeditet: quae perfectio nusquam nisi in cognitione consistit atque exercitatione virtutis. Simul vero vult, id quod debet, adiumenta in Ecclesia reperire, quorum ope pietatis perfectae perfecto fungatur munere: quod in cognitione usuque positum est verae religionis, quae princeps est virtutum, propterea quod, revocando ad Deum, explet et cumulat universas. — In institutis igitur legibusque sanciendis spectanda hominis indoles est moralis eadem ac religiosa, eiusdemque curanda perfectio, sed recte atque ordine: nec imperandum vetandumve quidquam nisi ratione habita quid civili hominum societati sit, quid religiosae propositum. Hac ipsa de caussa non potest Ecclesiae non interesse quales in civitatibus valeant leges, non quatenus ad rempublicam pertinent, sed quia fines debitos aliquando praetergressae in ius Ecclesiae invadunt. Quin imo resistere, si quando officiat religioni disciplina reipublicae, studioseque conari, ut in leges et instituta populorum virtus pervadat Evangelii, munus est Ecclesiae assignatum a Deo. Quoniamque fortuna reipublicae potissimum ex eorum pendet ingenio qui populo praesunt, idcirco Ecclesia patrocinium iis hominibus gratiamve praebere non potest, a quibus oppugnari sese intelligat, qui iura ipsius vereri aperte recusent, qui rem sacram remque civilem natura consociatas divellere contendant. Contra fautrix, uti debet, eorum est qui, cum de civili deque christiana republica quod sentire rectum est, ipsi sentiant, ambas in communi bono concordes elaborare volunt. — His praeceptis norma continetur, quam in publica actione vitae catholicum quemque necesse est sequi. Nimirum, ubicumque in negotiis publicis versari per Ecclesiam licet, favendum viris est

spectatae probitatis, eisdemque de christiano nomine merituris: neque caussa esse ulla potest cur male erga religionem animatos liceat anteponere.

Ex quo apparet quam sit magnum officium tueri consensum animorum, praesertim cum per hoc tempus tanta consiliorum calliditate christianum oppugnetur nomen. Quotquot diligenter studuerint Ecclesiae adhaerescere, quae est *columna et firmamentum veritatis,* (1) facile cavebunt magistros *mendaces... libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis,* (2): quin imo ipsius Ecclesiae virtutis participes futuri, insidias sapientia vincent, vim fortitudine. — Non est huius loci exquirere, num quid, et quantum ad novas res contulerit opera segnior atque intestina discordia catholicorum: sed certe erant homines nequam minus habituri audaciae, nec tantas edituri ruinas, si robustior in plurimorum animis viguisset fides, quae per *caritatem operatur* (3), neque tam late morum christianorum tradita nobis divinitus disciplina concidisset. Utinam praeteritae res hoc pariant, recordando, commodi, rectius sapere in posterum.

Verum ad negotia publica accessuris duo sunt magnopere vitia fugienda, quorum alterum prudentiae nomen usurpat, alterum in temeritate versatur. Quidam enim potenti pollentique improbitati aperte resistere negant oportere, ne forte hostiles animos certamen exasperet. Isti quidem pro Ecclesia stent, an contra, incertum: quandoquidem profiteri se doctrinam catholicam affirmant, sed tamen vellent, certas ab eâ discrepantes opiniones impune propagari posse Ecclesia sineret. Ferunt dolenter interitum fidei demutationemque morum: nihil tamen de remedio laborant, vel etiam nimiâ indulgentiâ aut perniciosa quadam simulatione non raro malum augent. Iidem de sua in apostolicam Sedem voluntate nemini volunt esse dubium: sed habent semper aliquid, quod pontifici succenseant. Istiusmodi hominum prudentia ex eo est genere, quod a Paulo Apostolo *sapientia carnis* et *mors* animi appellatur, quia nec subest legi divinae, nec potest subesse (4). Nihil autem minus est ad mala

(1) I Timoth. III, 15.

(2) II Petr. II, 1, 19.

(3) Galat. V, 6.

(4) *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest.* Rom. VIII. 6, 7.

minuenda providum. Inimicis enim, quod praedicare et in quo gloriari multi eorum non dubitant, hoc est omnino propositum, religionem catholicam, quae vera sola est, funditus, si fieri posset, extinguere. Tali autem consilio nihil non audent: sentiunt enim, quo magis fuerit aliorum tremefacta virtus, eo sibi expeditiorem fore malarum rerum facultatem. Itaque qui adamant *prudentiam carnis*, ac nescire se simulant, christianum quemque debere bonum militem Christi esse: qui debita victoribus praemia consequi mollissimâ viâ atque intacti a certamine volunt, ii tantum abest ut iter malorum intercipiant, ut potius expediant.

Contra non pauci fallaci studio permoti, aut, quod magis esset vitio, aliud agentes, aliud simulantes, non suas sibi partes assumunt. Res in Ecclesia geri suo ipsorum iudicio atque arbitratu vellent usque eo, ut omne quod secus agitur, moleste ferant, aut repugnanter accipiant. Hi quidem inani contentione laborant, nihilo minus, quam alteri, reprehendendi. Hoc enim est non sequi potestatem legitimam, sed praevertere, simulque magistratuum munia ad privatos rapere, magna cum perturbatione ordinis, quem Deus in Ecclesia sua perpetuo servandum constituit, nec sinit a quoquam impune violari. — Illi optime, qui descendere in certamen, quotiescumque est opus, non recusant, hoc rato persuasoque, interituram vim iniustam, sanctitatique iuris et religionis aliquando cessuram. Qui videntur sane dignum aliquid antiqua virtute suscipere, cum tueri religionem connituntur maxime adversus factionem audacissimam, christiano nomini exagitando natam, quae Pontificem maximum in suam redactum potestatem consectari hostiliter non desistit: sed obedientiae studium diligenter retinent, nihil aggredi iniussu soliti. Iamvero quoniam similis obtemperandi voluntas, robusto animo constantiaeque coniuncta, christianis universis est necessaria, ut, quoscumque casus tempus invexerit, *in nullo* sint *deficientes* (1), magnopere velimus in singulorum animis alte insidere eam, quam Paulus (2) *prudentiam spiritus* nominat. Haec enim in moderandis actionibus humanis sequitur optimam mediocritatis regulam, illud in homine efficiens, ne aut timide desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter temeritatem.

(1) Iac. I, 4.
(2) Rom. VIII, 6.

— Est autem quod differat inter prudentiam politicam, quae ad bonum commune, et eam quae ad bonum cuiusque privatim pertinet. Haec enim cernitur in hominibus privatis, qui consilio rectaeque rationi obediunt in gubernatione sui: illa vero in praepositis, maximeque in principibus, quorum muneris est cum potestate praeesse: ita quidem ut politica privatorum prudentia in hoc videatur tota consistere, legitimae potestatis iussa fideliter exequi (1). Haec dispositio atque hic ordo tanto magis valere in christiana republica debet, quanto Pontificis politica prudentia plura complectitur: eius enim est non solum regere Ecclesiam, sed generatim civium christianorum actiones ita ordinare, ut cum spe adipiscendae salutis aeternae apte congruant. Ex quo apparet, praeter summam sententiarum concordiam et factorum, necesse esse politicam potestatis ecclesiasticae observare in agendo sapientiam. Iamvero christianae rei administratio proxime et secundum Pontificem romanum ad Episcopos pertinet: qui scilicet, quamquam pontificalis fastigium potestatis non attingunt, sunt tamen in ecclesiastica hierarchia veri principes; cumque singulas Ecclesias singuli administrent, sunt *quasi principales artifices... in aedificio spirituali* (2), atque habent munerum adiutores, ac ministros consiliorum Clericos. Ad hanc Ecclesiae constitutionem, quam nemo mortalium mutare potest, actio est accommodanda vitae. Propterea quemadmodum Episcopis necessaria est cum Apostolica Sede in gerendo episcopatu coniunctio, ita clericos laicosque oportet cum Episcopis suis coniunctissime vivere, agere. — Ipsorum quidem Antistitum utique potest esse aliquid aut minus laudabile in moribus, aut in sententiis non probabile: sed nemo privatus arroget sibi personam iudicis, quam Christus Dominus illi imposuit uni, quem agnis atque ovibus praefecit. Memoria quisque teneat sapientissimam

(1) *Prudentia in ratione est; regere autem et gubernare proprie rationis est; et ideo unusquisque inquantum participat de regimine et gubernatione, intantum convenit sibi habere rationem et prudentiam. Manifestum est autem quod subditi, inquantum est subditus, et servi, inquantum est servus, non est regere et gubernare, sed magis regi et gubernari. Et ideo prudentia non est virtus servi, inquantum est servus, nec subditi, inquantum est subditus. Sed quia quilibet homo inquantum est rationalis, participat aliquid de regimine secundum arbitrium rationis, intantum convenit ei prudentiam habere. Unde manifestum est quod prudentia quidem in principe est ad modum artis architectonicae, ut dicitur in VI* Ethicorum; *in subditis autem ad modum artis manu operantis.* S. Thom. II-II, Quaest. XLVII, art. XII.

(2) S. Thom. *Quodlib.* I. art. XIV.

Gregorii magni sententiam: *Admonendi sunt subditi, ne praepositorum suorum vitam temere iudicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde mala recte redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne cum culpas praepositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic, si qua valde sunt eorum prava, apud semetipsos diiudicent, ut tamen divino timore constricti ferre sub eis iugum reverentiae non recusent.... Facta quippe praepositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda iudicantur* (1).

Veruntamen parum sunt conata profutura, nisi ad virtutum christianarum disciplinam vita instituatur. — Illa est sacrarum Litterarum de Iudaeorum genere sententia: *Usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem.... Cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt praeliis a multis nationibus* (2). Atqui inchoatam formam populi christiani gerebat Iudaeorum natio: atque in veteribus eorum casibus saepe imago inerat veritatis futurae: nisi quod longe maioribus beneficiis auxit nos atque ornavit divina benignitas, ob eamque rem ingrati animi crimen multo efficit christianorum graviora delicta.

Ecclesia quidem nullo tempore nulloque modo deseritur a Deo: quae nihil est, quod sibi ab hominum scelere metuat: at vero degenerantibus a christiana virtute nationibus non eadem potest esse securitas. *Miseros* enim *facit populos peccatum* (3). — Cuius vim veritatemque sententiae si omnis retro experta est aetas, quid est caussae quamobrem nostra non experiatur? Imo debitas iam instare poenas, permulta declarant, idemque status ipse confirmat civitatum; quarum plures videlicet intestinis malis attritas, nullam ab omni parte tutam videmus. Quod si improborum factiones institutum iter audacter perrexerint: si evenerit iis ut, quemadmodum grassantur malis artibus et peiore proposito, sic opibus potentiàque invalescant, metuendum sane ne totas civitates a fundamentis, quae posuit natura, convellant. — Neque vero prohiberi tantae formidines sola hominum ope possunt, praesertim quia multitudo ingens, fide christiana reiecta,

(1) Reg. Pastor. P. III, cap. IV.
(2) Iudith V, 21, 22.
(3) Proverb. XIV, 34.

iustas superbiae poenas in hoc luit, quod veritatem obcaecata cupiditatibus frustra conquirit, falsa pro veris amplexatur, sibique videtur sapere cum vocat *malum bonum, et bonum malum,* ponens *tenebras lucem, et lucem tenebras* (1). Igitur Deus intersit, ac benignitatis suae memor civilem hominum societatem respiciat necesse est. Quamobrem, quod vehementer alias hortati sumus, singulari studio constantiaque enitendum, ut clementia divina obsecratione humili exoretur, virtutesque, quibus efficitur vita christiana, revocentur. — Imprimis autem excitanda ac tuenda caritas est, quae praecipuum vitae christianae firmamentum continet, et sine qua aut nullae omnino sunt, aut fructu vacuae virtutes. Idcirco beatus Paulus Colossenses adhortatus, ut vitium omne defugerent, variamque virtutum laudem consectarentur, illud subiicit, *super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* (2). Vere vinculum est perfectionis caritas, quia quos complexa est, cum Deo ipso intime coniungit, perficitque ut vitam animae hauriant a Deo, cum Deo agant, ad Deum referant. Debet vero caritas Dei cum caritate proximorum consociari, quia infinitam Dei bonitatem homines participant, eiusque gerunt in se expressam imaginem atque formam. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* (3). *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est* (4). Atque hoc de caritate mandatum divinus eius lator *novum* nominavit, non quod diligere homines inter se non aliqua iam lex, aut ipsa natura iussisset, sed quia christianum hoc diligendi plane novum erat atque in omni memoria inauditum genus. Qua enim caritate Iesus Christus et diligitur a Patre suo et homines ipse diligit, eamdem impetravit alumnis ac sectatoribus suis, ut cor unum et anima una esse in ipso possent, sicut ipse et Pater unum natura sunt. Huius vis praecepti nemo ignorat quam alte in christianorum pectus a principio descenderit, et quales quantosque concordiae, benevolentiae mutuae, pietatis, patientiae, fortitudinis fructus attulerit. Quidni opera detur exemplis maiorum imitandis? Tempora ipsa non exiguos admovent ad caritatem stimulos. Renovantibus impiis adversus Iesum Christum

(1) Is. v, 20.
(2) Coloss. III, 14.
(3) I. Io. IV, 21.
(4) ib. 20.

odia, instauranda christianis pietas est, magnarumque rerum effectrix renovanda caritas. Quiescant igitur, si qua sunt, dissidia : sileant certationes illae quidem, quae vires dimicantium dissipant, nec ullo modo religioni prosunt: colligatisque fide mentibus, caritate voluntatibus, in Dei atque hominum amore, ut aequum est, vita degatur.

Locus admonet hortari nominatim patresfamilias, ut his praeceptis et domos gubernare studeant, et liberos mature instituere. Initia reipublicae familia complectitur, magnamque partem alitur intra domesticos parietes fortuna civitatum. Idcirco qui has divellere ab institutis christianis volunt, consilia a stirpe exorsi, corrumpere societatem domesticam maturant. A quo eos scelere nec cogitatio deterret, id quidem nequaquam fieri sine summa parentum iniuria posse: naturâ enim parentes habent ius suum instituendi, quos procrearint, hoc adiuncto officio, ut cum fine, cuius gratiâ sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et doctrina puerilis. Igitur parentibus est necessarium eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent iniuriam, omninoque pervincant ut sua in potestate sit educere liberos, uti par est, more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietatis. Cum de fingenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest nec labor suscipi tantus, quin etiam sint suscipienda maiora. In quo sane digni omnium admiratione sunt catholici ex variis gentibus complures, qui suas erudiendis pueris scholas magno sumptu, maiore constantia paravere. Aemulari salutare exemplum, ubicumque postulare videantur tempora, decet; sed positum sit imprimis, omnino in puerorum animis plurimum institutionem domesticam posse. Si adolescens aetas disciplinam vitae probam, virtutumque christianarum tamquam palaestram domi repererit, magnum praesidium habitura salus est civitatum.

Attigisse iam videmur, quas maxime res hoc tempore sequi, quas fugere catholici homines debeant. — Reliquum est, idque vestrarum est partium, Venerabiles Fratres, curare ut vox Nostra quacumque pervadat, omnesque intelligant quanti referat ea, quae his litteris persecuti sumus, reipsa efficere. Horum officiorum non potest molesta et gravis esse custodia, quia iugum Iesu Christi suave est, et onus eius leve. — Si quid tamen difficilius factu videatur, dabitis auctoritate exemploque operam, ut

acrius quisque intendat invictumque praestet a difficultatibus animum. Ostendite, quod saepius ipsi monuimus, in periculo esse praestantissima, ac summe expetenda bona: pro quorum conservatione omnes esse patibiles labores putandos; ipsisque laboribus tantam remunerationem fore, quantam christiane acta vita maximam parit. Alioqui propugnare pro Christo nolle, oppugnare est; ipse autem testatur (1), negaturum se coram Patre suo in caelis, quotquot ipsum coram hominibus profiteri in terris recusarint. — Ad Nos quod attinet, vosque universos, numquam profecto, dum vita suppetat, commissuri sumus, ut auctoritas, consilium, opera Nostra quoquo modo in certamine desideretur. Neque est dubium, cum gregi, tum pastoribus singularem Dei opem, quoad debellatum erit, adfuturam.

Qua erecti fiducia, caelestium munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae tamquam pignus Vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo, quibus singuli praecestis, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 10 Ianuarii An. 1890. Pontificatus Nostri Duodecimo.

LEO PP. XIII.

(1) Luc. IX, 26.

LITTERAE Apostolicae in forma Brevis, quibus permittitur ut Ioannis Gabriel Perboyre nuncupetur nomine Beati eiusque reliquiae publicae fidelium venerationi exponantur.

Eximiam praeclarorum operum laudem Vincentiani sodales a sacris expeditionibus sibi in christiana republica compararunt: nominatim vero eorum nobilitata est virtus in catholico nomine ad Sinarum gentes propagando, ut semper sit et factorum memoria et meritorum gratia permansura. Non pauca enim in explendo opere tam arduo ac laborioso eiusmodi sodalitas documenta dedit, quid religionis studium, quid caritas erga proximos possit: ac propterea digna a Deo habita est, ut sibi decoras gratasque ex ea hostias optaverit, quae omnigenae virtutis laudes triumphali martyrii laurea cumularent. Huiusmodi decus attribuit Deus Ioanni Gabrieli Perboyre, qui in Sinis ad christianam doctrinam informandis quum quinque fere annos mirabili caritate elaborasset, demum in supplicium deditus libens pro Christo vitam cum sanguine profudit. Natus est in pago vulgo – Puech – dicto, intra fines Cadurcensis Dioeceseos VIII Idus Ianuarias anno MDCCCII. Parentes eius Petrus et Maria Rigal religionis studiosi et diligentes familiae octo susceperunt liberos, quos ad pietatem et ad omnem virtutem sic instituere, ut ex iis quinque religiosis sodalitatibus nomen darent, daturam alteram mors praeriperet. Sed eminuit super eos omnes Ioannes Gabriel, qui iam a prima pueritia magnam de se spem et expectationem concitavit. Constat enim puerulum nugas iocosque, praeter illius aetatis morem, defugisse, et nihil fecisse inepte; qua ex re pater, cui pecuaria res erat, eum non amplius sex annos natum parvo cuidam gregi pastorem praefecit. Verum alii cum essent illi destinati a Deo greges pascendi, eo volente, accidit ut biennio post parentes mutent de puero consilium, eum ex agris arcessant, et ludi magistro tradant humanitate et litteris instituendum. Facile existimari potest quanta alacritate Ioannes Gabriel acquirendae doctrinae excolendique animi cupidus ad studium se contulerit. At litteris addiscendis non maiorem dedit operam, quam virtutibus parandis, quibus ita praestitit, ut ab omnibus haberetur et nominaretur sanctus. Sic optimus adolescens non minus pietatis laude, quam aetate procedit, ita ut mirifice ei conveniant, quae loquutus est sapiens – *iustorum semita quasi lux splendens crescit*

usque ad perfectam diem. – Sed divinae providentiae numen causam cito obtulit cur illi ad Vincentianam sodalitatem a sacris expeditionibus facilis pateret aditus. Quum enim fatri suo Aloisio domo in Seminarium Montis Albani proficiscenti itineris esset comes, atque ibidem aliquot dies commoraretur, obtigit, ut Seminarii rectores et magistri in Ioanne Gabriele praeclaram animi indolem maxime sint demirati, eumque, abeundi minime cupidum, dimittere noluerint. Quamobrem, venia a parentibus aegre impetrata, libenter eum in Seminarium receperunt, et ad humanas litteras primum, deinde ad severiores disciplinas appulerunt. In novo hoc studiorum tirocinio sane patuit luculenter quali adolescens esset ingenio, sedulitate, constantia: aequales enim suos omni laude antecessit, magistrorum expectationem longe superavit. Philosophia vero adeo profecit ut ex auditore doctor factus sit. Ille tamen ob singularem verecundiam, quae virtutis solet esse custos, non modo numquam se elate gessit, sed delitescere maluit inter condiscipulos quam explendescere, eamque prae se tulit animi demissionem, quae consentanea est christiano praecepto – *ama nesciri et pro nihilo reputari.* – Quum interea ad sodalitatem S. Vincentii a Paulo, quem peculiari observantia iam inde a pueritia coluerat, se divinitus sentiret impelli, facile praepositos exoravit, ut in tironum numerum adciscerétur. Duobus post annis, quae Deo iam spoponderat, voti religione sanxit, idque evenit eo ipso anno, quo Ven. Franciscus Clet, illustri facto martyrio apud Sinas, primam honoris palmam Ioanni Gabrieli praeripuit. Ipse tamen, qui Sinenses regiones iam tum metabatur animo, nihil praetermittebat, quo se ad tantum opus omni copia posset instruere. Quare ad Theologiae sacrarumque litterarum studium naviter incubuit: singulari vero ardore versatus est in doctrinis S. Thomae Aquinatis, cuius ex operibus tamquam ex uberrimis fontibus christianam sapientiam largiter hausit. Doctrinae igitur lauta ornatus supellectile, cum Lutetiae Parisiorum consisteret, incredibili animi laetitia die IX Kalendas Septembres, eodem nempe quo olim S. Vincentius a Paulo, sacerdotio est initiatus. Tum vero apud se reputans non amplius se sui iuris, sed Dei proprium esse quasi mancipio et nexu, sese totum eius gloriae et proximorum saluti devovere constituit. Positis a Christo vestigiis animose ingressus, quantum assequi contentione valuit, ab iis numquam deflexit. Ob singularem hanc pietatem vitaeque sanctimoniam in tantum ac tam inflammatum Dei honorem processit, ut quum sacris operaretur in divinae caritatis mysterium vehe-

menti cogitatione defixus caeleste aliquod vultu ipso atque habitu corporis praeseferret. Quibus e rebus eximia apud sodales suos cum floreret opinione, etsi nondum erat aetate maturus, multos gessit honores et munera. At Ioanni Gabrieli ingens iamdiu desiderium incesserat apostolici muneris apud barbaras gentes obeundi. Quod cum efflagitasset a praepositis sodalitatis, non sine divinae providentiae consilio factus est voti compos. Quum enim valetudine esset non satis firma illi a medico sententiam sciscitantur. Hic negat tam longo infestoque itineri gracilem iuvenem sine certo mortis periculo committi posse. Ioannes Gabriel enixis precibus, effusis lacrimis, cum dies iam appeteret Mariae puerperae perlitanti sacer, caelestem matrem orat atque obsecrat, ut quod sibi diu in votis erat tandem assequi liceat. Propitia occurrit ei in precibus Deipara: medico enim quidam iniectus est quasi scrupulus qui illum tota nocte stimulavit et pupugit; qua ex re, ubi primum illuxit, redit et assentit illi, ut iter suscipiat. Egregius Christi heros nulla mora interposita e domo sodalitatis principe inter collacrimantes sodales non rediturus discedit. Recta profectus est ad Portum Gloriae: tenebat enim tunc eum portum oneraria quaedam navis, quae iam in eo erat ut in Orientem solveret. Navim conscendenti, ut ipse scripsit, obversabatur animo Aloisius frater, natu minor coelo maturior, qui cum ex eo ipso portu eodem versus vela dedisset in maritimo itinere praereptus est. Oceano sospite cursu transmisso, exoptatas imperii Sinensis oras, quae ad orientem solem vergunt, tandem attingit, et prope Macaum urbem e navi egreditur. Hinc in assignatam sibi a Deo stationem proficiscitur, et duobus interiectis mensibus, peregrino labore defatigatus non fractus ad eam pervenit. Hic novam atque inusitatam vitae rationem magno animo ingressus nihil umquam curavit magis atque in oculis habuit, quam ut omnibus officii sui partibus naviter integreque defungeretur. Non regionum magnitudo, non caeli inclementia, non capitis pericula hominem deterrent, quominus christianorum stationes suae fidei creditas circumeat, neophytos in religione confirmet, iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent, lumen veritatis afferat. Diu noctuque ad quodlibet ministerium paratus ac promptus labores, vigilias, reliqua omnia vix minimi momenti instar habet, ubi sempiterna animarum salus agatur. Verum quasi tot ac tanti, quibus afficiebatur labores et incommoda pauca vel levia essent voluntarias sibi ipse poenas irrogabat. Squallidis enim usus est pauperum tuguriis: herbis vescebatur aqua incoctis: quies

somnusque in stramentis erat: flagellis se caedebat cingulisque latera praecingebat ferro asperis. Accedit etiam quod interdum cum sibi videretur omni ope divina destitutus esse, incredibili animi angore conficeretur. Sed sicut Christo – *apparuit angelus confortans eum* – ita Iesus ipse famulum suum caelesti visione recreavit, atque ut in latus hasta transfixum manus securus immitteret hortatus animum addidit et confirmavit. Propinquabat enim iam summa dies et tempus, quo invicto martyri virtutis suae supremum specimen erat exhibendum. Repente enim, immani quasi procella coorta, praefecti illius regionis edictis vexantur christiani et ad caedem destinantur. Illud vero coeleste solatium praecipuumque decus Ioanni Gabrieli divina bonitas largita est, ut nimirum in saevissimis cruciatibus, quos pertulit, singulares quasdam cum divino Redemptore similitudines sit assecutus. Etenim quum ille adventantibus hostibus aufugisset, et in proxima sylva sese occultasset, ab altero ex suis discipulis, Iudae proditoris simili, pretio triginta argenteorum est venundatus. Efferata satellitum manu propinquante, quidam ex discipulis, sic Petrus, expedire arma voluit et vim vi repellere, sed ille divini magistri exemplum sequutus ponere arma iubet, et se hostibus obiicit. Illi, ut Iudaei Iesum, corripiunt hominem, verberant, ense caedunt, constringunt catenis, et in urbem mercatoribus refertam trahunt per summum dedecus seminudum. Nulla habita mora ad tribunal deductus est ibique revinctis post terga manibus flexoque poplite iudici de patria eius, de religione percunctanti respondere iussus est. At simul ac christianum se profitetur, contumeliis et opprobriis iactatur a multitudine: iudex vero ira percitus eum arctius adstringi iubet et homini cuidam, propter naturae feritatem tigris nomine appellato, custodiendum non magis quam male mulctandum tradit. Die insequenti cum ad urbem satis longe positam comitantibus militibus duceretur, pedes iter facere coactus est. Non defuit qui, more hominis Cyrenaei, sanctum virum fame pene enectum, corpore saucium, exhaustumque viribus omnibus sublevaret. Huic Ioannes Gabriel tam bene de se merenti, martyrio facto, per visum se conspicuum praebuit, eumque blande allocutus, et ad christianam veritatem invitans, caelestia praemia a Deo impetravit. Coram praefecto militari ad tribunal stare iussus postquam de catholica religione confessus est, Iesum imitatus nihil amplius respondit: qua ex re alapis et flagellis crudeliter percutitur, et in carcerem atrociorem detruditur. Sed crudelius fortasse animi quam corporis dolore affectus est. Quum enim

iussus crucifixi Iesus imaginem proculcare, eam venerabundus profusis lacrimis deoscularetur, perditissimi homines et eam et Deiparae Virginis simulacra omnibus contumeliis profanarunt. Quare Ioannes Gabriel tanto fuit moerore confectus ut proxime moriturus videretur. Sed et illud permoleste ac dolenter tulit, quod non pauci ex suis discipulis, christiana fide eiurata, cohortantibus iudicibus depraestita ab eo officia fideique et religionis sanctitatem ei exprobraverunt. Verum illusus, ad ludibrium positus procacitatis adversariorum, in angustiora vincula coniectus, flagellis tormentisque ita laniatus ut non modo sanguis large manaret, sed carnis etiam particulae disiicerentur, ferro candenti etiam infamiae nota fronti inusta, omnia ille pertulit, omnia exorbuit animo non minus aequo quam invicto. Demum post tot exquisita tormenta per solidum annum constanter tolerata sudem proferens capitalis poenae caussa inscripta quinque hominibus scelestissimis ob infanda crimina damnatis socius additus ad extremum supplicium rapitur. Ita vir fortissimus, qui tamquam ad triumphum sereno atque hilari vultu properat, a trabe, quae crucis formam refert iugulo per funem suspensus singulares animi virtutes martyrio consummavit die III Idus Septembris ann. MDCCCXL eadem die ac prope hora demoriens, qua Iesus Redemptor Noster mortem obivit. Cui cum persimilis videatur et tempore et genere et omnibus fere adiunctis Ioannis Gabrielis mors eum nemo ibit inficias beatissimis illis adnumerandum esse, quos Deus – *praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui*. – Magna cum iam esset sanctitatis Ioannis Gabrielis commendatio, tum post praeclarum eius martyrium aucta magis ac latius diffusa, ex Asia, in Europam famae celebritate pervenit. Quapropter sa. me. Gregorius PP. XVI sententiam peculiaris Congregationis Sacrorum Rituum appositae a se deputatae approbans commissionem introductionis causae Ven. Dei famuli propria manu signavit die nona Iunii anni MDCCCXLIII ac dein nutu iussuque Nostro, absolutis omnibus quae in huiusmodi iudicio erant necessaria, apud Congregationem Cardinalium sacris Ritibus praepositorum disceptari coeptum est constaretne ex probationibus iuridice sumptis de Servi Dei martyrio, caussa martyrii, et de signis seu miraculis, quae, Venerabili Ioanne Gabriele deprecante, patrata a Deo ferebantur. Rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis ex eiusmodi Congregationis suffragiis per decretum superioris anni VII Kalendas decembres editum, constare de Venerabilis servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre martyrio, caussa martyrii.

pluribus signis et miraculis a Deo illustrati et confirmati, rite declaravimus. Illud supererat ut memoratae Congregationis Cardinales rogarentur, num stante approbatione martyrii et causae martyrii pluribus signis ac miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi possit ad Venerabilis Servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre beatificationem illique omnes in generali conventu coram Nobis habito IV Idus Martias vertentis anni MDCCCLXXXIX, tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus donec fervidis precibus a Patre luminum opem posceremus. Quo facto tandem in solemnitate Redemptoris Nostri ascendentis in caelum decreto ediximus, tuto procedi posse ad solemnem venerabilis servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre beatificationem. Quae cum ita sint moti precibus universae sodalitatis Vincentianae a sacris expeditionibus, Nos auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus, ut idem Ven. Dei servus I. Gabriel Perboyre Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana, seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, et imagines radiis decorentur. Deinde eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de illo quotannis recitetur Officium et Missa de communi unius martyris cum orationibus propriis a Nobis approbatis, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas: eiusdem vero officii recitationem fieri concedimus in dioecesi Cadurcensi et per omnes domos seu templa memoratae sodalitatis ab omnibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus, ut sollemnia Beatificationis venerabilis Servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missis duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinario designanda intra primum annum, postquam eadem sollemnia, *ob temporum conditionem* in Aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus constitutionibus etc. quibuscumque. Volumus etc. ostensis haberetur. Datum Romae, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 9 Novembris 1889 Pontificatus Nostri anno duodecimo.

M. Card. Ledochowski.

IN FESTO

BEATI IOANNIS GABRIELIS PERBOYRE

MARTYRIS

Missa. – In Virtute de comm. unius Mart. non Pont. praeter sequentia

Oratio

Domine Iesu Christe, qui beatum Ioannem Gabrielem, Martyrem tuum inter Sinarum gentes, vitae innocentia, apostolicis laboribus, et praecipua tuae Crucis participatione mirabilem effecisti; tribue quaesumus, ut ipsius fidei, charitatis ac patientiae documenta sectantes, eiusdem gloriae mereamur esse consortes: Qui vivis...

Secreta

Haec oblatio, Domine, quae Beatum Ioannem Gabrielem ad subeundum pro fide certamen praeparavit, perpetuam in tuo servitio constantiam conferat ac salutem. Per Dominum...

Postcommunio

Caelestem nobis, Domine, tribuant percepta sacramenta virtutem, qua beatus Ioannes Gabriel innocenter vivere, et martyrii valuit reportare triumphum. Per Dominum...

DECRETUM

In Apostolicis Litteris in forma Brevis propediem expediendis ad assequendam formalem Beatificationem Ven. Servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre Martyris, Sacerdotis e Congregatione Missionis cum ex Maiorum praescripto et praxi Sacrae Rit. Congregationis apponendae sint Orationes propriae in Officio et Missa de communi unius Martyris in honorem novi Beati legendae ab iis omnibus, quibus in recensito Officium ipsum persolvendi Missamque celebrandi facultas impertitur, Sacra eadem Congregatio utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributis, ad humillimas preces R. D. Philippi Valentini sacerdotis mem. Congregationis Missionis, Causae postulatoris, suprascriptas orationes proprias a R. P. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore revisas approbavit, atque ab iis omnibus, quibus Officium cum missa concessum est, post expletam formalem Beatificationem recitari posse indulsit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11 Septembris 1889.

RAPH. Card. MONACO

L. ✠ S.

Vinc. Nussi S. C. R. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MONOPOLITANA

REDUCTIONIS ONERUM ET ABSOLUTIONIS

Die 3 Augusti 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Thomas Pepe supplici libello enarrat patrem suum, Michaelem nomine, adeptum haereditate fuisse quaedam urbana praedia, quibus adscriptum erat quoddam perpetuum missarum onus, obligatio scilicet solvendi quotannis 60 ducata parocho loci *Fasano* ad celebrationem missarum in capella s. Caroli Borromaei in eadem parochiali ecclesia existenti.

Verum patrem suum ab anno 1869 usque ad mortem per tredecim annos ab onerum satisfactione abstinuisse, eo quod diuturnam ac dispendiosam litem gerere debuit cum fisco, qui censum illum, quasi manuale beneficium, sibi vindicare praesumebat.

Se autem, ait orator, qui bona et onera patris haereditate suscepit, velle quidem iniunctae obligationi satisfacere; at, gravibus aliis familiaribus negotiis impeditum, hucusque nonnisi ex parte oneri missarum satisfecisse. Imo quia familiae conditiones pessumdatae sunt, neque spes affulget quod meliores fieri valeant, cum orator eiusque uxor adhuc iuvenes facile queant onerari filiis pluribus: cumque timeri possit quod futuri haeredes neque valeant, neque velint implere legatum; ideo exorat, ut, praevia absolutione quoad praeteritum, in posterum onus legati, de perpetuo fiat ad vitam oratoris cum ampla Missarum reductione, determinanda arbitrio Antistitis.

Ordinarius autem nedum commendavit oratoris preces, sed et novas ex parte sua adiunxit, postulans ut missae ubique celebrari valerent.

Disceptatio Synoptica.

Quamvis Ecclesia ex iusta causa possit ultimas fidelium voluntates commutare, et onera missarum nedum reducere, sed et omnino remittere; nihilominus in themate non videtur in iis necessitatis terminis res esse, ut id quod petitur debeat universim admitti praesertim quia pene totalis eversio legati exinde contingeret. Primum enim non constat curnam in posterum missae contra testatoris voluntatem ubique celebrari debeant: ad id enim nulla praesens causa allegatur. Nec secundo apparet, curnam necesse sit futuros haeredes ab oneris implemento omnimode relevare; nam cum parentes spondeant iustis missarum oneribus satisfacere, non intelligitur curnam ab iisdem oneribus absolvi debeant filii adhuc infantes aut nascituri, et ideo absolvi, in praevisionem scilicet et ex coniectura futurae eorum impotentiae et malitiae. Edici namque merito posset, ut parentes satagant filios suos ad iustitiam educare, et si in posterum contingat eos impotes futuros oneribus satisfaciendis, benigna mater Ecclesia, ut cum ceteris solet, cum eisdem etiam tunc dispensabit.

His itaque missis, ad quorum concessionem nulla sufficiens videtur allegari causa, quoad reliqua, nempe quoad onerum praeteritorum absolutionem et praesentium reductionem, remissum fuit EE. PP. prospicere num sufficientia adducerentur motiva. Familiares enim angustiae et impensae in legati redemptionem actae, alias non semel proclivem ad gratiam S. Sedem fecerunt, ut EE. PP. bene norunt.

Hisce praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 3 Augusti 1889 censuit respondere: *Pro gratia absolutionis quoad praeteritum, celebrato aliquo missarum numero, ab Episcopo determinando, onerata eius conscientia; quoad futurum ad dominum Secretarium cum SSño.*

TARENTINA

HYPOTHECARIAE CAUTIONIS

Die 7 Septembris 1889.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Comes Franciscus de Notaristefano possessor est cuiusdam commendae e militari Ordine Constantiniano a S. Georgio, quae commenda de iure patronatu est suae familiae. Ex pseudo lege civili diei 29 Iunii 1873 commendae bona redimi debuerunt. Post nonnullos annos cum pro familiaribus negotiis expediens videretur haec commendae bona subrogari cum aliis familiaribus bonis alio in loco sitis, comes, qui pius ac religiosus ab Ordinario suo renunciatur, veniam id faciendi petiit, idque ex audientia SSmi diei 17 Ianuarii 1883 obtinuit « constito de evidenti utilitate et fundorum hinc inde permutandorum libertate, reservato regressu, translatis etc. » Fieri autem non potuerunt transcriptiones bonorum in forma iuris, coram foro civili valida, favore commendae, quia politica praescriptio obstabat; et ideo ab explenda hac conditione, quae ceteroquin imponi solet, comes fuit dispensatus.

Interim post aliquot alios annos comes, ob novas familiares necessitates, aes alienum contraxit, et creditor in cautionem hypothecam super omnibus familiae bonis imponi iussit; atque ita sub vinculo ipsa quoque commendae praedia inciderunt, licet de cetero reliqua familiae bona abunde ad crediti securitatem, prout asseritur, sufficerent.

Nunc vero, refert Ordinarius quod comes orator vellet aes alienum conficere, redimendum spatio 40 aut 50 annorum. Qua de re exorat ut cautio hypothecaria extendi possit etiam ad bona commendae, et ut absolutio sibi indulgeatur, quatenus aliquam incurrerit poenam ob hypothecam super commendae bonis creditori assignatam ac permissam, quam rem tamen bona fide contigisse Ordinarius asseverat. Verum in audientia SSmi 2 Maii 1887 rescriptum fuit: « Prout petitur non expedire. »

Iterum tamen in comitis favorem instante Ordinario atque orante, ut ei concederetur tradere in hypothecariam cautionem bona commendae pro annis 25; nihilo secius rescriptum fuit die 17 Iulii 1887: *In decretis.*

Tertio pro oratore Archiepiscopus insistens, haec adnotabat: oratorem esse prorsus vitae morigeratae et verum catholicum; numerosa prole ditari eiusdemque conditionem oeconomicam pessumdari independenter ab eius opera. Commendam esse laicalem, fundatam a patre et suppressum lege civili; ita ut transmitti nequeat unico filio masculo. Statuta Ordinis indulgere, ut bona commendae dari in hypothecam valeant per 25 annos de consensu s. Sedis. Bona eiusdem Commendae hypothecae generali iam subiici; dum per propositam rationem redigi posset ad annos 25. Nisi orator gratiam consequatur, eius conditio oeconomica in gravi ponitur discrimine, eiusque conscientia agitata manet.

Disceptatio Synoptica

In iure pauca dicenda sunt, nam canonica praescripta patula in hac re sunt. Commendae bona enim in censu ecclesiasticorum habentur: hypotheca autem sub alienatiouis specie et censura cadit: ideoque absque evidentis utilitatis aut necessitatis ratione non debet permitti.

In themate autem non una sed plura utilitatis seu necessitatis motiva proponuntur, inter quae praecipue eminet temporale emolumentum tum piae egentique familiae, tum et ipsis commendae bonis obventurum. Siquidem cum haec bona hypothecae data iam sint, illegitime quidem quoad ecclesiam, sed valide quoad forum civile; et insuper cum spes non affulgeat quod comes revocare modo possit quod iam ex necessitate et bona fide permisit, nec quod commendae bona extemplo in libertatem restituere valeat, hinc sequitur quod hodie proprie non agitur de novo onere inscribendo, sed de acquiescendo necessitati et de permittendo, ut antiquae hypothecariae cautioni alia quae dicitur mitior surrogetur; quod

quidem videtur in utilitatem et commodum ipsius piae institutionis vergere.

Accedit quod statuta religiosi Ordinis permittere dicuntur, ut commendae bona ad 25 annos cum S. Sedis venia in hypothecam concedantur.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognita sub die 7 Septembris 1889 censuit respondere: *Pro gratia, facto verbo cum SSmo.*

PRATEN.

NOMINATIONIS

Die 7 Septembris 1889.

Sess. 24 cap. 8 De reform.

Compendium facti. Episcopali bulla diei 2 Ianuarii 1773 in cathedrali Ecclesia pratensi erigebatur poenitentiaria praebenda, et quoad eius provisionem haec cavebantur:

« Ceterum eis *dignitatibus et canonicis, nec non nobili viro Iosepho Inghirami... iuspatronatus et praesentandi* ad dictos canonicatum et praebendam, per praesentes erectos et institutos; nobis nostrisque successoribus ac nostro et eorum vicariis, tam hac prima vice, quam quoties illos de cetero perpetuis futuris temporibus ex cuiuscumque persona, etiam apud Sedem apostolicam, quomodocumque et qualitercumque, in quibuscumque anni mensibus vacare contigerit, *unam tantum ex tribus personis idoneis,* per nos et successores nostros antea designandis, et coram capitulo et dicto Iosepho Inghirami, sive aliis legitimis patronis in actu electionis inter eos faciendae tantum aperiendis, *quae maiora suffragia per eosdem patronos secreto et collegialiter praestanda obtinuerit,* in dictae ecclesiae canonicum, servatis de iure servandis, instituendam ad praesentationem huiusmodi reservamus; ita ut iuspatronatus et praesentandi huiusmodi patronis praedictis

non ex privilegio, sed ex vera, primaeva, reali et actuali, integra et omnimoda fundatione, et perpetua dotatione laicali, ex bonis mere patrimonialibus et laicalibus dicti testatoris dumtaxat competat, et ad illos pertineat, et quaecumque praesentationes per ipsos patronos ad dictos canonicatum et praebendam pro tempore, ut praefertur, faciendae, validae et efficaces existant, suosque plenarios et integros sortiantur effectus, dicta auctoritate nostra, et alias omni meliore, quo possumus, modo, reservamus, concedimus et assignamus. In quorum etc. Datum Prati ex Palatio Episcopali die 2 Ianuarii 1772.

Insuper pius vir, qui bona ad poenitentiariam praebendam constituendam reliquerat, testamentariis tabulis haec ulterius praescripsisse ferunt, nempe quod Poenitentiarius originem ducat a civitate Pratensi, sit nobilis, doctor utriusque iuris aut saltem in theologia; et quatenus inter nobiles nemo adsit aptus, accipi possit ex ordine civium, habito respectu ad digniorem.

Unde tandem poenitentiariae provisio his in themate apparet contenta legibus, quae, maioris commoditatis ergo, distinctis capitibus exhiberi ita possunt: 1. praebendam patronatui *mixto*, canonicorum scilicet et unius e familia Inghirami esse subiectam: 2. qui tamen non possent pro lubitu sibi magis benevisos praesentare, sed *unum* dumtaxat eligere et nominare, certis peculiaribus qualitatibus praeditum, et desumptum ex tribus *ab Episcopo antea designandis*. 3. electionem esse faciendam *collegialiter* et *per secreta suffragia*, eumque retineri debere electum qui *maiora suffragia, per eosdem patronos secreto et collegialiter praestanda, obtinuerit*. 4. demum « ex cuiuscumque persona etiam apud Sedem Apostolicam quomodocumque et qualitercumque in quibuscumque anni mensibus (beneficium) vacare contigerit, » institutionem pratensi Ordinario reservari.

Porro contigit, ut ultimus poenitentiariae praebendae possessor, Caesar Lumini, ex hac vita migraret mense Maio anni 1887, qui mensis papalis est et Apostolicae Sedi re-

servatus. Putavit autem Episcopus, etsi laici adessent in exercitio iurispatronatus, hac vice beneficii provisionem ad S. Sedem ratione mensis spectare, adeoque sibi nil aliud esse faciendum quam publicum concursum indicere ad formam *const. Pastoralis officii* Benedicti XIII.

Verum aiebat semel et iterum per publicum edictum vocatos fuisse ad concursum sacerdotes requisita habentes a sacris canonibus et a pio fundatore volita, sed bis concursum desertum permansisse. Quod cum tribuendum videretur difficultati inveniendi sacerdotem tot iis qualitatibus a iure et a pio fundatore volitis instructum, hinc idem Praesul Emum S. C. C. Praefectum deprecabatur, ut dignaretur declarare an Ordinarius facere queat dictam ternam ex sacerdotibus, nondum aetatem conciliarem attingentibus, aut laureâ doctorali carentibus; et an designationem per capitulum factam unius ex dictis, excipi possit favorabiliter a sede Apostolica.

His habitis die 3 Decembris 1887, vigore specialium facultatum a SSmo S. C. C. tributarum ita rescriptum est: « quatenus haberi non possit qui necessariis a iure requisitis sit praeditus, pro facultate praesentandi magis idoneos, arbitrio et conscientiae Episcopi. »

Hoc utens indulto Ordinarius tres sacerdotes capitulo praesentavit, ut inter eos unus iuxta fundationis tabulas eligeretur; sed nemo ex tribus candidatis pluralitatem obtinuit votorum. Sciendum namque est ex peculiari huius capituli lege ad *rub. 5 pag. 9 const.* praescriptum esse « quod res et negotia ad dignitates et canonicos per se in solidum pertinentia et spectantia per duas partes ex tribus ipsorum sic vocatorum et praesentium pertractentur et concludantur. » Sunt autem ex canonicis quidam qui sustinent hanc regulam sequendam quoque esse in poenitentiariae provisione; dum alii praedicant ex bulla erectionis *maiora* tantummodo suffragia ad poenitentiarium eligendum praescribi, ideoque duas suffragiorum partes non requiri. Quidquid sit ex praesentatis nemo nedum duas partes, sed ne maioritatem quidem voto-

rum absolutam, sed unus relativam dumtaxat consequutus est.

Itaque sic peracto scrutinio, et quum canonici inter se convenire non possent, visum est ad Episcopum negotium remitti; sed Episcopus votum Capituli haud excepit, et ad ulteriora vitanda dissidia rem iudicio Apostolicae Sedis submisit.

Disceptatio Synoptica.

In hac causa quatuor discutienda manent 1. utrum poenitentiariae provisio hoc in casu S. Sedi reservata sit; 2. utrum valida sit electio a canonicis peracta cum maioritate dumtaxat relativa votorum; et quatenus negative, 3. utrum Episcopus teneatur novam candidatorum seriem capitulo proponere; 4. tandem postulatur ut si nova electio facienda sit, candidati proponi possint qui de civium ordine non sint.

Age vero ad 1. quaestionem quod spectat, an scilicet huiusmodi praebendae collatio hac vice sanctae Sedi reservata sit, eo quod vacatio in mense papali contigit, revocandum est per *Reg. 9* Cancellariae reservari beneficia omnia, qualitercumque qualificata, certis quibusdam mensibus vacantia: quae quidem est dispositio generalissima. Concedendum tamen est ab ea exceptas haberi certas quasdam beneficiorum species, ac imprimis beneficia iurispatronatus laicalis; « et in hoc omnes conveniunt quod similis naturae beneficia (de iure patronatu laicali) nec sub ista regula IX reservatoria, nec sub aliis reservationibus comprehenduntur. » Ita Riganti ad *reg. 9 p. 1 § 2 n. 335.* Vicissim beneficia iurispatronatus ecclesiastici generatim sunt reservationibus apostolicis obnoxia, ceu expresse idem auctor tradit, *ib. n. 72, 144, 160, 200.*

At si de beneficiis iurispatronatus mixti fiat quaestio, non una est sententia. Nam in primis, teste Schmalzgrueber ad *tit. De praebendis n. 291,* non desunt graves doctores, qui putent ea semper esse reservationibus subiecta, *arg. cap. Quod in dubio 3 de Consecr. Eccl.* quia scilicet pars

magis digna ad se trahit minus dignam. At 2.) alii, numero plures et auctoritate maiores tradunt, non semper, sed dumtaxat aliquibus in casibus beneficia mixti patronatus reservationibus esse obnoxia; nimirum attendendam esse votorum mixturam, ita nempe ut si laici maiorem aut saltem aequalem votorum numerum habeant ac patroni ecclesiastici, beneficium laicali privilegio fruatur et exemptum censeatur; contrarium vero retineatur, si pars maior ac praedominans sit ecclesiastica. Ita, Gonzalez, in *Reg. 8 Cancellariae, gloss. 18 n. 15*, Wiestner in *tit. de Praebendis n. 134;* Schmalzgrueber *ibidem n. 291* et in *tit. De iurepatronatus n. 28;* Lessius *De iustitia et iure lib. 2 cap. 34* qui datae distinctionis hanc reddit rationem, quia « ecclesiastici, quorum concursus sufficit, cum sint maior pars, tenentur admittere derogationem; » ita et Lotter. *lib. 2 qu. 10 n. 65;* Cavaler. *decis. 278, 547* et alii citati apud Card. De Luca *De iurepatr. disc. 59 n. 23.* Cum ergo in themate agatur de iurepatronatus mixto, in quo elementum laicale vix computabile est respectu ecclesiastici, iuxta modo recitatam sententiam concludendum foret, beneficium reservationi esse subiectum.

Et in hac hypothesi ratio agendi Episcopi aut saltem *indictio concursus* non repugnaret, sed legitima prorsus fuisset. Siquidem ex *const. Pastoralis officii* Benedicti XIII iubetur, in Italia poenitentiariam conferri « in formali concursu eo plane modo, quo parochiales ecclesiae conferuntur ». Parochiales autem ecclesiae si iuris patronatus ecclesiastici sint, et similiter etiam si mixti, quando sub ecclesiastici censura veniant, praevio concursu provideri Tridentinum praescripsit *cap. 18 sess. 24.* Neque excipi casum quando ratione reservationis provisio beneficii ad S. Sedem spectet; quin imo ex *const. Cum illud* Benedicti XIV scimus quod si « ecclesiae parochiales dignitates etc. vacaverint in mensibus reservatis, vel ex alio capite dictae Sedi reservatae sint... uno vel altero eveniente casu, ait Pontifex, concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur nulla ad hunc

petita venia vel licentia quam nostris hisce litteris sibi tributam Episcopi intelligant. »

Unde in laudata semper hypothesi, concursus indicendus utique fuisset. Utrum vero post haec Episcopus adhuc teneretur inter approbatos tres capitulo proponere; an potius solus Episcopus ius haberet eligendi digniorem, capitulo reservata nuda dumtaxat praesentatione dignioris ab Episcopo electi; res est quae disputatione non caret. Tridentinum in *cit. sup. loc.* secundae hypothesi magis quam primae suffragari videtur: in hunc quoque sensum concludere videtur Lucidi ad *lib. 1 pag. 369 nov. edit. n. 187* ubi praecise de poenitentiaria et theologali loquens haec ait: « Quod si institutio (harum nempe praebendarum) ad alium quam ad Episcopum pertineat, e. g. ad Pontificem iure reservationis ob vacationem in mensibus reservatis, tam ex eodem Concilio *sess. 24 cap. 18* etiam in parochialibus electio personae ad Episcopum pertineret, reservato favore capituli actu praesentationis tantummodo exercendae. » Fuse hoc argumentum etiam prosequitur Benedictus XIV *De syn. dioec. lib. 4 c. 8 n. 7 seq.*

Verum non videtur in hisce explicandis ulterius esse immorandum, quippe quoniam verior tertia sententia videtur, quod nempe iuspatronatus mixtus, licet clericorum vota praeponderent, nihilominus laicali, quoad effectum de quo quaestio, prorsus aequiparetur, et idcirco quae beneficia huic iuripatronatus sunt subiecta, nec reservationibus, nec concursus legi obnoxia fiant; sed iuxta fundatorum praescripta sint semper et ad amussim conferenda. Sane quod beneficia de iurepatronatu laicali reservationibus non sint obnoxia, superius ex Riganti adnotatum fuit; et quod concursui non subiaceant, licet agatur de praebendis alioquin per concursum conferendis, probatur ex Tridentino *cap. 18 sess. 24,* ubi de parochialibus, haec cauta leguntur: « Quod si iurispatronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono praesentatus fuerit, ab eisdem deputatis ut supra examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti. » Ergo in iurepatronatu laicali

prius praesentatio fit, dein examen minime vero concursus. Atqui disciplina pro parochialibus statuta ex *const. Pastoralis officii* etiam pro poenitentiaria providenda observanda est.

Quod vero iuspatronatus mixtus, licet inaequalis sit mixtura, ut aiunt, et praeponderent ecclesiastici, nihilominus laicali aequiparetur et immunis sit a reservationibus hodie, quidquid olim fuerit, explorata res est usuque, ceu videtur, recepta. Ad rem sufficiat citasse Riganti, qui merito princeps in hac explananda materia censetur, quique, relata sententia quae docet mixtum patronatum ecclesiastico quandoque aequiparari, ita ad *reg. 9. p. 1* § *2. n. 362.* prosequitur: « Adversus hanc sententiam late insurgit Amaydenus *De styl. ap. Dat. c. 15. n. 97.* ubi respondet omnibus rationibus in contrarium, et ait, resolutum fuisse a S. C. Concilii, explosa antiqua opinione, idque comprobari ex stylo Cancellariae... Et de nova praxi introducta non derogandi iuripatronatus mixto, quamvis pro maiori parte ad ecclesiasticos spectanti, et pro minori, *seu minima*, ad laicos, praeterquam in casu obitus naturalis beneficiati apud S. Sedem, testatur Pitonius *Discept. eccles. 3. n. 6.* ubi eam sanctissimam appellat, ne alias laici retrahantur a fundatione ecclesiarum et beneficiorum. Et hanc sententiam late etiam tuetur Card. De Luca *Disc. 65. n. 32. disc. 59. n. 23.* » Gemina habet Benedictus XIV, *De Syn. Dioec. lib. IV. cap. 8. n. 9.* « Dubitabant olim DD. an idem statuendum esset de Ecclesia parochiali quae sit iurispatronatus mixti, et S. C. 5 Febr. 1628 ne iura laici ob consortium cum ecclesiastico ulla ex parte laederentur declaravit, neque ad eiusmodi Ecclesiae collationem necessarium esse examen per concursum... » Quibus subscribit etiam Fagnanus ad *cap. Cum propter de Iurepatr. n. 59.* cum aliis praesertim recentioribus, communiter. Et suffragatur etiam iuridica ratio, ne scilicet privilegia laicis patronis reservata ex communione cum ecclesiasticis minuantur.

At insuper in themate consideranda sedulo sunt specialia

verba quae in episcopali erectionis bulla continentur, nempe: « Eis dignitatibus et canonicis... ius praesentandi...; nobis, ait Episcopus, tam hac prima vice, quam quoties illos dignitatem et canonicatum, de cetero perpetuis futuris temporibus ex cuiuscumque persona, etiam apud Sedem Apostolicam quandocumque et qualitercumque in quibuscumque anni mensibus vacare contigerit, unam tantum ex tribus personis idoneis per nos et successores nostros antea designandis... instituendam ad praesentationem huiusmodi reservamus. » Porro si ipsa beneficia de iurepatronatus ecclesiastico non subiacent reservationibus, quando fundator in limine fundationis conditionem apposuit illarum reservationum exclusivam (ceu expresse et cum communi docet Riganti ad *reg. 9, p. 1. num. 162;* a fortiori exemptum ex fundatoris voluntate manere debebit beneficium quod mixti patronatus est. Accedit quod reservatio potissimum exclusa intelligitur, iuxta Riganti *loc. cit. num. 162-172*) « si fundator mandaverit quod praesentatio spectet *ad Abatem, et non alium vel alios*... Idemque si dictum fuerit *non ei posse entrare altro superiore*... Rursus censetur exclusa reservatio ex dictionibus *semper, omnia in perpetuum*... Et ex eadem ratione exclusa censetur reservatio si in fundatione impertita fuerit facultas patronis praesentandi, *toties quoties* beneficium vacare contingerit; quemadmodum si dictum fuisset quod praesentarent, *quandocumque et quotiescumque*. » Quod quidem intelligendum tunc maxime est « quando fundator beneficium fundavit de suis propriis bonis. » Atqui haec omnia amussim verificantur in themate ceu ex erectionis bulla in allegato loco illico scatet. Ergo tute concludi posse videtur poenitentiariam in themate ab apostolicis reservationibus ex peculiari fundatoris voluntate fuisse subtractam.

At quaeri forte posset, num saltem in hoc casu et ex hac speciali circumstantia, quia scilicet intra utile tempus provisio per ordinarium collatorem facta non fuit, idest ratione devolutionis, ad S. Sedem poenitentiariae provisio spectet: siquidem etsi concedantur sex menses patronis pro fa-

cienda praesentatione, et hac non secuta, sex alii Episcopo ad liberam collationem peragendam, elapsi tamen inde a multo tempore isti termini essent. Verum notandum est statim post vacationem Episcopum non abstinuisse ab indicendo etiam atque iterum concursu qui putabatur necessarius; et cum hic remansisset desertus, inde a mense Novembri recursum ad S. C. C. fuisse factum pro dispensatione a qualitatibus tum ex iure communi, tum ex fundatione requisitis, et hac obtenta die 3 Decembris, Episcopum tres candidatos sine mora capitulo proposuisse, adeo ut electionis a capitulo faciendae tractatus sequerentur intra sex menses insequentes; at mense Maio novus fiebat recursus ad S. C. C. ut solverentur difficultates enatae circa valorem praesentationis per vota dumtaxat relative maiora factae; insuper dubitabat Episcopus, num sibi vel Sanctae Sedi collatio pertineret. Cum ergo in his nulla appareat negligentia, immerito hic videretur locum habere devolutio, quae, ut ait Fagnanus, *De concess. Praebendae, c. Nulla, n. 33,* tunc unice habet locum, quando « is ad quem spectat collatio distulerit conferre per negligentiam; secus si per impotentiam iuris vel facti etiam culpa contingentem. »

His quoad primum punctum adnotatis, prout quaestionis gravitas et implicatio exigebat, ad reliqua ventum est. Et relate ad validitatem electionis, capitulares sustinent, neminem fuisse rite ac valide electum, quia nemo consequutus est duas votorum partes, iuxta peculiarem capituli legem, nemo maioritatem absolutam; sed tantummodo relativam. At observandum est, quod, quidquid sit de generali capituli lege, quae exigit ut pro expediendis capitularibus negotiis duae partes suffragantium conveniant, in casu de quo agimus adest lex particularis, in ipso beneficii fundationis limine lata, ad quam idcirco unice attendendum est. Atqui haec lex vult, ut is electus habeatur qui maiora vota reportaverit. Ergo duae partes ad electionem efformandam non possunt requiri. Quae res liquet; at non ita ubi inquisitio fiat de quanam maioritate fundator loqui voluerit, an scilicet quaestio sit

de maioritate *absoluta*, adeo ut is dumtaxat electus habeatur in quem maioritas, idest plus quam medietas omnium suffragantium convenerit; an potius de maioritate *relativa*, adeo ut electus is habeatur qui inter complures candidatos plura quam ceteri vota obtinuerit, licet nec excesserit, nec attigerit medietatem votorum omnium, actu suffragantium.

Porro si quaestio iuxta commune ius in ordinariis electionibus obtinens, definienda esset, profecto ea tantummodo maioritas attendenda esset quae *absoluta* vocatur: et ideo in themate cum nemo hanc maioritatem obtinuerit, nemo habendus esset electus.

Vicissim vero stat quod fundator iusserit tres proponi, et inter eos illum electum haberi qui maiora suffragia reportaverit: cum autem verba generalia generaliter sint intelligenda sive absolute sive relative vota maiora habeantur, verificari videtur conditio a testatore apposita. Imo, cum inter tres propositos verificari debeat scrutinium, iam videtur ex hoc ipso circumstantiae puncto non posse sermonem esse nisi de maioritate relativa; eo vel magis quod hac ratione facilior evaderet electionis terminus; dum, si maioritas absoluta necessaria foret, difficilis et quandoque impossibilis, ceu in themate, evaderet electio.

Demum nec dici proprie et precise potest huic interpretationi ius esse contrarium. Nam hic de electione proprie dicta non agitur, sed de designatione subiecti per plures patronos praesentandi. Porro quoad hanc expresse statuit Innocentius III in *cap. Quoniam 3 de Iurepatr.* « ut si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille praeficiatur Ecclesiae, qui maioribus iuvatur meritis et plurimorum eligitur et approbatur assensu. » In cuius loci explanatione haec habet Fagnanus *n. 13:* « Quarto nota ibi - *et plurimorum approbatur assensu.* - Praesentationem factam a maiori parte patronorum, etiam respectu minoris, validam esse, licet non sit facta a maiori parte omnium, ... et ita intrepide esse tenendum per hanc Decretalem dicunt Io. Andr. et Cardinal. post Vincent. et Bernard. Compostellan.,

Rota *decis. 563 num. 2.* apud Farinacium *part. I Recentiorum.* »

Quoad tertium, scilicet, in hypothesi quod facta electio fuerit nulla atque invalida, utrum Episcopus novos candidatos capitulo proponere teneatur, dicendum videtur id exigi ex fundatoris lege, qui hac ratione poenitentiariae provisionem fieri iussit, ut scilicet Episcopus proponeret, et capitulares eligerent ac praesentarent. - Verum quum Episcopus ex parte sua fecerit quod sibi praestandum erat: et, si nemo electus fuit, per capitulum solummodo id steterit: hinc videtur applicari optime posse principium a Fagnano laudatum in *cap. Cum propter De iurep.*, quod ita est: « non factam in tempore praesentationem, collatio sit ad Episcopum libere devoluta. »

Accedit quod bene observat Episcopus, nempe quod si nemo ex tribus presbyteris ab Ordinario propositis eligeretur, dignitas ipsius damno afficeretur haud levi, eoquod sors quae sequuta est primam ternam, sequi posset etiam secundam, tertiam, quartam. Sane si capitulum posset exigere ut novi candidati sibi iterum iterumque proponantur, ad nihilum redigeretur facultas Episcopo facta, tres proponendi et in irritum quoque cederet obligatio capituli eligendi inter tres ab Episcopo propositos.

De cetero quum capitulum, etsi aliquod ius haberet, nihilominus rem omnem in Episcopi manus commiserit, ut ipse pro lubitu provideret, hinc non videtur quoad hoc gravis esse, saltem in casu, difficultas.

Ad ultimum tandem, nempe quoad dispensandum ut praeter sacerdotes pratenses quilibet dioecesanus eligi ad beneficium possit, patet hanc gratiam non peti nisi in hypothesi quod invalida fuerit praecedens electio. Itemque si provisio ab Episcopo seorsim a capitulo iure devolutionis fiat, iterum gratiae concessioni non videretur esse locus. Etenim cum Episcopus tres candidatos iam ab initio capitulo proposuerit, eosque suo iudicio dignos, praevia apostolica auctoritate ex rescripto scilicet diei 3 Decembris 1887, electos quos cives

fuisse suadet ea circumstantia, quod nonnisi modo ab hac conditione dispensatio petatur, hinc videtur Episcopus decenter hodie non posse reprobare quos antea probaverat, sed si poenitentiariae provisio ab uno Episcopo dependeat, unus ex his esse eligendus qui antea propositus fuerat, dignus fuerat habitus et erat civis.

Quod si non ab Episcopo ex se iure devolutivo poenitentiariae provisio debeat fieri, sed nova trium candidatorum praesentatio necessaria iudicetur, utrum limites ampliari et etiam extra civitatem idoneos ministros eligi deceat, idque permittendum esset, prudentiae EE. PP. definire remissum fuit.

Quibus animadversis proposita fuerunt dirimenda

Dubia

I. *An et quomodo poenitentiariae provisio ad S. Sedem spectet in casu.*

II. *An is qui suffragia, relative maiora, obtinuit, valide a capitulo electus haberi debeat in casu.*

Et quatenus negative.

III. *An tres novi candidati ab Episcopo capitulo proponi debeant in casu.*

Et quatenus affirmative

IV. *An locus sit dispensationi, ut in candidatorum albo alii ac cives recenseantur et eligi possint in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 7 Septembris 1889, hoc dedit responsum: *ad I negative in omnibus: ad II affirmative; in reliquis provisum.*

MONTISFALISCI

QUOAD INTERVENTUM AD CAPITULA

Die 7 Septembris 1889.

Sess. 22 cap. 1 De reform.

Compendium facti. Cardinalis Laudisius, actu inter vivos, de duobus suis fundis eum in finem disposuit, ut duabus dignitatibus capitularibus in sua cathedrali ecclesia Montisfalisci, iam existentibus, adiiceretur et tertia sub nomine Archipresbyteratus. Quamvis autem novae huius praebendae reditus essent a capituli reditibus omnino separati et distincti, attamen fundator de capituli consensu, in erectione, quae locum habuit die 28 Aug. 1637, novam dignitatem omnes gradus et honores capitulares habere, et inter alia, haec quoad interventum ad capitula speciatim cauta voluit: « Quod, archipresbyter, habeat etiam vocem in capitulo in his rebus et negotiis dumtaxat quae non respiciunt interesse capituli, cum habeat ipse et habere debeat suam praebendam separatam, et consequenter etiam reditus separatos a reditibus capituli. In aliis vero rebus et negotiis quae non respiciunt interesse capituli, et praesertim in rebus honorariis, puta in electionibus, nominationibus, praesentationibus et similibus ac in aliis actibus non continentibus interesse particulare ipsorum canonicorum et aliorum capitularium, habeat vocem in eodem capitulo prout habent singuli canonici. »

Nuper vero, idest die 13 Martii 1887, contigit, ut, cum ad votum edendum super instantia canonici Constantini coadiutorem poscentis, capitularis conventus haberetur, archipresbyter invitatus non fuit; qui idcirco reclamavit. At paulo post iterum, acto conventu pro re discutienda, quae, iuxta eumdem archipresbyterum, interesse antiqui capituli non respiciebat, hic iterum omissus est. Qua de causa mense Aprili 1887 ad S. C. C. provocavit, ut in suorum iurium possessione conservaretur.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, audito etiam capitulo, haec, inter alia respondit: « Post citata decreti

erectionis verba, adhuc dubitari non posse videtur de bono archipresbyteri iure interveniendi in omnibus capituli conventibus, iis dumtaxat exceptis, in quibus de interesse capituli, seu de eiusdem bonorum administratione pertractari debet. »

Capitulum vero textum capitularis deliberationis remisit, quae ita est: Dominus Decanus ait, Archipresbyterum protestasse, eo quod non fuerit vocatus ad Capitulum diei 13 Martii, in quo actum fuit de supplici libello canonici Costantini ad obtinendum directo coadiutorem, et hac non obstante protestatione, vocatum non fuisse ad praesens capitulum; censebatque iura archipresbyteri tali ratione non minui, eo quod agebatur de simplici informatione, minime vero de electionibus, aut collationibus: neque exemplum reperiri temporibus actis de interventu Archipresbyteri ad eiusmodi comitia.

Disceptatio Synoptica.

Defensio Capituli. Capitulum pro re declaravit, sese pro certo habere, Archipresbyterum adesse posse nedum comitiis electionum, sed etiam comitiis praeliminaribus ad ipsam electionem; iuri eiusmodi tamen adversari contrariam consuetudinem, evictam per libros capitulares, longo ex tempore; ceterum capitulum ipsum sponte excepturum iudicium S. Congregationis.

Defensio Archipresbyteri. Vicissim archipresbyter ait: sua rationum momenta inniti decreto erectionis. Exhiberi poterit, haud inficiam, aliquod factum pro quo antecessores mei vocati non fuerint ad comitia; sed animadvertendum est, alios decanos ordinarie fuisse etiam Vicarios generales, et ob hoc facili modo potuisse sopire quaerimonias et praepedire recursus. Et in alia epistola, missis iis quae respiciunt peculiares ac personales causas, ob quas archipresbyter conqueritur se exclusum fuisse a conventu die 13 Martii, ita quoad iuridicum quaestionis punctum adiecit actor: evinci omnino non posse, Archipresbyterum vocatum fuisse,

vel minime ad comitia capitularia in quibus de informationibus actum fuerit: nam ex ratione qua vocatio pridie facta fuit colligi nequit an Capitulum coadunatur ad sua agenda negotia vel alia. Et quoniam quum indicitur capitulum, absque ullo additamento, censendum est, comitium locum habuisse ad aliquod agendum interesse; quatenus vero illo in comitio de aliis ageretur rebus, id factum fuisset in fraudem, et inscio Archipresbytero pro tempore, cuius per hoc effugium iura laedi nequibant.

Porro ex hucusque adductis patet, universam quaestionem ad consuetudinem reduci. Pacificum enim est inter partes, fundationis tabulas archipresbytero favere, eique procul dubio ius praebere interveniendi omnibus capitularibus coetibus, iis dumtaxat exclusis in quibus de interesse seu de negotiis temporalibus, antiquam massam et capitulum respicientibus, agitur.

Controversia vero huc perducta, in primis animadvertendum est, ad acta relatos non esse libros capitulares ad quos canonici provocant, nec aliquod qualecumque eorum excerptum, ex quo consuetudo archipresbytero adversa evincatur.

Et quamvis archipresbyter videatur aliquos consuetudinis casus sibi contrarios admittere; attamen simul ipse asseverat, paucos ac raros hosce fuisse et insuper *in fraudem* et *inscio archipresbytero* attentatos, ac tandem aequo animo hanc rem haud fuisse tolleratam. Quod si archipresbyteri pro tempore, iniuriae quandoque sibi factae acrius non restiterunt, notandum est praeteritos decanos fuisse eodem tempore etiam Vicarios generales, qui sic quaerimonias sopire facilius valuerunt, et recursus praepedire.

Verum ne archipresbyter quidem positivis argumentis probat quod tuetur. Episcopus autem a dicendo abstinet, nec ingredi hanc provinciam et definire utrum et quousque vera vel falsa quoad praetensam consuetudinem affirmentur, ullatenus voluit.

Unde tandem in eo sumus, ut cum de consuetudine sit quaestio, de consuetudinis existentia aut natura nullum ex-

hibeatur documentum. De cetero cum ad adimenda iura et possessiones, ex iusto et nativo titulo alicui competentia, debeat consuetudo in linea praescriptiva plene probari; et cum aliunde ipsum capitulum videatur de consuetudine archipresbytero adversa non plene confidere; - nam licet ad eam provocaverit, attamen sollicitus haud fuit ad eam evincendam, sed sapienti S. C. C. discretioni rem universam commisit - iam iudicent EE. VV. quid in themate statuendum sit. Dici namque non immerito posset, iis verbis, Capitulum sese omnino remitti iudicio S. Congregationis Concilii, capitulum nuncium misisse liti, et non insistere in praetensi sui iuris defensione.

De cetero si aliquid amplius addi liceret, recoli posset, iuridicum quaestionis punctum hoc esse, nempe capitulum contendere se usu coepisse, seu praescripsisse, ius excludendi archipresbyterum a quibusdam capitularibus coetibus, ad quos, iuxta fundationis tabulas, facultatem interveniendi haberet.

Iamvero usucapi haec iura legitime posse nemo est qui ambigat, dum scit omnia privata iura ac bona, etiam ecclesiastica, usucapi seu praescribi ex possessione, aut quasi possessione, certissime posse. *Cap. 5, 8, 10 De praescr.* At ut usucapio admittatur necesse est probari, possessionem iuris fuisse pacificam, idest absque vi, manifestam idest non clam, continuam, tempore completam et pro rebus ecclesiasticis 40 saltem annorum spatio productam, ac demum bona fide et ex iusto vel colorato titulo retentam. Reiffenstuel ad *h. tit.* cum communi. Porro facile haud est quod capitulum evincere possit in casu, usucapionem praescriptionemque suam omnibus his requisitis fulciri. At insuper cum interventus ad coetus capitulares considerari possit ut res facultativa; et cum « res merae facultatis praescribi nequeant, nisi unius prohibitio et agentis patientia accesserit » *lib. 2 c. De serv.*, Heinecius *ad tit. De usurp. et usucap., n. 215* ; iam capitulum ut aliquid contra archipresbyterum proficeret, ostendere insuper deberet, se aliquando a capitularibus coetibus archipresbyterum clare et explicite prohibuisse, et hunc vi-

cissim acquievisse, et huiusmodi rerum statum sin minus a 40 annis subsistere. Porro hoc difficilioris adhuc probationis videtur.

Quin imo supponi concinne non potest, quod si ante hos 40 annos praefata peremptoria prohibitio et subsequa archipresbyteri acquiescientia in themate contigisset, ad eam explicite atque in terminis non provocavisset capitulum, eamque coram S. C. C. non proposuisset. Quae tamen omnia, ut patet, nonnisi hypothetice sunt dicta.

Quibus praenotatis propositum fuit diluendum

Dubium

An archipresbyter ius habeat interveniendi ad omnes capitulares coetus, in quibus agitur de rebus honorariis, electionibus, nominationibus, praesentationibus et in aliis actibus non continentibus interesse particulare veterum canonicorum in casu.

Resolutio. Sacra Concilii Cong. re discussa sub die 7 Septembris hoc dedit responsum: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

REGIEN.

MISSAE CONVENTUALIS

Die 7 Septembris 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Cathedrale Capitulum regiense exponit, se ab immemorabili consuevisse diebus semiduplicis aut duplicis minoris ritus missam conventualem absque cantu celebrare. Putat autem, id ex apostolico indulto derivare; nam supponi aeque non potest, tot Episcopos tamdiu hanc praxim, nullo legitimo titulo innixam, tolleravisse. Quod si in praesentiarum in capituli tabulario apostolici indulti memoria non reperiatur, id forte evenisse aut ex antiquo ar-

chivii incendio sub finem saeculi XVII, aut ex nova eius eversione gallicae invasionis tempore, huius saeculi initio.

Nuperrime enim Episcopo, sacram visitationem in cathedrali obeunte et titulum huius praxis exquirente, de hac re paululum gravius disceptatum est.

Videbatur enim Episcopo, sicut et amodo ipsi videtur, inolitam consuetudinem non posse aliter explicari quam ex remissa observantia doctrinae canonicae et liturgicae penes totam Dioecesim: eo vel magis quod in antiquis constitutionibus nihil reperiatur de hoc supposito privilegio. Quinimo in propositione novarum constitutionum edendarum anno 1856, quae tamen adhuc editae non sunt, dicebatur, quotidie esse canendam missam de Sancto et implorandam esse ab Apostolica Sede facultatem legendi secundam missam de feria, quando occurrit. Hinc videtur nullum existere antiquum privilegium.

Quapropter capitulares hortabatur, ut ad S. Sedem recurrerent. Et ipsi quidem supplici libello SSmum adierunt, sed non tam ut confirmationem pure et simpliciter obtinerent antiqui usus, quem imo renunciarunt non amplius necessitate aptum, quam ut potius hac occasione novam ampliorem que gratiam consequerentur, nempe cantus reductionem solum pro festis praeceptus; ob deminutionem canonicorum, et cantorum; ob parvam retributionem pro cantoribus; quae causa est ut magna cum difficultate ineptis suffici possint apti chorali cantui.

Episcopus autem attento quod chorus nunc vergat in conditione haud bona, capitularium preces pro gratia commendat.

Disceptatio Synoptica

Precibus obstat apertissime lex. Siquidem *(lib. 3 Decr. tit. 41, cap. II)* ita ab Honorio III iussum capitularibus invenitur: « Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis, quominus et pro anniversariis defunctorum et pro festo vel feria, secundum temporum congruentiam, solemnia celebretis. »

Itemque Benedictus XIV const. *Cum semper oblatas* commemorat ac vult « ut quotidie missa conventualis in eisdem, collegiatis ecclesiis, *canatur;* » imo ut iuxta rubricas « non » una sed binae atque etiam aliquando tres missae conven- » tuales uno die celebrentur. » Congruit recepta communisque praxis, et, quod magis est, constans S. C. C. disciplina.

Verumtamen negari non potest, quod si iustae adsint causae, ab hoc canonum praescripto dispensatio dari possit. Sic in *Firmana* 7 Iunii 1848, in *Derthonen.* 12 Septembris 1829, confirmata die 27 Iulii 1844 (apud Lucidi *tit. 1, p. 340, n. ed.)* in *Ventimilien.* 20 Decembris 1851 aliisque non paucis concessum est, ut secunda et tertia missa sine cantu celebretur.

Insuper S. RR. C. decreto 12 Novembris 1831 apud Gardellini *n. 4669 ad 20* a missa conventuali canenda ipsis diebus festis, quoties in cathedrali Episcopus missam pontificalem celebret, canonicos dispensavit. Quapropter dubitari non potest quod quoties iusta adsit causa ab hoc onere capitulares eximi possint.

Imo, quando canonici exiguis potiuntur praebendis, S. C. C. solet, ipso Benedicto XIV in sua constitutione *Cum semper oblatas* approbante, « perspecto rerum statu, quotidianam applicationem conventualis pro benefactoribus in genere ad festos tantummodo dies reducere. » Cuius indulti exempla non desunt, ceu in *Brugnaten. Missae conventualis* 22 Maii et 26 Iunii 1830, *Civitatis Plebis* 24 Aprilis 1830, *Hydruntina* 3 Martii 1860 et in *Clodien.* 4 Aprilis 1846.

Porro, a minori ad maius arguendo, si ex iusta causa licet et solet ipsa missae conventualis applicatio ad dies festos limitari, a fortiori concedi poterit, ut, firma manente applicatione, celebratio cum cantu ad festos dies coarctetur.

Utrum vero in themate iustae huiusmodi causae habeantur, et praesertim utrum hae tales sint quae suadeant dumtaxat ad dies festos de praecepto cantus obligationem esse urgendam, sapientiae EE. PP. definire remissum fuit ex iis quae in specie relata sunt.

Certe antiqua consuetudo alia erat; et cum a cantu exciperet dumtaxat dies duplicis minoris aut semiduplicis ritus, hoc ipso cavebat, ut de quibusdam solemnioribus, licet non festis, diebus conveniens ratio haberetur. Quod quidem quam congruum iustumque sit facile intelligitur, si consideretur, plures dies olim festos de praecepto fuisse, et nonnisi aut ad subveniendum necessitati aut ad occurrendum hominum malitiae Ecclesiam indulsisse ut feriales fierent: alios vero dies, ut in Paschate, Rogationibus, et Natali Domini, sacros adeo esse ut decere prorsus videretur eos ab ecclesiae ministris condigne celebrari. Aliunde hi dies complures non sunt; unde et minimum foret capitularium gravamen.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra C. Concilii re visa sub die 7 Septembris hoc dedit responsum: « *quoad consuetudinem non esse inquietandos; quoad reliqua non expedire.* »

APPENDIX VI.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

BOBIEN.

Hodiernus Episcopus Bobien. novam Appendicis Missalis pro sua Dioecesi editionem curaturus, insequentia Dubia pro opportuna declaratione S. R. C. proposuit.

In Appendice postrema edita anno 1843, Feria sexta in Parasceve, reperitur Oratio particularis pro Episcopo decantanda post Orationem pro Papa, et Oratio particularis pro Rege decantanda post Orationem pro cathecumenis. Sabbatho Sancto ad *Exultet* post illa verba *Imperatorem nostrum N.* praescribitur *una cum rege nostro N. quorum tu Deus* etc. et sub die 20 Maii legitur ex Decreto S. R. C. 11 Iunii 1815 ob regressum Regis in sua dominia, decantandam esse in Cathedralibus alteram Missam pro gratiarum actione et in omnibus Missis lectis addendas esse Orationes pro gratiarum actione et ad poscenda suffragia Sanctorum. Hinc.

Dubium I. An in Missa Praesanctificatorum Orationes particulares pro Episcopo et pro Rege canendae sint, cum de approbatione ac apostolica venia non constet, et obstare videatur Decretum S. R. C. 11 Septembris 1847 Alben.?

Dubium II. An Sabbatho Sancto ad *Exultet* loco verborum *Imperatorem nostrum N.* canendum est *Regem nostrum N.*, cum pariter de approbatione ac apostolica venia minime constet?

Dubium III. An Missa solemnis et Orationes in Missis lectis, prout ex Decreto citato 14 Iunii 1815, adhuc decantandae et recitandae sint, cum fere in omnibus Pedemontanis Dioecesibus (ut etiam in hac Bobien. pluribus abhinc annis) id amplius non observetur?

Et eadem Sacra Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis sic rescribere rata est:

Ad I. II. ac III. Nihil innovetur. Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 9 Maii 1884.

CONGREGATIONIS
CLERIC. REGUL. EXCALCEAT.
SS. CRUCIS
ET PASSIONIS D. N. I. C.

Hodiernus Redactor Kalendarii annui pro divino officio persolvendo sacroque celebrando in usum Congregationis Clericorum Regularium Excalceatorum SSmae Crucis et

Passionis D. N. I. C. Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit:

Dubium I. Quum Congregatio praedicta ditata sit privilegio Officii votivi Septem Dolorum B. M. V. quolibet anni Sabbatho non impedito, quaeritur utrum Oratio in Missa debeat respondere Orationi ipsius Officii, an alia Oratio *Interveniat* usurpanda sit ut in Missali Romano secundo loco?

Dubium II. Quando Officium votivum, quod propria gaudeat in in Hymnis conclusione, concurrat cum Duplici, quaeritur num dicta conclusio locum habere debeat in hymno Completorii ipsius diei, in quo Officium votivum persolutum fuit?

Dubium III. An ii omnes de Clero qui Romae degunt, sed Kalendario ac Proprio in usum Cleri ipsius Urbis haud utuntur, debeant recitare Officium votivum SS. Petri et Pauli App. Feriis tertiis liberis, vel alterum de Apostolis Ecclesiae universali concessum?

Dubium IV. Quando Dominica I. post Octavam SS. Petri et Pauli App. occurit Duplex minus, debet nec ne hoc locum cedere festo Commemorationis omnium SS. Romanae Ecclesiae Summorum Pontificum, quod sub ritu pariter duplici minori affixum est Dominicae primae non impeditae post praedictam Octavam?

Dubium V. Utrum festa mobilia Maternitatis et Puritatis Deiparae Dominicis affixa transferri possint?

Dubium VI. In Officio S. Hilarii Episcopi Conf. et in Ecclesiae Doct. Lectiones I. Nocturni sunt ne de Scriptura occurrente, an de Communi Doctorum *Sapientiam*?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. Debet respondere Oratio officii.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad IV. Negative.

Ad V. Absque privilegio transferri nequeunt.

Ad VI. Lectiones I. Nocturni sunt de Scriptura occurrente. Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 9. Maii 1884.

NICOSIEN.

Rmus Dnus Bernardus Cozzucli hodiernus Episcopus Nicosien. S. R. C. insequentia dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An possit Episcopus permittere ut functiones omnes Hebdomadae maioris fiant in Ecclesiis omnibus, in quibus SSmum Eucharistiae Sacramentum asservatur, licet renuente Parocho, cui eaedem Ecclesiae subiectae sunt?

Dubium II. An Feria V. in Coena Domini possint Parochi praeter ius relativum ad adimplementum praecepti paschalis, sibi alia iura vindicare quoad Ecclesias exteras intra parochialem iurisdictionem existentes?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, propositis dubiis ita rescribere rata est:

Ad I. Affirmative, dummodo tamen horis diversis fiant sacrae functiones, ne Fidelium concursus ad Ecclesiam Parochialem impediatur.

Ad II. Provisum in primo. Atque ita rescripsit. Die 9 Maii 1884.

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI

Rmus P. Fr. Bernardinus a Portu Romatino minister generalis totius Ordinis Minorum, S. R. C. humiliter exposuit:

In Conventu S. Columbae V. M. Molleani Ordinis Minorum, die 31 Decembris Festum Titularis propriae Ecclesiae semper est celebrandum. Quare eodem die de S. Silvestro Papa Conf. ibidem hucusque semper fiebat per modum Simplicis. Quia autem secundum novas Rubricas generales de duplici ad ritum simplicem redacto, deinceps fieri nequit Commemoratio in ritu duplici primae classis ignoratur, quomodo in praefato Conventu agendum sit quoad Festum S. Silvestri. Hinc eidem Sacrae Congregationi insequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit nempe:

Dubium I. Utrum in casu Festum S. Silvestri perpetuo omitti debeat nec ne?

Dubium II. An prima die libera ante diem 31 Decembris, quae in Kalendario praefati Conventus est die 9 Decembris, sit anticipandum?

Dubium III. Num celebrari valeat die 30 Decembris cum commemoratione Dominicae infra Octavam Nativitatis Domini?

Dubium IV. An demum Festum Titularis in diem 30 Decembris transferri, et Festum S. Silvestri in die 31 Decembris relinqui possit?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditoque voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus propositis dubiis ita rescribere rata est:

Festum S. Silvestri S. C. fixe in diem 30 Decembris transferatur cum commemoratione Dominicae. Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 9 Maii 1884.

SALERNITANA.

Capitulum metropolitanae Ecclesiae salernitanae S. R. C. duo insequentia dubia pro opportuna

resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Ex veteri consuetudine Canonici ipsius Ecclesiae in Festo Annuntiationis B. Mariae V. etiamsi infra Quadragesimam occurrente, choralibus insignibus rubri coloris uti solent. Quaeritur, num attenta recentiori Rubrica quoad festum S. Ioseph Conf. B. M. V. Sponsi adhiberi debeant in casu insignia coloris violacei aut rubri?

Dubium II. Iuxta Constitutiones Capitulares iidem Canonici quotannis Missam de Requie cantari debent pro anima sui Archiepiscopi qui postremo decessit. Rmus vero Archiepiscopus Guadalupi hodierni Archiepiscopi praecessor, obiit postquam nuntium remiserat huius Archidioeceseos, quin tamen titulum vel curam alterius recepisset. Quaeritur num praefata Missa Solemnis pro anima antecessoris Archiepiscopi, vel pro enuntiato Guadalupi, qui obiit postremo loco, celebranda sit?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius exApostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Uti posse, facto verbo cum SSmo attentis specialibus circumstantiis et rationibus, colore rubro.

Ad II. Anniversarium celebrandum esse pro cl. me. Archiepiscopi Guadalupi. Atque ita rescripsit. Die 9 Maii 1884.

Facta autem SSmo D. N. Leoni Papae XIII ab infrascripto Secretario fideli relatione quoad primum, Sanctitas Sua benigne annuere dignata est pro gratia tam in Festo Annuntiationis Deiparae, quam in Festo S. Iosephi, eiusdem B. M. V. Sponsi intra Quadragesimam occurrentibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 iisdem mense et anno.

CAURIEN.

Hodiernus sacrarum Caeremoniarum Magister Cathedralis Ecclesiae Caurien. insequentia Dubia S. R. C. enodanda humillime subiecit, nempe:

Dubium I. Lectiones libri Machabaeorum in Dominica V. Octobris et duabus feriis sequentibus positae, saepe legi non possunt, propter festa s. Narcisi et s. Fructi ritus duplicis minoris, quae habent Lectiones I nocturni alter proprias, alter vero de communi. Quaeritur:

1. An dictae lectiones libri Machabaeorum legi possint in festis ritus duplicis minoris, habentibus, Lectiones primi nocturni proprias vel de communi adsignatas?

2. An si una tantum dies libera remaneat ad legendas Lectiones Dominicae V. Octobris Lectiones etiam feriae II. et III. sequentium

possint legi dicta die, nempe prima de qualibet die?

Dubium II. Cum in officio votivo S. Iacobi Ab. in fine codicis ss. Hispanorum posito, quod recitabatur in omnibus Hispaniarum Regnis ex indulto Clementis Papae IX, dato die 23 Iulii 1647, feria 2. cuiuslibet hebdomadae non impeditae, et recitatur hodie in feria III. loco officii votivi de SS. App. iuxta Decretum S. R. C. die 24 Ianuarii nuper transacti, non notentur Lectiones primi nocturni in Quadragesima, quaeritur: quae lectiones legendae sint pro I. nocturno in Officio votivo S. Iacobi tempore Quadragesimae?

Dubium III. In editione Officiorum votivorum per annum a S. R. C. die 14 Augusti anni elapsi edita, notatur pro feria V. Officium votivum de SSmo Eucharistiae Sacramento « ut in Appendice Breviarii Romani ». Quum autem in hac Appendice nihil dicatur circa Lectiones primi nocturni in Quadragesima; et in diversis editionibus Breviarii Romani pro III. nocturno diversae Lectiones notentur in mensibus Ianuarii, Februarii, Martii et Aprilis, quaeritur:

1. Tempore Quadragesimae in Officio votivo SSmi Sacramenti quae Lectiones legi debeant pro primo nocturno?

2. Quae Lectiones legendae sint pro tertio nocturno in Officio votivo Sanctissimi Sacramenti dictis mensibus?

Dubium IV. Cum in Officio Immaculatae Conceptionis votivo per annum concesso a S. R. C. per Decretum diei 5 Iulii anni transacti, ut recitetur singulis Sabbatis, non impeditis, extra tempus Passionis et Adventus, a die 17 usque ad 23 Decembris inclusive, non notentur Lectiones nocturni in Quadragesima et Sabbatis Quatuor Temporum, quaeritur: Quae lectiones legendae sint pro I. nocturno in Officio votivo Immaculatae Conceptionis, tempore Quadragesimae et Sabbatis Quatuor Temporum?

Dubium V. Utrum vi Brevis SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII. diei 28 Iulii 1882 censeatur suppressum Decretum S.R.C. diei 1. Martii 1685. Ord. Canonic. Regul. Lateranensium, ita ut Festum duplex minus (Sancti non Doctoris) vel semiduplex occurrens anno bissextili die 25 Februarii, in qua tunc agitur de S. Mathia, iam non transferatur ad diem immediate sequentem, redigendo ad ritum simplicis Festum duplex minus aut semiduplex occurrens?

Dubium VI. Prohibitum est a S. R. C. adhibere incensum in Missa sine ministris cantata. Cum autem in hac Dioecesi, et plus vel minus in ceteris Hispaniae Dioecesibus desideretur copia Sacerdotum, ita ut rarissimi in Ecclesiis Parochialibus (praesertim ruralibus) inveniri possint Sacerdotes ad habendam Missam solemnem cum ministris, sed tantummodo cantatam a

solo Sacerdote, et in ea adhibeatur incensum ex consuetudine fere immemoriali, quae supprimi non posset sine offensione et scandalo populi, quaeritur : An saltem ubi sit praedicta consuetudo tolerari possit usus incensi in Missis quae cantantur sine ministris sacris, si hi inveniri non possint ?

Dubium VII. Iuxta Decreta S. R. C. Capiturales omnes tenentur obedire Caeremoniarum Magistris in iis quae divinum cultum respiciunt, et in sui muneris exercitio esse Capitularium directores, non famulos, quaeritur ergo : An Magistri Caeremoniarum teneantur exquirere consensum et approbationem Capituli, ita ut non possint in Ecclesia Cathedrali exsecutioni tradere aliquod decretum S. R. C. ad cultum divinum spectans, antequam obtineant dictum consensum et approbationem? Et quatenus negative : An Capitulares praetextu alicuius consuetudinis etiam immemorialis vel praesumpto privilegio possint se tueri contra debitam observantiam decretorum, quae ipsis opponunt Ministri Caeremoniarum ut e medio auferantur consuetudines quae Rubricis vel Decretis opponuntur ?

Dubium VIII. Quando Exequiae celebrantur absente cadavere ob civile vetitum vel morbum contagiosum, sed nondum sepulto, quaeritur : An corpus retineri possit tamquam si foret physice praesens ut permittatur Missa exequialis de die obitus, quibus diebus permittitur haec Missa cadavere physice praesente ?

Dubium IX. In hac Ecclesia Cathedrali quandoque celebrantur Missae de Requie cum assistentia totius Capituli, quae tamen Missae appellantur anniversaria, licet improprie, utpote non fundata pro die obitus, quaeritur : An predictae Missae dici debeant post Nonam, vel post Primam ?

Sacra porro Rit. Congregatio exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ad relationem infrascripti Secretarii hisce dubiis maturo examine perpensis sic rescribere rata est :

Ad I. Ad utramque partem negative, et tantum Lectiones Dominicae V. in casu legendae, si adsit dies libera.

Ad II. In Officio votivo s. Iacobi Apostoli tempore Quadragesimae legendae sunt in primo nocturno Lectiones *Sic nos existimet homo* prout in Festo.

Ad III. et IV. In primo nocturno legendae Lectiones de Scriptura diei Festi, uti iam provisum in editione Romana - Ratisbonen. 1883 : pro tertio autem Nocturno Officii votivi Sanctissimi Sacramenti Ianuario et Februario ut Feria VI. infra Octavam, Martio et Aprili uti in Sabbato.

Ad V. Per Breve diei 28 Iulii 1882 minime censendum suppressum enuntiatum Decretum in

una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranen. Festa enim quae in anno communi fixa sunt diebus 24, 25, 26, 27 et 28 Februarii, in anno Bissextili eorum dies proprii sunt dies 25, 26, 27, 28 et 29 eiusdem mensis respective.

Ad VI. Negative sine speciali Indulto.

Ad VII. Negative ad primam partem; quatenus tamen opus sit, Magister Caeremoniarum antea notum faciat Episcopo et Capitulo S. Congregationis decretum; ad secundam, quatenus agatur de re gravi et rationabili, consulatur S. Congregatio.

Ad VIII. Affirmative, et detur Decretum in una Palmae in Balearibus diei 22 Martii 1862 ad primum. (1)

Ad IX. Servetur Rubrica Missalis Tit. XV *De Hora celebrandi Missam* n. 3. Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 9 Iunii 1884.

NANNETEN.

Rmus Dnus Iulius Franciscus Le Coq hodiernus Episcopus Nanneten. S. R. C. insequentia dubia pro opportuna declaratione humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. Rubrica Missalis Romani Tit. IX. n. 15 praescribit ut in Missis votivis Sanctorum Apostolorum dici debeat 2. loco Oratio *Concede* (de B. M. V.) quaeritur an id etiam locum habeat in Missis votivis quando Feriis tertiis non impeditis officium fit de Sanctis App., vel potius dici oporteat Oratio *A cunctis?*

Dubium II. An Officia votiva recitari possint in Festo S. Canuti Regis (die 19 Ianuarii) quod est ritus semiduplicis ad libitum?

Dubium III. An in Vesperis Festorum Dominicae Passionis infra Quadragesimam occurrentium nempe Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum etc. fieri debeat Commemoratio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, si de eo recitatum sit Officium votivum Feria praecedenti?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis rite perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. in Missis votivis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli dicitur altera Oratio *Concede*, in Votivis Omnium Sanctorum Apostolorum Oratio *A cunctis.*

Ad II. et III. Negative.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 18 Iulii 1884.

RATISBONEN.

R. P. Georgius Schober Sacerdos Congregationis SSmi Redem-

(1) Relata fuit Vol. III, 657 harum ephem.

ptoris et Censor Curiae Episcopalis Ratisbonen. insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum :

Dubium I. Auctores liturgici non conveniunt an in festo Pretiosissimi Sanguinis Commemoratio SSmi Sacramenti facienda sit, quoties, coram Eo exposito, Missa solemnis celebratur: alii negant quia in Orationibus SSmi Sacramenti expressa Sanguinis D. N. I. C. mentio fit, alii affirmant, afferentes Decretum S. R. C. diei 7 Iulii 1877 in una Soc. Presbyterorum Sanctissimi Sacramenti ad primum, quia Missa non versatur in eodem mysterio. Est ne facienda commemoratio SSmi Sacramenti in hoc Festo?

Dubium II. Quum in Pontificali Romano non clare dicatur, qui actus et caeremoniae iterari debeant dum plura altaria fixa in eadem Ecclesia consecrantur, quaeritur:

1. An Episcopus si post unctionem et clauso sepulchro primi altaris processerit ad altare secundum, in consecratione huius altaris iterum incipere debeat ab Oratione *Deus qui in omni loco* etc. et hanc Orationem iterare debeat quotquot altaria consecrantur?

2. Sunt ne etiam Antiphonae *Sub altare Dei* etc. et *sub altare Dei audivi* etc. ab Episcopo toties intonandae et a cantoribus cantandae quot altaria consecranda sunt?

3. Valetne etiam eadem iteratio circa orationem *Deus qui ex omnium cohabitatione?*

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative in omnibus.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 18 Iulii 1884.

VINTIMILIEN.

Rmus D. Thomas Reggio hodiernus Episcopus Vintimilien. occasione praesertim pastoralis visitationis a se peractae in Civitate Sancti Romuli ubi perantiqua existit Collegiata S. Syri Ecclesia, cuius Praepositus est etiam ipsius civitatis Parochus, ita ut penes eum tota maneat animarum cura, graves haberi quaestiones Praepositum inter et Canonicos deprehendens, ut omnia rite componantur, a S. R. C. insequentium Dubiorum solutionem poscere operae pretium duxit scilicet:

Dubium I. In Dominicis Festisque diebus, etiam solemnioribus, quibus ex Synodo dioecesana fit concio, debetne Praepositus concionem habere, absolutis choralibus functionibus, an potius inter Missarum solemnia, vel ante vespertinam Sanctissimi Sacramenti benedictionem?

Dubium II. Quum ex Bulla erectionis Collegiatae hyberno tem-

pore concedatur Canonicis praedictae Ecclesiae usus Cappae cum armellino, hic vero usus octoginta abhinc annis in desuetudinem abierit, nunc vero solus hodiernus Praepositus tribus abhinc annis, nemine reclamante, Cappam adhibuerit; quaeritur num is licite huiusmodi iure uti valeat, aliis Canonicis non utentibus?

Dubium III. In Rogationibus aliisque similibus Processionibus, in quibus choralis habitus solet assumi, quaeritur num a Praeposito qui albam et pluviale non induit, assumenda sit stola, uti Rituale innuere videtur, etsi contraria vigeat consuetudo?

Dubium IV. Quo populi pietati satisfiat contingit aliquando ut Missa coram SSmo Eucharistiae Sacramento exposito celebretur, ac post Missam benedictio cum eodem impertiatur; itemque ut in honorem Deiparae supplicatio fiat pluribus cereis accensis atque interim divinum litetur sacrificium. Quaeritur num huiusmodi functiones, quae ordinarie a Praeposito peraguntur, Rubricarum prescripto offendant?

Dubium V. Quum ex Canonicis memoratae Ecclesiae quidam dent operam, ut Praeposito in omnibus parochialibus officiis praesto sint, quoties iidem in altaris ministerio illi deserviunt, possunt ne canonicalem habitum licite induere, iuxta invectam consuetudinem?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad I. Servetur consuetudo.

Ad II. Negative, quum privilegium Collegio, non singulis concessum sit.

Ad III. Serventur Decreta.

Ad IV. Negative si rite fiant.

Ad V. Negative, et consuetudinem in casu esse omnino tollendam.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 18 Iulii 1884.

SANCTIMONIALIUM ORDINIS SANCTAE CLARAE SEU URGELLEN.

Franciscus Roca Presbyter et Confessarius Monialium Sanctae Clarae Balagarii Urgellensis Dioeceseos in Hispania exposuit S. Rit. Congregationi: in Monasterio S. Clarae Balagarii immemorialem consuetudinem existere, quo festo eiusdem Sanctae, SSmum Eucharistiae Sacramentum exponatur ita ut Ostensorium teneatur a manu dextera Imaginis ipsius Sanctae ac proinde ab eadem S. Congregatione humiliter expostulavit:

1. Utrum praelaudata consuetudo Monialium Clarissarum sit legitima?

2. Quatenus negative, postulatur suppliciter ut continuari possit de speciali gratia.

Et Sacra eadem Congregatio respondit:

Ad I. Negative.

Ad II. Non expedire; ac detur Decretum in una Lisbonen. die 23 Aprilis 1875. (1) Die 2 Aug. 1884.

VIGEVANEN.

R. D. Ioseph Precerutti Parochus Ecclesiae S. Mariae Maioris in oppido Laumelli Dioeceseos Vigevanen., de consensu Rmi sui Ordinarii, a S. R. Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime petiit, nimirum:

Dubium I. Iuxta Decretum 13 Iulii 1883 in una Petrocoricen. ad III. in Missis quotidianis de Requie, quae in plerisque Ecclsiis parochialibus absque ministris a solo celebrante cantantur, dicenda est unica Oratio. Quum tamen ex hoc Decreto non omnes dirimantur quaestiones exortae circa Orationes earumque numerum recitandas in Missis quotidianis de Requie, quae decantantur absque sacris ministris, hinc quaeritur:

1. An semper et in quocumque casu dicenda sit una Oratio in praedictis Missis quotidianis, ideoque etiam quando tantum pro iis defunctis, pro quibus parochiani infra annum eleemosynas erogare solent, vel an hoc in casu dicendae sint tres Orationes in Missali positae, uti iam cautum fuit pro Missis quotidianis lectis?

2. Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam, an Oratio recitanda debeat esse *Deus veniae largitor* vel alterutra ex duabus Orationibus positis in fine Missalis *pro pluribus defunctis,* nempe *Deus cui proprium est,* aut *Animabus quaesumus Domine?*

Dubium II. In Ecclesiis praesertim parochialibus mos viget, ut infra annum et maxime in Octiduo Defunctorum fiat pro Defunctis SS. Eucharistiae Sacramenti expositio, in qua eorumdem suffragio, ante *Tantum ergo* Psal. *Miserere* cantari solet. Quum S. R. Congregatio declaraverit die 16 Decembris 1828 et 18 Februarii 1843, tolerandam esse consuetudinem, si adsit, concludendi praedictum Psalmum cum versiculo *Requiem aeternam* etc. atque cum haec conclusio multum conferat ad excitandam magis magisque pietatem ac devotionem erga animas Fidelium Defunctorum, igne Purgatorii detentas, hinc quaeritur: An, ubi non adest, introduci possit consuetudo enuntiatae Psalmi conclusionis?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Servetur Decretum relatum in Petrocoricen. (2) et in casu

(1) Relata fuit Vol. XII, 532 harum ephem.

(2) Decretum hoc iam relatum fuit hoc volumine pag. 308.

dicatur Oratio *Deus veniae largitor.* etc.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 12 Augusti 1884.

BERGOMEN.

R. D. Canonicus Primicerius Cathedralis Ecclesiae Bergomen. de consensu sui Rmi Episcopi S. Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nempe :

Dubium I. Quum Decretum Generale S. R. Univ. Inquisit. datum 31 Augusti 1881 quoad benedictionem nuptialem, praecipiens ut eadem benedictio impartiatur extra tempus feriatum iis coniugibus qui eam *quacumque de causa non obtinuerint,* pluribus superioribus a Sacra Rituum Congregatione datis praescriptionibus derogaverit,quaeritur:

1. Tempore feriato elapso, ad impartiendam supradictis coniugibus nuptialem benedictionem celebranda ne erit Missa pro Sponsis cum eodem pro his quoque valituro Indulto quod stat pro ceteris qui ad nuptialem benedictionem suscipiendam accedunt tempore non feriato?

Aut 2. pro dicta Missa celebranda num dies eligi debeat quo Missae votivae permittuntur?

Aut 3. eritne celebranda Missa quae occurrit et in hac facienda commemoratio *pro sponsis* et ea benedictio impartienda, quae in Missali posita invenitur post *Pater noster* et ea quae post *Placeat?*

Aut 4. supradicti Sponsi qui illas benedictiones quacumque ex causa non obtinuerint tunc ne erunt advocandi ut suscipiant , cum pro novis Sponsis Missa celebretur extra tempus feriatum?

Dubium II. Ex Indulto Apostolicae Sedis prima die Maii festum recolitur Ss. Reliquiarum seu Sanctorum, quorum Corpora seu Reliquiae in Ecclesiis Dioecesis bergomen. asservantur, sub ritu duplici, nulla clausula adiecta: similiter Dominica II Iulii sub eodem ritu festum Omnium Sanctorum Romanae Ecclesiae Summorum Pontificum. Quaeritur utrum occurrens supradictis Dominicis Officium fixe assignatum ritus respective aequalis sit transferendum et illud Ss. Reliquiarum vel Ss. Summorum Pontificum recitandum?

Dubium III. Bouix in suo Tractatu de Capitulis (Par. 3. c. I. ss. I. Punct. 11. n. 7.) dicit: Quando Episcopus ad Cathedralem pontificaliter accedit, aspersorium ei a prima Dignitate Capituli Cathedralis esse porrigendum multoties decisum est. At vero quando ad aliam Ecclesiam, assistente Cathedralis Capitulo, accedit, aspersorium non a digniori de Cathedralis Capitulo, sed a Superiore Ecclesiae, ad quam accedit, est porrigendum: quod a Sacra Rituum Congregatione videtur decisum. Hinc quaeritur an

supradicta sententia S. R. C. illis derogaverit decretis datis 18 Ianuarii 1653 et 6 Aprilis 1680 quibus declaravit: In processionibus fieri solitis in die S. Marci et rogationum aspersorium debere porrigi per digniorem ex Capitulo Cathedralis quando capitulariter et cum indumentis canonicalibus proceditur?

Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris omnibus mature perpensis ita propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Satis provisum per memoratum Decretum Generale, in quo edicitur Missam in casu esse celebrandam iuxta Rubricas.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative et Decreta pro opportunitate serventur.

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit. Die 18 Augusti 1884.

LUNEN. SARZANEN. ET BRUGNATEN.

Hodiernus Vicarius Generalis Dioecesis lunen. sarzanen. et brugnaten. insequentia Dubia S. Rituum Congregationi declaranda humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An Officia Cathedrae s. Petri Antiochiae, s. Gabrielis Archangeli, et s. Benedicti Ab., quae ritu gaudent Duplicis maioris, in occurrentia et concurrentia praeferenda sint Officiis Mysteriorum et Instrumentorum Dominicae Passionis sub eodem ritu recolendis?

Dubium II. An vigeat adhuc prohibitio celebrandi Missam in Oratoriis privatis die festo Annuntiationis B. M. V. itemque Missam de Requie canendi praesente cadavere die Nativitatis s. Ioannis Baptistae, qui dies in albo festorum per Breve Apostolicum suppressi sunt?

Et sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, ita hisce Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad tramitem Decreti die 6 Augusti 1831 concessionis eorumdem Officiorum.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 18 Augusti 1884.

NAXIEN.

Rmus Dñus Iosephus Zaffino Archiepiscopus Naxien. a S. R. C. insequentium Dubiorum solutionem humillime exquisivit, nimirum:

Dubium I. Utrum prohibitum sit Episcopo, qui cappa magna indutus adsistit Missae solemni coram SSmo Sacramento exposito, more solito ante ultimum Evangelium Missae benedictionem populo impertiri; quum in Metropolitana Ecclesia Naxiensi vigeat consuetudo qua benedictio in eiusmodi Missis detur a sacerdote celebrante, nec ne?

Dubium II. Decet ne quod Episcopus cappa vel pluviali indutus

adsistens sacris functionibus, in quibus a Sacerdote celebrante benedictio datur cum SSmo Eucharistiae Sacramento, his expletis, episcopalem benedictionem populo impertiantur, uti in nonnullis Graecis dioecesibus obtinet?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita rescribendum censuit:

Ad I. Benedictionem in Missa solemni etiam exposito SSmo Sacramento non a celebrante, sed ab Episcopo in throno eidem Missae cappa vel pluviali induto, assistente esse dandam.

Ad II. Benedictionem Episcopalem in casu prorsus non decere.

Atque ita rescripsit. Die 12 Septembris 1884.

NERITONEN.

Rmus Dnus Michael Mautone hodiernus Episcopus Neritonen. S. R. C. exposuit quod ob Religiosarum Familiarum suppressionem in Civitate Neritonen. Fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Reformatorum, etsi nequeant cohabitare in coenobio adnexo propriae Ecclesiae sub titulo s. Antonii, in hoc tamen sacras de more functiones peragunt eo vel magis quod sodalitium Tertii Ordinis ipsius s. Francisci, ac pia Unio sub invocatione Deiparae Perdolentis ibi sedem habeat. Exinde tamen nonnulla dubia orta sunt circa exequias, cuinam scilicet Parocho et Capitulo Ecclesiae Cathedralis, vel ipsis Religiosis ius spectet celebrandi exequias Defunctorum ad eas sodalitates pertinentium, quorum cadavera idcirco in Ecclesia s. Antonii deferuntur. Quare idem Rmus Episcopus ab eadem Sacra Congregatione insequentium Dubiorum solutionem humillime petiit, nimirum:

Dubium I. Cuinam ius competat Exequias celebrandi in Ecclesia praedicta, Fratribus ne quorum propria est Ecclesia, vel Parocho et Capitulo Ecclesiae Cathedralis?

Dubium II. Exequiis in eadem Ecclesia Regulari absolutis, possunt ne iidem Religiosi (absque superpelliceo et stola) ceterique Confratres ad coemeterium deferre cadaver, quando a Defuncti parentibus Parochus ad id non invitatur?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. In casu ius Exequiarum spectare ad Religiosum Rectorem Ecclesiae Regularis, salvis iuribus Parocho competentibus.

Ad II. Affirmative, sub conditione quod Sacerdos e Religiosis superpelliceum et stolam induat: dummodo tamen non obstet peculiaris aliqua praescriptio dioecesana.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 12 Septembris 1884.

BULLA qua fundatur Dioecesis Luganensis in Helvetia.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

Ad universam catholicam Ecclesiam Romanus Pontifex, quem constituit Dominus super familiam suam ex debito apostolici ministerii paternam sollicitudinem sedulo dirigens, interdum nonnulla disponit, quae commissarum sibi animarum aptiori directioni, earumque spirituali bono ac utilitati in Domino existimat salubrius profutura. Sane ardua et multis difficultatibus implexa spiritualium rerum ordinatio in Helvetico Ticini pago quam iamdiu Apostolica Sedes urgebat, non minus in religionis provectum et utilitatem animarum, quam ut per regularis ecclesiastici regiminis constitutionem haec perennis fieret et solida, id divinae providentiae Nostris curis concedere placuit per solemnem conventionem habitam die decima sexta mensis Martii proxime elapsi inter Legatum Apostolicae Sedis venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum Ferrata archiepiscopum titularem Thessalonicen. et Nuntium Apostolicum Bruxellensem, et Legatos supremi Consilii Foederalis Helvetici, et deinde solemniter ratam habitam et subscriptam ex parte supremi Consilii Foederalis Helvetici die quarta insequentis Iulii a dilecto Filio Nostro Vice-Praeside eiusdem Consilii Foederalis Helvetici, et a Confoederationis Cancellario; ex parte autem Sanctae Sedis per Nos ipsos die decima tertia eiusdem Mensis. Quoniam vero propitius difficilis huius compositionis exitus magna ex parte tribuendus est ingenuae illi amicae et pronae animi comparationi, qua supremum Helveticum Consilium ad rem agendam accessit, id ultro paternum Nostrum amorem studiumque erga Helveticos magis magisque succendit. Et nova praeterea iucunditate conspersit eventum religiosa pietas dilectorum pariter filiorum Metropolitani Mediolanensis templi Canonicorum, qui spiritualem utilitatem Ticinensis populi praeferentes proprii honorificis iuribus, submoturi quamcumque a re perficienda dubitationem, non modo dum agi coepit de nova Ticini Dioecesi constituenda, nihil

protulerint de iure, quo ab aliquot saeculis pacifice utebantur, uti Comites trium Ticini Vallium, providendi quinquaginta quatuor ex illis paroeciis et conferendi alia quoque ecclesiastica beneficia; sed imo postea et verbis et scriptis omnia haec cura sua diserte abdicarunt. Omni itaque difficultate remota, cunctis quae in huiusmodi negotiis sunt animadvertenda rite perpensis, maiori Ticinensis Pagi animarum utilitati ac commodo quantum in Nobis est providere volentes, nec non omnes et singulos quibus praesentes Nostrae litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ad rem iuxta conventa perficiendam Motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, haec quae sequuntur decernimus. Ac primo quidem Parochialem et Collegialem Luganen. a Sancto Laurentio nuncupatam Apostolica auctoritate in Cathedralem perpetuo erigimus, atque uti talem declaramus, ita ut ipsa ex nunc deinceps Cathedralis nuncupetur, atque omnibus propterea et singulis fruatur honoribus, praerogativis, iuribus, privilegiis, gratiis, indultis, ceterisque quibus ex iure communi gaudet Basileensis Ecclesia. In praedicta igitur Sancti Laurentii Ecclesia constituimus et perpetuo fundamus Sedem et Cathedram Episcopales pro uno Antistite Episcopali caractere insignito, qui, utpote Administrator apostolicus Sanctae Sedis ei immediate subiectus, Ticinensem Pagum moderabitur universum, iis tantum demptis, si qui sint, qui peculiari gaudeant exemptione. Spirituali idcirco eius ditioni subiicimus biscentum quadraginta duas Paroecias, quibus nunc constat Pagus ipse, et e quibus centum sexaginta duae proprium habent inamovibilem Parochum, ceterae vero quae amovibilibus sacerdotibus sint commissae, vice-parochiarum nomine designantur, quamvis in ipsis quoque omnia parochialia munia exerceantur. Porro Luganensis apostolicus Administrator ab Apostolica Sede erit eligendus, collato consilio cum Basileensi Episcopo, e Sacerdotibus Luganensi iurisdictioni subiectis; sartis ceteroquin manentibus quae de Luganensium participatione ad electionem Episcopi Basileensis in conventione dici decimae sextae mensis Martii anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi octavi statuta fuerunt, si id eis quorum interest placuerit. Nunc tamen Administrator Apo-

stolicus ille remaneat, qui ad huiusmodi munus ab eadem Apostolica Sede die vigesima mensis septembris proxime praeteriti anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi septimi fuit deputatus, venerabilis nempe Frater Noster Vincentius Molo Episcopus titularis Callipolitan. Luganensem autem Cathedram sic erectam et constitutam, servata plena paritate iurium, Cathedrali Basileensi Ecclesiae perpetuo pariter iungimus atque unimus; eiusque Ordinarius proinde Episcopi Basileensis et Luganensis utetur titulo. Ceterum sartum tectumque manere volumus quartum articulum conventionis diei primae mensis Septembris anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi quarti. Cum autem Ticinensis Pagus peculiaris suae administrationis sumptibus consulat ipsum propterea onere quidquam contribuendi sive in mensam Ordinarii Dioecesani, sive in sumptus generalis administrationis dioecesis volumus esse solutum. Dicta vero, sic ut praefertur, iuncta et unita Cathedralis Ecclesia Luganensis, extraneam semper se exhibebit moderamini dioecesis Basileensis, eo tantum iure excepto, de quo superius quum agitur de participatione ad electionem Basileensis Antistitis mentio fuit facta. Traductio quoque ad rem et plena praesentis Conventionis applicatio non suberunt extensioni dispositionum Conventionis diei vigesimae sextae mensis Martii anni Domini millesimi octingentesimi vigesimi octavi, ut supra eodem loco praevisae, nec usui facultatis inde manantis. Iamvero ad dotem praefatae apostolicae Administrationis quod attinet, eam constituent francorum millia non minus decem et septem, e quibus duodecim millia ipsi Administratori tribuentur, reliqua quinque millia insumentur in erectione cathedrarum theologiae et philosophiae ad excolendos iis disciplinis Clericos, non minus Romani quam Ambrosiani ritus, iuxta articulum quartum Conventionis diei vigesimae tertiae mensis Septembris eiusdem anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi quarti. Vacante autem administratoria Sede, quidquid interim proventus ad ipsam Administrationem spectantis cumulabitur, id omne in duas aequales partes divisum, tribuetur novo Administratori et Vicario Capitulari. Porro Luganensis Apostolicus Administrator religionem Catholicam apostolicam Romanam sartam tectamque studiose servare atque tueri satagat iis cum iuribus et praerogativis, quibus ex divina canonicaque sanctione ipsa utitur et fruitur: diligentissime cavebit, ne quocumque modo irrepant, aut vul-

gentur errores adversi puritati fidei et moribus perniciosi. Ipse vero cum suo Clero et populo et cum Apostolica Sancta Sede communionem habebit nullis obnoxiam impedimentis, nullisque illaqueatam difficultatibus. Liberum insuper erit eidem apostolico Administratori Vicarios, consiliarios, et adiutores administrationis suae constituere viros ecclesiasticos, quos ad sacra ministeria idoneos censuerit; sicuti etiam assumere, ac ad statum clericalem et sacros ordines, secundum ecclesiasticos canones promovere, quos necessarios aut utiles suae dioecesis iudicaverit, et e converso quos indignos putaverit a susceptione ordinum arcere. Eius erit praeterea publicas preces indicere aliaque pia opera, cum id bonum Ecclesiae, aut status populive postulet; sacras pariter supplicationes et peregrinationes decernere, funera aliasque sacras functiones, servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus moderari; Synodum convocare et celebrare, eiusque acta vulgare. In proprio insuper Cathedrali templo apostolicum Luganensem Administratorem Cathedrale habere volumus Capitulum cum suis arca, mensa, sigillo ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, praerogativis, honoribus, praeeminentiis itemque cum omnibus iuribus Cathedralium Ecclesiarum propriis, quibus Basileensis Episcopus sua in Cathedrali communi ex iure utitur et gaudet. Quoniam igitur memoratum collegiale et parochiale Sancti Laurentii templum ad Cathedralitatis honorem et fastigium, ut supra evectum est, Collegium quoque Canonicorum ei deserviens ad Capituli Cathedralis fastigium eadem apostolica auctoritate perpetuo extollimus. In eo propterea, praeter theologalem praebendam, quae iam extat, ad exponendam populo catholicam doctrinam, poenitentiariam quoque addici mandamus, iuxta ecclesiastica praescripta, animabus fidelium expiandis. Supradictum vero Capitulum, uti in praesentiarum, decem constabit Canonicis residentialibus, e quibus quinque animarum cura sint onerati, quinque eo onere liberi, manente semper animarum cura penes Capitulum; omnesque pari iure et suffragio utentur in actis Capitularibus. Sicuti autem apostolici Administratoris dotem constituunt duodecim francorum millia, uti superius est enunciatum, sic Capituli praedicti dotem constituent octo francorum millia, e quibus tamen inaequaliter, iuxta consuetudinem partitis, differentiae a nongentis quinquaginta franchis ad septingentos ascendunt. Cum vero videatur dictae Ecclesiae in Cathedralem, ut praefertur erectae, decus exposcere, ut

maior habeatur in templo Canonicorum numerus, eique rei obstet inopia Cleri, quae non patitur continuam complurium Sacerdotum eodem in loco commorationem; hinc Nos freti more, qui asseritur in Helvetia receptus, adciscendi Capitulis presbyteros alibi commorantes, communicandique cum iis iura et privilegia residentium, hinc eidem apostolico Administratori potestatem facimus addendi memorato Capitulo Cathedrali octo ex hisce Canonicis Ornamentariis, quos dicunt extra residentes, cum communicatione iurium et privilegiorum. Et quoniam unumquodque Capitulum suas habere solet constitutiones et ordinationes hinc eidem Capitulo, in Cathedrali erecto, licentiam pariter impertimur et facultatem eas sibi concinnandi, servata norma apostolicarum Constitutionum et Concilii Tridentini; hae tamen apostolici Administrationis iudicio et examini erunt subiiciendae, nullamque legis vim poterunt habere, nisi prius ab eo approbatae fuerint atque sancitae. Ad distributiones chorales vero quod spectat, istae, prout statuta iura decernunt, erunt faciendae. Ceterum quoad minora Canonicorum Collegia — Bellinzona — Locarno — Balerna — et Agno — nihil esse innovandum declaramus. Porro idoneorum Parochorum electio et canonica institutio, servatis de iure servandis, apostolico Luganensi Administratori libera manebit. Verum cum earum dos adeo sit exigua, ut additis etiam obventionibus, vix ad mille et quingentos francos pertingere valeat, Administratorem ipsum enixe adhortamur, ut nihil sibi reliquum faciat, quo vel a Ticinensi Pago, vel ab aliis ad quos spectat ulterius aliquod subsidium ipsis valeat impetrare. Ad seminarium quod refert, duo in praesens iam habentur; alterum nempe Lugani a Sancto Carolo nuncupatum, cui a Ticinensi Gubernio, uti superius dictum est, quinque francorum millia addicta sunt pro erectione cathedrarum philosophiae ac theologiae, ad excolendos alumnos, sive Romani ritus, sive Ambrosiani, iis in disciplinis: quae profecto si iuxta Doctoris Angelici mentem studiose tradantur, nequibunt uberem fructum non afferre. Alterum autem habetur Pollegii cuius reditus francos vix quingentos attingit; quibus accedunt alii mille biscentum franchi constituti a Ticinensi Gubernio e sex millibus fructuum debitorum pro bonis fisco addictis anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, et nondum redditis; ita ut mille et septingenti franchi duntaxat Seminarii dotem constituant: reliquos vero quatuor millia et octingentos francos

fructuum alendis et excolendis sexdecim adolescentibus a prima gymnasiali ad completum theologiae curriculum volumus esse deputatos: quod sane utrique simul suffragatur seminario. Habentur demum et alii novem Alumnatus pensione ditati tercentum, vel tercentum quinquaginta francorum singuli; ac, si ageretur de excolendo aliquo nobili adolescente Asconense, e Pontificio Seminario Asconae pensio necessaria peti posset. His insuper addendi sunt duo Alumnatus, Helvetici nuncupati, in archiepiscopali mediolanensi seminario concessi, in Ticini subsidium, nec non duo in Collegio Urbano Romae concessi ab Apostolica Sede, petente defuncto Episcopo bo: me: Eugenio Lachat. Egregii insuper et numquam satis laudati huius Praesulis cura sibi et Apostolicae administrationi comparata fuit domus in Via Nassa numero quatuor centum quatuor distincta, ibique apostolicus Luganensis Administrator commorabitur cum sua Curia, seu officiis ad ipsam spectantibus; quae si ampliationem exposcant, eam paratam habebunt in contiguis domibus ad eandem apostolicam Administrationem pertinentibus, quae huius aedem cum seminario coniungunt. Quod vero in primis urget animum Nostrum, est, ut catholicae iuventutis institutio in universis scholis sive publicis, sive privatis ad catholicae doctrinae normam accurate exigatur: apostolicus idcirco Administrator sui pastoralis officii auctoritate religiosam iuventutis institutionem ita moderetur in omnibus instructionis locis, ut numquam in cuiuslibet disciplinae traditione quidpiam subrepat catholicae religioni morumque honestati adversum. In iuventute catholica instituenda propterea nonnisi viri catholici in professores, seu magistros nominentur; at quoniam in ludi magistro non minus necessaria est fidei quam morum honestas, quicumque in alterutro claudicare comperiatur, amoveatur. Libri quoque ad tradendam instructionem religiosam idonei ab ipso apostolico Administratore proponentur. Quod si hisce curis non obstantibus, nondum satis provisum esse alicui scholae videatur, memoratus apostolicus Administrator virum ecclesiasticum qui discipulis cathechismum tradat, libere constituet. Ceterum ad apostolicae Administrationis et piarum institutionum conservationem statutum volumus, ut non modo apostolica Administratio praedicta, Ecclesia Cathedralis, Capitulum, Curia, Paroeciae, Seminaria, sed etiam singula eiusdem Administrationis ecclesiastica et religiosa instituta, corporationes, piae sodalitates

sive iam existentes, sive futurae servent libereque et valide propugnent tum legitimam possessionem bonorum suorum quorumcumque, tum etiam plenam potestatem plenumque ius libere acquirendi fruendi et administrandi bona, reditus, donationes legitime oblatas et obvenientes. Nullam vero eorum suppressionem, vel unionem, aut alienationem fieri posse decernimus absque Sedis Apostolicae auctoritatis interventu, salvis facultatibus a Sacro Tridentino Concilio Episcopis tributis. Quod si novae huius apostolicae Administrationis bonum, aut utilitas aliquam postulaverit circumscriptionem aut detractionem, nulla etiam attributa territoriali compensatione, id collatis cum Gubernio consiliis Apostolicae Sedi liberum manebit. Insuper si in ista nova Apostolica Administratione ignota quaevis vel inopinata difficultas exurgat quoad res, iura et personas ecclesiasticas, de qua nihil constitutum sit in praesenti conventione cum Gubernio, id iuxta Canonum praxim deferendum erit ad Sedem Apostolicam, cuius erit rem declarare, emendare, vel, collatis cum eodem Gubernio consiliis, componere. Denique canonicam taxam in singulis litterarum Apostolicarum solemnium expeditionibus, quotiescumque novus Administrator erit praeficiendus, habita etiam indulgentius peculiarium circumstantiarum ratione, in aureis florenis de Camera biscentum constituimus, atque ita in libris Camerae Apostolicae, sacrique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii ad perpetuam rei memoriam inscribi praecipimus. Ne autem quoad Paroecias et Vice-Parochias Pagi Ticinensis Apostolicae Administrationi ut praefertur subiectas, quae generalibus tantum verbis superius enunciatae fuerunt, ab arbitraria latina versione nominum aliqua induci possit ambiguitas, eas nominatim hic inferius enumeramus servata vulgari singularum enunciatione: unicuique propterea adiiciendo designationem Vicariatus ad quem singulae pertinent, ac servata distinctione Paroeciarum inamovibili parocho commissarum, ac earum quae sacerdoti amovibili creditae sunt, quaeque idcirco Vice-Parochiae nuncupantur. Paroeciae itaque quae inamovibili gaudent rectore hae sunt.....

His igitur sic constitutis, decernimus praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida et efficacia existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec non ullo unquam tempore de subre-

ptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu notari, impugnari, invalidari, in ius, vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Nos et Successores Nostros Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam praefatam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam Motu simili etiam ex certa scientia, etiam consistorialiter pro tempore factis et faciendis comprehendi, aut comprehensas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque data posteriori quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ita ab omnibus censeri, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, vel dignitate fulgentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sedis Nuncios sublata est eis et cuilibet eorum quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate iudicari et definiri debere, ac irritum etiam et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca ut haec omnia a Nobis superius statuta plenum sortiantur effectum atque rite et exacte conficiantur, memorato venerabili Fratri Nostro Vincentio Molo hodierno apostolico administratori per praesentes committimus et mandamus ut ipse ad praemissorum omnium et singulorum exequutionem procedat, et non alias. Non obstantibus Nostris ac Cancellariae Apostolicae Regulis — De iure quaesito non tollendo — ac — De unionibus ad partes committendis vocatis quorum interest — aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, ac litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis, in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus, omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti dero-

gatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum pro hac vice dumtaxat, Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod idem Vincentius Episcopus et Administrator intra duos menses ab expleta praesentium litterarum exequutione authenticum exemplar quorumvis decretorum quae ad hoc opus feliciter perficiendum lata fuerint, ad Congregationem venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus consistorialibus praepositam transmittere teneatur, ut ea in Archivio eiusdem Congregationis ad perpetuam rei memoriam custodiantur. Volumus etiam quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides in iudicio et extra illud, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, erectionis, declarationis, constitutionis, fundationis, adiunctionis, unionis, electionis, praecepti, facultatis, impertitionis, declarationis, statuti, constitutionis, iussi, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo octavo, Septimo Idus Septembris, Pontificatus Nostri anno undecimo.

(Subs.) C. DE RUGGIERO *Regens.*

Hanc editionem textui originali plene conformem esse testamur.

Lugani, die 25 Iulii 1889.

† VINC. *Ep. Adm. Ep.*

(L. S.) Can. Sev. Pisoni, *Canc. Ep.*

Ex Bullae tenore colligi posse videtur: I. Fundatam esse Sedem Episcopalem seu Dioecesim Luganensem, Sanctae Sedi immediate subiectam.

II. Episcopum, qui titulum sumit huius Cathedrae episcopalis, esse Ordinarium Basileen. propter unionem aeque principalem, qua Dioecesis Luganensis unitur Ecclesiae Basileensi; idcirco Ordinarium eundem honestari titulo Episcopi Basileensis et Luganensis.

III. Attamen ex speciali dispositione pontificia, quae singularissima est in hac unione aeque principali, Ordinarium Dioecesanum nullam partem et nullum iuris exercitium habere in gubernanda Ecclesia Luganensi, sed istius regimen fontaliter et in perpetuum tradi cuidam Episcopo Administratori Apostolico Luganensi, a Sancta Sede nominando, collato consilio cum Basileensi Episcopo, e Sacerdotibus Luganensi iurisdictioni subiectis.

IV. Sede vacante gubernium Ecclesiae Luganensis non devolvi Curiae seu Episcopo Basileensi, sed Vicario Capitulari Luganensi a Capitulo Cathedrali istius Sedis electo, et omnia fieri independenter ab Ordinario Dioecesano Basileae.

LITTERAE APOSTOLICAE SS. D. N. Leonis XIII; de Collegio clericorum Bohemorum in Urbe condendo.

Vicariam potestatem Eius in terris gerentes, qui *via, veritas et vita* est, *via* scilicet ut S. Leo Magnus inquit, *conversationis sanctae, veritas doctrinae divinae, et vita beatitudinis sempiternae,* nihil unquam praetermittendum censuimus, quod ad fidei integritatem et morum sanctitatem tuendam, firmiusque in dies nectenda vincula quae varias christiani nominis gentes cum Apostolica Sede coniungunt, pertineret.

Ad hos porro fructus assequendos quisque videt quam necessaria sit opera, industria, virtusque eorum, qui in Dei exercituum militiam nomen dederunt, et divinis ministeriis addicti, Deo et Ecclesiae se ipsos perpetuo consecrarunt. – Hanc ob causam Decessorum nostrorum vestigia secuti, ac memores eorum quae de sacerdotalis muneris natura et officiis a sanctis Patribus mandata litteris et Pontificum maximorum legibus praescripta sunt, omni ope contendimus, ut iuvenum clericorum mentis et animi disciplinae diligenter consuleremus, ac potissimum in votis habuimus, ut delecti iuvenes clerici ex exteris

quibusque nationibus suam in hac alma Urbe Domum altricem haberent, ubi penes hanc Cathedram veritatis sanam doctrinam, dignumque sacrorum ministris animi cultum, ac curata institutione perciperent. Hoc Nos animo et voluntate affecti, bonumque spectantes Dioecesum *Regni Bohemi,* ubi latus patet sacri ministerii fructibus campus, ab exordio Pontificatus Nostri cum *Friderico* e Principibus *Schwarzemberg* S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Pragensi, illustris memoriae egimus, ut in hac urbe delectis Regni Bohemi clericis instituendis, propria constitueretur sedes, atque anno MDCCCLXXXIV, V. F. *Francisco* e Comitibus *de Schoenborn* Episcopo Budvicensi, nunc S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Pragensi, operam navante et Imperiali ac Regia Maiestate FRANCISCI IOSEPHI Austriae Imperatoris Hungariae Regis Apostolici, et Bohemiae Regis, pro sedula cura, qua suorum populorum verae prosperitati studet votis Nostris annuente, alumni Bohemi ad duodecim in contubernium in urbe, privata in domo primum, convictumque coaluerunt, quorum numerus iusti deinde ac legitimi Collegii foret rudimentum.

Sed ad hanc rem illud maxime interesse visum est, ut stabilis alumnis pararetur domus, quae Collegii pleno iure propria esset, et in alumnorum usum apte comparata. Quamobrem aedibus, quae ad S. Franciscae Romanae *Vico Sixtino* in urbe positae sunt, auctoritate Nostra coemptis, propria Bohemis alumnis sedes constituta est, in cuius emptionem ex aerario Nostro *octoginta* argenteorum italicorum *millia* contulimus.

Cum porro Collegii initia prospere admodum cesserint, et non modo proximis annis alumnorum numerus auctus fuerit, sed etiam egregia initialium voluntas eorumque in doctrina et virtute progressus, spem firmam iniecerint, ampla ex eorum institutione commoda dioecesibus Bohemiae esse obventura, preces ad Nos delatae sunt, ut coetui de quo loquimur clericorum Bohemorum in urbe constituto, legitimi Collegii ius auctoritate Nostra tribuere vellemus.

Nos itaque supremum fastigium operi imponere, cuius suscipiendi auctores fuimus, opportunum rati, precibusque ad Nos allatis libenter annuentes, hisce litteris ad maiorem Dei gloriam, ad incrementum catholicae Religionis, ad decus utilitatemque incliti Bohemiae Regni, Collegium Clericorum Bohemorum in Urbe, quod ad S. Franciscae Romanae Vico Sixtino sedem habet, canonica institutione, sub Nostra et Successorum Nostro-

rum auctoritate fundamus, constituimus, eodemque iure esse volumus, quo Pontificia clericorum Collegia in urbe sunt, ad eas leges quae infra dicuntur.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Pragensi et Episcopis omnibus Regni Bohemiae curae erit, clericos ex utroque idiomate Bohemo Germanico, quod in patria viget, in quibus voluntas inserviendi Deo in sacris ministeriis, ingenii acies, discendi ardor, bona corporis valetudo sit, gymnasiali studiorum cursu emenso, deligere in Collegium cooptandos, quorum numerus in singulis dioecesibus pro portione ita inter ipsas definiendus erit, ut ex omnibus in praesens non maior, quam *triginta* alumnorum numerus conficiatur.

Alumni in collegium cooptati philosophicis et theologicis disciplinis operam dabunt, nec non aliis ecclesiasticis institutionibus fruentur, quae in Pontificiis scholis in urbe tradi consueverunt.

Cum ad divina ministeria Dei munere se vocatos, et eruditionis iter in urbe Catholici Orbis principe sibi apertum intelligant, nihil eis potius esse debebit, quam omni ope niti, ut gratis animis, solidique profectus fructibus divino beneficio respondeant. Quare ab ipso institutionis initio, ad pietatis et doctrinae laudem, ad observandas fideliter et obedienter disciplinae leges, ad omne genus officii quod iuvenes decet in sortem Domini vocatos, animum diligenter adiicient.

Opera praeterea ipsis danda est, ut mutuam inter se caritatem concordiamque retineant, quam nulla offensio perturbet; studioseque animum intendant iis addiscendis quae ad divina officia, ad Chori disciplinam, ad ministerium sacrorum pertinent, nec non cum vacua a studiorum curis tempora inciderint, scribendis habendisque in utraque lingua germanica et bohema sacris privatim concionibus, quo ad sacrum verbi ministerium in patria obeundum, umbratili exercitatione mature informentur.

Cum porro alumni, doctrinae et pietatis studio probati, aetatisque maturitatem adepti, moderatorum iudicio digni habeantur qui sacris ordinibus initientur, statuimus ut iisdem in urbe, dimissorialibus litteris suorum Episcoporum relatis, ad sacros ordines provehantur, eosque a legibus solvimus, quibus iure Canonum cautum est ut denunciationes habeantur, stata temporis intervalla inter ordines serventur, itemque ne ordines extra tempora a iure constituta suscipiantur.

In alumnorum disciplina leges quae in *Collegio Urbaniano* fidei propagandae vigent, adhibitis praescriptionibus iis, quas sibi proprias Collegii conditio postulat, accurate serventur.

Ius et potestas in Collegium penes Archiepiscopum Pragensem ceterosque Sacrorum Bohemiae antistites, eaque unà simul omnium erit.

Moderator Collegio regendo, seu Rector is erit, qui a Pontifice maximo eo nomine et potestate praeficiatur. Ipsi autem constituendo ius erit Archiepiscopo Pragensi, communicatis cum Bohemiae Episcopis consiliis, virum aut viros quos hoc munere dignos censeat, Pontifici maximo designare.

Collegii Moderator singulis annis de disciplinae rationibus, de moribus alumnorum, de rei familiaris conditione accuratam descriptionem duplici exemplo conficiet, quorum alterum sacro *Consilio studiis regundis* praeposito, alterum Archiepiscopo Pragensi exhibeat, qui eamdem descriptionem ceteris Bohemiae Episcopis tradendam curabit.

Adiutorem autem vicario munere, seu Pro-Rectorem, Moderator habebit, ex praestantioribus Collegii alumnis, Episcopo annuente cuius in ditione sit alumnus, deligendum: isque ceteris anteferendus erit, qui virtutis et prudentiae laude, ad collegii usus magis opportunus videatur.

Ad Magistrum pietatis in Collegio constituendum, Collegii Moderator de viro quem huic magisterio opportunum censuerit ad Cardinalem *vice Sacra Antistitem Urbis* refert, isque rite delectus erit, cuius eligendi idem Antistes auctor fiat. Pietatis autem Magister apud alumnos eosque qui in Collegii ministerio et domicilio sunt, Parochi muneribus fungetur.

Quo autem necessariis sumptibus in alumnorum victum, cultumque quo vita indiget, copiae et facultates suppetant, praeter eam pecuniam, quae ex aerario Austriaci Imperii in Religionis impensas constituto, in singulos alumnos suppeditatur; Nos praeterea auctoritate Nostra addicimus Bohemorum Collegio et in perpetuum attribuimus reditus omnes et iura, quae domus sunt a Carolo IV. Bohemiae Rege et Romanorum Imperatore in hospitium Bohemorum in Urbe, *vico Caesarinorum* olim conditae, ad quod genus pertinet, tum annua pecunia Barberiniana scutatorum nummum *sexaginta* eidem hospitio legata, tum summa scutatorum nummum *ducentorum* a Pontificio Nostro datariatu annuis pensionibus persolvenda.

Cum porro rationibus rei familiaris Collegii, amplioribus subsidiis consuli oportere intelligamus, in hanc rem omnes quas possumus curas ultro conferemus, nihil dubitantes de communi Bohemiae Antistitum in rem eamdem studio, qui probe norunt quantam utilitatum segetem haec clericalis ordinis palaestra in urbe constituta, ipsis in agro dominico excolendo allatura sit.

Certa autem et explorata spe ducimur, adnitentibus Episcoporum curis, piam liberalitatem copiosiorum e Bohemia civium huic salutari operi non defuturam, ad quod liberalitatis genus optimum quemque, Dei gloriae studium, Religionis amor, et Patriae caritas satis hortantur.

Haec volumus, statuimus atque edicimus, decernentes ut hae litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant: irritum autem et inane futurum decernimus, si quid super his a quoquam contigerit attentari: contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die I Ianuarii MDCCCLXXXX, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI.

LITTERAE in forma Brevis, quibus constituitur ut dies decimanona Martii b. Iosepho sacra accenseatur diebus festis per totam Hispaniam et in regionibus eidem subiectis.

Quod paucis abhinc mensibus, Nobis christianum populum ad implorandum sanctissimi Deiparae Sponsi patrocinium cohortantibus de studio sacrorum Antistitum, quibus litteras encyclicas dedimus, sperandum esse videbatur, id eventu ipso iam confirmari coepisse haud exigua animi Nostri laetitia percipimus.– Huius enim studii luculentum extitit testimonium ex fervidissimis precibus, quas, certiore facto Hispaniae gubernio, Nobis exhibuerunt plures catholici illius regni Episcopi vota cleri et populi proponentes, qui inde occasionem captandam censuerunt, ut consilium, quod iamdudum susceperant, optatum exitum habere posset. Avitum nempe Hispanorum studium, et propensam omnium animorum erga beatissimum Patriarcham voluntatem cogitantes, diem eius recordationi consecratum e festorum dierum numero sublatum publica religione carere aegre ferebant venerabiles illi Episcopi, et universim quicumque christiano

nomine censentur iure ac merito conquerebantur; ideoque a Nobis impensissimis precibus postularunt, ut diem S. Iosepho sacrum in pristinam dignitatem restituamus. Hunc sane honorem beatissimo Viro deberi nemo est qui non videat. Qui enim Virginis Deiparae Sponsus delectus eius dignitatis coniugali foedere particeps fuit, quem Christus Dei Filius et suum esse custodem et parentem existimari voluit, qui divinae in terris domui quasi patria potestate praefuit, qui Ecclesiam habet suae fidei ac tutelae concreditam, ea excellit praestantia, ut nullo non sit obsequio prosequendus. - Verum inclita Hispaniae natio propriam habet caussam, qua beatum Deiparae Sponsum praecipuo prosequatur honore, excolat obsequio, quam Archiepiscopus Vallisoletanus una cum eiusdem provinciae Episcopis in precibus Nobis admotis opportune commemoravit. In Hispania enim, in illa ipsa provincia Vallisoletana et ortum duxit, et vitam omnium virtutum exercitatione insignem egit, sancteque obiit intemerata Virgo Teresia, quae quum vehementissimo Iesu amore exardesceret, S. Iosephi, quem Parentem suum Iesus Servator existimari voluit, eximiam dignitatem incredibili prosequuta obsequio, patrocinium praedicavit, cultum promovit.- His igitur precibus, quae gratissimo animum Nostrum sensu perfuderunt, libentissime obsecundantes, suprema auctoritate Nostra constituimus atque edicimus, ut dies decima Nona Martii Beato Iosepho Sacra per totam Hispaniam, et in regionibus ei subiectis, diebus festis accenseatur, ita ut omnes cum sancto Missae Sacrificio adesse, tum ab iis profanis operibus quae servilia dici solent abstinere praecepto debeant, quo magno Ecclesiae Patrono debitum tribuatur obsequium, et efficacissimo eius patrocinio universa natio largius fruatur. - Non obstantibus quamvis speciali, atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris, die XXVIII. Ianuarii MDCCCXC. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MANTUANA

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 8 Iunii 1889.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Episcopus mantuanus retulit: duos ex suis antecessoribus in episcopatu Mantuae ab anno usque 1685 reliquisse Capitulo cathedralis reditum, qui per nuperrimam civilem legem redigitur ad libellas 1403,81, quotannis diribendas inter residentes, ratione frequentiae ad chorum et pro decem mensibus: nempe a primo die mensis octobris anni unius ad diem 31 iulii consequentis anni; hac tamen sub conditione, ut fallentiae absentium cederent pro celebratione missarum. Capitulum, prospiciendo dispositionem eiusmodi minus favorabilem diligentioribus, qui a propria diligentia nullam oeconomicam capiunt utilitatem; quum insuper provisio singulorum residentium ita miserabilis facta sit, ut vitae alendae haud satis sit, exposcere 1° ut reditus dictorum legatorum in libellis 1403,81, distribuatur inter praesentes pro decem mensibus; 2° ut distribuantur inter praesentes, ad nutum Apostolicae Sedis, etiam libellae 1323,17 quae usque ad annum 1887 supersunt, in missas erogandas. Episcopus his fretus rationum momentis preces enixe commendavit.

Disceptatio synoptica

Duo itaque postulantur, scilicet 1° ut ex summa 1403 libellarum in distributiones quotidianas impendenda, fallentiae, si quae habeantur, praesentibus accrescant, quin in missarum celebrationem, iuxta fundatorum praescripta, erogentur: 2° ut cumulus 1323 libellarum ex hisce fallentiis paullatim efformatus, quique ad missarum celebrationem fuisset applicandus, et non fuit, canonicorum beneficio cedat.

At precibus obstant notissima iuris principia quae iubent sartas tectasque servari fundatorum voluntates, et *nonnisi ex iusta et necessaria causa* commutari, prout monet Tridentinum in *Sess. 22 cap. 6 De reform.*

Favent vicissim huiusmodi circumstantiae: 1° quod iuri communi cohaereat, ut distributio fallentiarum fiat inter praesentes chorique inservientes: canones enim in genere praescribunt, ut distributiones, quas absentes amittunt, praesentibus accrescant: unde commutatio voluntatis in casu videretur revocatio ad ius commune, seu restitutio iuris communis; 2° ex petita fallentiarum assignatione consuli aliquatenus posset arctae conditioni capituli: porro si ex Tridentino permissum est, ut ad augendas tenues canonicorum praebendas simplicia beneficia capitulo uniantur, utique absque divini cultus detrimento, iam non videretur omnino anticanonica petita voluntatis commutatio; 3° tandem ex hoc iuvari etiam dicitur cultus et canonicorum diligentia excitari.

Hisce praehabitis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii re visa sub die 8 Iunii 1889 censuit respondere: *Pro gratia distribuendi in posterum fallentias inter praesentes, imposita singulis Canonicis obligatione celebrandi quotannis ter Missas pro fundatoribus; quoad libellas 1323 dividantur inter canonicos cum onere applicandi tot missas ad taxam synodalem, quot cuiusque ratae respondeant.*

S. AGATHAE GOTHORUM

CONFRATERNITATIS

Die 3 Augusti 1889.

Sess. 22 cap. 7 De reform.

Compendium facti. In oppido *Airola,* iuxta fines duarum paroeciarum *S. Laurentii* ad Burgum et *S. Michaelis Archangeli* seu *S. Angeli* ad Portam novam, antiqua extat ec-

clesia; quae olim ad Praedicatorum ordinem spectabat, et a Rosario nuncupabatur. At anno 1744 cum aedes fatiscerent ac pene conciderent, PP. Dominicani acceptam ultro habuerunt quorumdam piorum virorum propositionem, qui hanc ecclesiam postularunt, ut ibi sub auspiciis B. M. V. ab Immaculata Conceptione pium sodalitium erigerent; et exinde factum est, ut ecclesia antiquum suum nomen mutaret et ab Immaculata Conceptione vulgo nuncuparetur.

Sodalitas autem biennio post canonice ab Episcopo erigebatur. Siquidem cum hic esset in s. visitatione confratres supplicem libellum ei obtulerunt, narrantes acquisitionem sacrarum aedium a se factam, piumque propositum religiosam sodalitatem ibi erigendi; sed cum ex pecuniae defectu non possent tunc extemplo manus admovere ad dirutarum aedium reparationem, ideo, expetierunt Ecclesiam paroecialem s. Angeli ad portam novam; in qua pia exercitia, et suffragia mortuorum explerentur donec fatiscens ecclesia instauraretur. Episcopus anno 1746 id concessit.

Interim sodales propriis reditibus et fidelium oblationibus paullatim collectis, ecclesiam a PP. Dominicanis sibi relictam reconstruxerunt, in eaque, suam sedem fixerunt. Insuper quamquam vi *art. VI* suarum regularum quemlibet sacerdotem sibi magis benevisum rectorem vel patrem spiritualem eligere sibi possent; nihilominus de facto cum perseveraverunt congregationis patrem agnoscere, qui ab initio sodalitii hospitator fuerat, nimirum parochi s. Angeli.

Verum ecclesia ab Immaculata Conceptione, ut ab initio enarratum est, in confinio erat duarum paroeciarum s. Angeli et s. Laurentii; et licet aliquod adesset dubium, ad quem eorum magis pertineret, nihilominus videtur, parochum s. Laurentii maiora pro sua causa momenta habuisse et produxisse.

Exinde diuturna inter duos parochos aemulatio, magnaque insuper iurium et contentionum confusio: nam duo parochi sive ex iure territoriali, sive ex recepta consuetudine, sive alia de causa, ille qua parochus loci, hic qua parochus sodalitatis pater, sacras functiones in sodalitii ecclesia per-

agere illasque inter se partiri studebant, sepositis ac silentibus sodalibus, veluti si eorum nihil interesset, imo veluti si nullum sodalibus competeret ius sacras functiones seorsim ac independenter a parochis peragendi. Atque ita ferme per saeculum acris fuit inter duos parochos contentio.

Nuper vero cum sodalitas in libertatem se vindicare studeret, et per proprium rectorem, independenter a parochis, supplicationes aliasque sacras functiones in sua ecclesia peragere contendisset, duo parochi, veteribus aemulationibus sepositis, et aversatione in amicitiam mutata, pro antiqui status suorumque iurium conservatione amico foedere contra sodales concertarunt et etiam nunc contra eos hac praecise de causa coram S. C. C. dimicant. Ut autem limites et valor hodiernae quaestionis intelligatur, oportet nonnulla fusius de antiquis contentionibus dicere.

Atque in primis Curia episcopalis s. Agathae Gothorum per sententiam dici 3 Iulii 1823, in causa acta inter praedictos duos parochos, constituit ad Parochum s. Laurentii pro tempore pertinere omnes et quascumque functiones in illa exercere, ac consequenter validum esse, et exequendum laudum initum, acceptatumque per ambas partes die 9 mensis Decembris 1763.

Itaque ex existentia ecclesiae in territorio s. Laurentii, quam rem ecclesiasticus iudex primum definiit, prono veluti alveo conclusit atque intulit, ad hunc parochum pertinere quoque omnes et quascumque functiones in ecclesia Immaculatae Conceptionis peragere. Quae quidem illatio quanti facienda sit, quisque facile intelligit; dum nequiret dare parochis ius se immiscendi et disponendi de pii sodalitii ecclesia.

Nil mirum igitur si contentio acrius ex hac sententia efferbuit. Verumtamen duo parochi ab episcopali sententia ad metropolitanam beneventanam Curiam appellaverant: et haec, post biennium, ac praecise die 28 Iunii 1825, sententiam tulit ab episcopali toto coelo diversam. Nam non de confinibus paroeciarum, sed de iure parochorum peragendi fun-

ctiones in ecclesia Immaculatae Conceptionis; non in petitorio, sed tantummodo in possessorio iudicatum est, atque insuper sodalitatis iura undequaque fuerunt praeservata.

Haec sententia in rem iudicatam, iuxta tamen naturam suam, transiit, et Ordinarius s. Agathae executoriali suo decreto eam communivit.

Et reapse sodalitas, paucis nonnisi elapsis diebus per rectorem suum ad Episcopum recurrit aiens: adhuc Sodalitii rectorem praepediri in exercitio sacrarum functionum a parocho s. Angeli. Quibus acceptis die 31 Decembris 1825 Episcopus rescripsit: « A. R. D. rector et pater spiritualis sodalitatis SSñae Conceptionis Airolae omnes functiones ad suum munus rectoris spectantes exerceat; sed intra ambitum ecclesiae dictae Congregationis et absque ullo praeiudicio iurium parochi localis. »

Sane hic finis controversiarum erat expectandus: sed non ita; imo adest ad acta legale documentum ex quo constat, duos parochos etiam post id temporis, et non obstante Curiae decreto, prosequutos esse in sacris functionibus sibi ut plurimum in ea ecclesia vindicandis; et ex quo insuper comprobatur anno 1860 eosdem duos parochos s. Angeli et s. Laurentii cum populi admiratione graviter inter se contendisse in festo Immaculatae Conceptionis, cum de supplicatione ducenda res esset.

Neque res componere valuit generale decretum Episcopi Ramaschiello, latum 16 Octobris 1872.

Siquidem cum senio morbisque confectus, dioecesis regimine se abdicavisset praesul Ramaschiello, eique coadiutor datus fuisset Episcopus Iaderosa, duo parochi s. Angeli et s. Laurentii apud eum iterum institisse videntur, ut ad sacrarum functionum celebrationem, ut antea in ecclesia pii sodalitii admitterentur. Sed quidquid sit de studiis duorum horum parochorum ad Episcopum in suam sententiam trahendum, de quo satis non constat; certum sin minus est, die 13 Septembris 1888, episcopalem Curiam ad Vicarium foraneum loci *Airola* scripsisse, ut scandala reprobaret, quae

ultima Dominica Augusti per dictos duos parochos locum habuerunt in Ecclesia Sodalitii, occasione sacrarum functionum. Per haec scripta, seu decreta evidenter sodalitium privabatur potestate, quae antea ipsi fuerat praeservata ac recognita, celebrandi per se ipsum et independenter a parochis sacras solemnes functiones. Ideoque gravatum se reputans sodalitium illico ad S. Sedem recurrit.

Disceptatio Synoptica

Parochorum defensio. Duo parochi qui in praesentiarum causam communem contra sodales agunt, ut sibi vindicent ius faciendi sacras functiones solemnes in ecclesia Immaculatae Conceptionis, praesertim Beneventanae sententiae insistunt, quae istas functiones parochis distributim assignavit; quae sententia, aiunt, semper observata fuit atque in rem iudicatam transiit, ita ut ordinationes Episcoporum illi sententiae contrariae ut nullius valoris sint habendae. Sane, inquiunt, usque ad mensem augustum anni 1888, functiones solemnes, praecipue diei festivitatis, semper a parochis peractae sunt; hancque praxim nonnisi hodiernus confraternitatis rector perturbare praesumpsit.

Quod attinet vero ad clausulam de petitorio praeservando, sententiae Beneventanae appositam, dicunt, eam a se contra confraternitatem esse praescriptam, cum hucusque numquam fuerit allegata, licet ipsi semper praedictas functiones exercuerint.

Neque, pergunt, sibi obstare commune ius: siquidem advertunt in decreto SS. Rit. Cong. anni 1703 factam esse distinctionem inter *iura* parochialia et *functiones* parochiales. De qua distinctione in voto praevio Card. Leand. Colloredi haec habentur, quibus character functionum parochialium valde innotescit: « Praeter iura parochialia, quae cum utilitate parochorum plerumque coniunguntur, et de quibus canonum interpretes frequenter verba faciunt, munia quoque parochialia recensentur, quae ita dicta sunt, eo quod ad pa-

rochos reipsa pertineant, aut illis saltem conveniant, vel ob naturam munerum, quae cum iuribus parochialibus omnino copulantur, vel ob dignitatem et coniunctionem, quam habent parochi cum pastorali officio, cuius causa parochus vices Episcopi gerit et exhibet. » Qua distinctione posita et decreto anni 1703 applicata, quando SS. Rit. Cong. in *dub. 10* declarat celebrationem missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, non esse de *iuribus* parochialibus, nullatenus sequitur illas functiones a rectoribus confraternitatum peragi posse, sed e contra, eas, utpote *functiones* parochiales, parochis reservari; item, quando in *dub. 21* SS. Rit. Cong. declarat processiones extra ambitum Ecclesiae fieri posse cum licentia Episcopi, id, quum agatur de functione evidenter parochiali, ita intelligendum est, ut, posita licentia Episcopi, processio fiat a parocho loci, ubi sita est ecclesia, et, si transeundum tunc est per alias parochias, sufficiat ad hoc ultimum licentia Episcopi. Quae interpretatio revera non est nova; nam eam tradiderunt Monacellus *formul. legal. T. 2, tit. 13, formul. 1, n. 54, seqq.;* Ursaya *discept. Eccl. 29, T. 9, part. 2,* eamque obviam habuit Benedictus XIV; licet tamen, ceu notare praestat, eam prorsus reiecerit, utpote erroneam et a consilio SS. Rit. Congregationis penitus alienam, eique prorsus oppositam *Inst. 105, n. 100, sqq.* Ceterum haec interpretatio nunquam in Romanis Congregationibus adoptata fuit, ceu ex decretis infra citandis plane apparebit. Unde inepte ad hoc argumentum duo parochi appellant. Et haec quidem a duobus parochis pro sua causa afferuntur.

Defensio confraternitatis. Vicissim favore confraternitatis in primis stat factum, pacifice hinc inde admissum de canonica sodalitii erectione *in ecclesia propria* et cum proprio rectore. Quo stante, et quidquid sit de iurisdictione territoriali unius vel alterius parochi, sive nempe in finibus s. Laurentii sive potius in districtu s. Michaelis sit sodalitatis ecclesia; non immerito sodales poscere videntur ut 1) sacras functiones sive simplices sive solemnes, tam pro vivis, quam

pro defunctis in sua ecclesia independenter a quolibet parocho peragere possint; 2) sacrasque supplicationes extra ambitum ecclesiae de licentia Episcopi ducere valeant.

Sane, quoad primum, in *Bisinianen.* 6 Octobris 1640, Gardellini *n. 2593,* SS. Rit. Cong. decrevit functiones solemnes in ecclesia simplici, intra fines alicuius parochiae existenti, spectare ad rectorem ipsius ecclesiae. Idem clare eruitur ex decreto *Urbis et Orbis* anni 1703, praesertim ad dub. 3 et 4, in quantum tamen istae functiones non reputentur iura vel functiones parochiales; estque haec praxis constans sacrarum Congregationum, quae semper sese referunt ad dictum decretum *Urbis et Orbis* in dirimendis quaestionibus parochos inter et sodalitates agitatis, S. C. C. *in Hortana, Iurium paroch., 5 Iul. 1738; in Bassanen., Iurium paroch., 11 Iul. 1767; in Isclana, Iurium et privileg., 5 Dec. 1863 et 25 Iun. 1864 ad dub. 5; S. Cong. Episcop. et Regul., in una iurium paroch., 2 Sept. 1870 Acta S. Sedis, Tom. VI, pag. 109; in una iurium paroch., 5 Sept. 1879 Acta S. Sedis, Tom. XIII, pag. 25;* item SS. Rit. Cong. *in Nicien., 30 Martii 1878,* ubi exorta quaestione inter parochum Ecclesiae cathedralis et sodalitium de misericordia, decrevit: « Standum est decreto generali diei 10 dec. 1703, propterea sodalitas praefata Missas tam pro vivis, quam pro defunctis per proprium cappellanum canere licite potest, ceterasque functiones peragere quae in memorato decreto definiuntur, nulla praemissa licentia parochi cathedralis. »

Verum in themate confraternitas speciatim insistit quoad quasdam functiones, circa quas praesertim controversia versatur, atque ut ius eas functiones peragendi sibi agnoscatur, peculiaria allegat decreta.

In *Cerreti* igitur, die 8 Februarii 1732 ap. Ferraris, *v. Confraternitas, art. 2, n. 9,* SS. Rit. Congreg. respondit, celebrationem missae solemnis pro defunctis cum anniversario, item celebrationem missae solemnis cum primis et secundis vesperis in die festo Confraternitatis, erectae in

ecclesia distincta a parochiali, pertinere non ad parochum, sed ad cappellanum dictae ecclesiae Confraternitatis, cum facultate assumendi presbyteros sibi benevisos. Idem clare eruitur ex generali decreto anni 1703, ad dub. 10 et ex *Nicien.* supra citat. Idem saepius resolvit S. C. C.; ita in cit. *Hortana* ad dub. 1 *an in ecclesiis confraternitatum laicalium terrae Suriani expleri possint functiones non parochiales, et signanter celebrationis Missarum cum assistentia diaconi et subdiaconi, independenter a parochis in solemnioribus earumdem Ecclesiarum festivitatibus,* responsum fuit: « Affirmative. » Et ita quoque in *Reatina, SS. funct., 13 Ianuar. 1884; Marsorum, ss. functiones, 26 Iun. 1858; Balneoregien., Oratorii quoad ss. funct., die 28 Maii 1864.*

Ulterius, in *Neapolitana,* proposito dubio « *An in funebri officio Confraternitas propriam crucem elevare queat, eiusque Cappellano permitti possit delatio pluvialis et stolae,* » die 13 Ian. 1760 SS. Rit. Cong. respondit: « Affirmative » ap. Ferraris, *l. c., art. 2, n. 33.*

Et ex decreto an. 1703 *n. 20,* collato cum responso SS. Rit. Cong. 7 Iulii 1877 in *Casertana,* evidenter patet, officia funebria super cadaveribus sepeliendis in dictis ecclesiis seu oratoriis publicis confraternitatum, spectare non ad parochum, sed ad cappellanum, nisi agatur de tumulandis defunctis, qui fuerunt subditi parochi intra cuius limites est oratorium. Imo S. C. C. in *Hortana* cit. ad dub. 3 « *An cappellani dictarum ecclesiarum recitare possint officium defunctorum et canere Missam ad praescriptum Ritualis, antequam sepeliantur cadavera illata in dictis Ecclesiis seu potius privative id spectat ad Parochos,* respondit: « Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. » Idemque in *Isclana cit.* ad dub. II.

Hisce igitur constat de legitimo fundamento prioris postulati. Quod spectat ad secundum, videlicet ad ius faciendi per semetipsam processiones extra ambitum ecclesiae cum sola licentia Episcopi, id expresse sodalitati conceditur in generali decreto an. 1703, sub *n. 22.* Parochi quidem in themate

contendunt, etiam posita licentia Episcopi, tamen ad se pertinere ius ducendi dictas processiones, cum secus derogaretur suis iuribus parochialibus. At eiusmodi praetensio aperte contradicit tum decretis SS. Rit. Cong., inter alia, *9 Februar. 1608, et 2 Sept. 1662 in Asculana, 5 Decembr. 1868, in Siren. ad 3,* tum S. C. C. in *Savonen. 12 Febr. 1688, in Cremonen. 7 Iunii 1723, in Isclana cit. sed. 3,* in quibus expresse ecclesiarum rectoribus agnoscitur ius deducendi eiusmodi processiones, dum adest licentia Episcopi.

Principium inconcussum enim est, ecclesias in aliqua parochia existentes esse independentes a parochis quoad functiones, quae eis a iure non sunt interdictae. Sane *Cap. final. de offic. Archid.* decernit, ecclesias positas intra limites Parochiae ipsi nequaquam subesse, nisi forte de iuribus parochialibus agatur.

Quod si aliquid aliud sibi repetat parochia, causas ac rationes suae petitionis ipsa afferre et adstruere debet. *Cap. dilect. de capel. Monach., decis. 2089, n. 10 et 199 coram Coccino.*

Porro in themate duobus parochis, ut aliquod ius in ecclesia ab Immaculata Conceptione sibi adstruant unicus validus titulus est sententia beneventana, quae statuit, ipsos in sua possessione esse manutenendos. At prorsus immerito huic sententiae innituntur. Nam, praeterquam sententia iudicis inferioris non possit derogare decretis SS. Congregationum, insuper possessio eiusmodi legitima non potest probari: fuit enim saepius interrupta, tum vi ordinationum Ordinariorum s. Agathae, tum de facto per actus contrarios continuos a rectore Confraternitatis positos. Et etiamsi constaret de eiusmodi possessione, haec tamen non sufficeret ut praedicti parochi sibi vindicarent ius faciendi dictas functiones; nam, praeterquam iura confraternitatis in sententia Beneventana fuerint expresse reservata, ulterius SS. Rit. Cong. saepius declaravit, sua decreta derogare quibuscumque consuetudinibus in contrarium etiam inveteratis et immemorabilibus; SS. Rit. Cong. die 3 Augusti 1839 et 2 Sept. 1847.

His itaque praeiactis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An sodalitas per suum Rectorem sacras functiones sive simplices sive solemnes tam pro vivis, quam pro defunctis in sua ecclesia independenter a duobus parochis peragere valeat in casu.*

II. *An sacras supplicationes extra suae ecclesiae ambitum de licentia Episcopi ducere valeat in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re cognita snb die 3 Augusti 1889 censuit respondere: *Ad I affirmative ad formam Decreti anni 1703* (1). *Ad II affirmative.*

(1) Etsi Vol. I. 591 decretum hoc relatum fuerit, tamen putamus utile iterum idem referre pro lectoribus qui integrâ careant collectione huius operis. Nam in hoc continetur ius commune expresse concinnatum ad dirimendas omnes lites et difficultates inter parochos et saecularia sodalitia, continuo enasci solitas. Decretum de quo agitur est tenoris sequentis :

DECRETUM Urbis et Orbis

« Iurium parochialium functionum, et praeeminentiarum inter Parochos, et Confraternitates laicorum, earumque capellanos et officiales.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos, et Confraternitates saeculares, earumque capellanos, et officiales super iuribus parochialibus, et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeeminentiis, seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet.

1. An Confraternitates laicorum legitime erectae in Ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus.

Resp. *Affirmative.*

2. An dictae Confraternitates erectae in Cappellis, Oratoriis tam publicis quam privatis, adnexis Parochialibus Ecclesiis, et ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones.

Resp. *Affirmative.*

3. An Confraternitates erectae in Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae.

Resp. *Negative.*

4. An Confraternitates erectae in Oratoriis, tum publicis, tum privatis seiunctis ab Ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho.

Resp. *Negative.*

5. An Benedictiones, et distributiones candelarum, cinerum, et palmarum sint de iuribus mere parochialibus.

Resp. *Negative.*

6. An Benedictiones mulierum post partum, Fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de iuribus mere parochialibus.

Resp. *Negative, sed Benedictiones mulierum, et fontis baptismalis fieri debere a Parochis.*

7. An functiones omnes hebdomadae Sanctae sint de iuribus mere parochialibus.

Resp. *Negative, prout iacet.*

8. An celebratio Missae solemnis feria V. in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus.

Resp. *Negative, prout iacet, sed spectare ad Parochos.*

9. An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis iuribus parochialibus.

Resp. *Negative, prout iacet, sed spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis PP. X. num. 22 §. 14.*

10. An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis sit de dictis iuribus parochialibus.

Resp. *Negative, prout iacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae vel Oratorii, ut in Brundusina sub die 1 Iulii anno 1601.*

11. An expositio quadraginta horarum, et benedictio, quae fit super populo sit de dictis iuribus mere parochialibus.

Resp. *Negative.*

An expositio, quae fit cum Reliquiis, et sacris Imaginibus et benedictio quae cum eis fit super populo sit de dictis iuribus parochialibus.

Resp. *Negative, et quoad Benedictiones cum Reliquiis, et Imaginibus serventur Decreta.*

13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 expressae, peragi possint in Oratoriis privatis contradicente parocho.

Resp. *Satis provisum in superioribus.*

14. An in dictis Oratoriis privatis, Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum cantu, vel absque alia licentia Parochi.

Resp. *Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

15. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho.

Resp. *Affirmative.*

16. An Cappellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates et Vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi.

Resp. *Affirmative.*

17. An parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam Christianam in praedictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis, vel privatis a parochiali divisis, et separatis.

Resp. *Negative.*

18. An in saepedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae, vel Adventus cum licentia Ordinarii, et absque licentia Parochi.

Resp. *Affirmative.*

19. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata ante Missam parochialem sive lectam sive cantatam.

Resp. *Negative, nisi aliter Episcopus disponat.*

20. An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis Ecclesiis et oratoriis publicis Confraternitatum.

Resp. *Affirmative, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia, vel Oratorium.*

21. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones, iuxta cuiusque Confraternitatis Institutum, absque interventu, vel licentia Parochi.

Resp. *Affirmative.*

22. An eaedem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum, absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est.

Resp. *Negative, nisi adesset licentia Episcopi.*

23. An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre stolam.

Resp. *Negative extra propriam Ecclesiam.*

24. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae Ecclesiae.

Resp. *Negative.*

25. An earumdem Ecclesiarum, et Confraternitatum Rectores, et Cappellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo, et ex solo iure parochialitatis compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis.

Resp. *Negative.*

26. An in saepedictis Ecclesiis Confraternitatum neque parochialibus neque regularibus, retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicae.

Resp. *Negative.*

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi, sine licentia Ordinarii.

Resp. *Negative.*

28. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum et eleemosynarum in saepedictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere.

Resp. *Negative.*

29. An in Ecclesia parochiali Confratres, vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in eiusdem Ecclesiae functionibus sive parochialibus sive non parochialibus.

Resp. *Negative.*

30. An Confraternitates sive sint erectae in Ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu, et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta Congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia Parochi.

Resp. *Affirmative, dummodo non impediant functiones, et Divina Officia.*

31. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho.

Resp. *Affirmative.*

32. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tamquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre. Et quatenus affirmative.

Resp. *Negative.*

33. An etiam suffragium duplex.

Resp. *Negative.*

Et ita, salvis tamen conventionibus, et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter Partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis, con-

stitutionibus synodalibus, et provincialibus et consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis declaravit, ac decrevit: si SSmo Domino Nostro videbitur.

Die 10 Decemb. 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSmo Dño Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, SSmus laudavit benigneque approbavit, et publicari, et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus servari mandavit.

Die 12 Mensis Ianuarii 1704. »

PARISIEN.

MATRIMONII

Die 14 Decembris 1889.

Sess. 24 cap. 1 De ref. matr.

Compendium facti. Maria Antonia Gabriella Lejeune nata est Parisiis ultima die anni 1857 ex Antonio Lejeune et Antonia Gay. Patre cito orbata, cum matre convixit usquedum nuptias inivit cum viro principe Belga, nomine Alphonso de Chimay. Civilis matrimonii ritus celebratus est Parisiis die 21 Septembris 1876: ecclesiasticae nuptiae biduo post, die scilicet 23 Septembris 1876, in pago Epinay Parisiis proximo, sub iurisdictione tamen versaliensis Episcopi existente, ubi familia Lejeune villam quamdam possidebat.

Huius loci parochus, qui tunc temporis erat Alexander Maillot, anceps ab initio fuerat an posset huic matrimonio adsistere; ideoque Ordinarium suum versaliensem super hoc negotio interrogavit. Sed cum ab eo hanc responsionom obtinuisset: tibi facultatem tribuo benedicendi matrimonium filiae tui castellani in tua Ecclesia: nam ex eo quod refers videtur matrimonium hoc publicari debere tum Parisiis tum Epinay; hinc tranquillo animo, et ut proprio sponsae parocho, ceu idem Maillot attestatur, matrimonio adstitit.

Verum post paucos annos gravibus inter sponsos enatis discordiis Gabriella ab Alphonso discessit: illa cum quodam amasio in Angliam aufugit, hic coram civili magistratu Belgarum uxorem adulterii coarguit et ex hoc titulo die 3 Martii 1883 divortii sententiam obtinuit.

Tristis status conditio, in quam tunc Gabriella se decidisse cognovit, quamque, ut affirmat, atrociorem faciebant sensus religiosi, eam impulit ut viam evadendi conquireret, et ideo ex quorumdam, quos interrogaverat consilio, matrimonium ex capite clandestinitatis, utpote coram parocho non proprio celebratum, impugnare statuit.

Primum instantiam ad Emum Parisiorum Archiepiscopum obtulit; sed cum hic competentem in causa iudicem se non esse putaret, eadem mulier SSmum adivit, postulans « ut ad instruendam hanc causam delegaretur potius parisiensis Curia. Siquidem, aiebat, licet iuxta praxim receptam et canonicas regulas ad hunc processum conficiendum adire oratrix deberet curiam domicilii viri sui in Belgio; . . . . et quamvis vir suus principaliter habitet in Belgio, ubi est natus, tamen passim Parisios venit, ubi plura negotia habet . . . . aliunde omnes testes qui ad comparendum comparere debent, Parisiis habitant; ipseque parochus d'Epinay, Maillot, parochia dimissa, in vico Marnae Dioecesis parisiensis commoratur: et oratrix . . . . putat non amisisse domicilium parisiense, quo solet identidem venire, ubi est nata, et ubi consanguinei sui vivunt. » Favorabili rescripto suscepto, sub initium anni 1887 penes ecclesiasticam Curiam parisiensem constitutum est tribunal, partes ac testes plurimi auditi, ac tandem die 7 Novembris 1888 sententia lata, qua matrimonium ab Alphonso et Gabriella initum, nullum declarabatur « ex defectu formae Tridentinae ». Vinculi defensore pro munere suo appellante, hodie coram S. C. C. causa sub assueta formula in gradu appellationis agitur, et hinc actricis patronus, illinc vinculi defensor plura proponunt.

Disceptatio synoptica

Defensor mulieris. Mulieris advocatus in tria capita orationem dividit, in quorum primo nonnulla praenotat quae putat scitu necessaria et extra controversiam ponenda; in altero ex iuris principiis tuetur, parochum ruralem relate

ad personas in suo territorio rusticantes non esse proprium, nec illarum matrimonio benedicendo aptum; in tertio demum contendit parochum Maillot erga Gabriellam non fuisse nisi parochum ruralem, idest loci rusticationis.

In primo capite itaque animadvertit, parochum epineyensem Maillot, qui matrimonio benedixit, parochum parisiensem S. Thomae Aquinatis, qui matrimonio adsistere debuisset, si nuptiae Parisiis celebratae fuissent, et prae ceteris actricis matrem, contra Gabriellam contendere in matrimonii tutelam. Et revera, patronus prosequitur, nihil mater, quae nunc ex secundis nuptiis devenit ducissa Caraffa, ad hunc effectum omisit, imo ne dubitavit quidem in iudicium ardenter ipsa prosilire, ut pars actrici contraria, de qua re eam valde coarguit patronus, et causas fuse scrutatur.

Idem quoque duo parochi sentiunt, quod mirandum haud putat orator; nam tueri non possunt quod ipsi egerunt.

Ulterius vero patronus loquitur de praetensa nonnullorum testium corruptione in actricis favorem; quam tamen accusationem ex auctoritate actualis parochi epineyensis, Genty, falsam ac calumniosam dicit; eo vel magis quod testes fere omnes plurima laude commendentur ab ipso accusatore Maillot, religiosi sint, et, quod magis est, omnes ita substantialibus conveniant: imo de re publica et notoria, ut est domicilium, mentiri, etsi voluissent, haud potuissent: ac demum quia ducissae matri, utpote in praesentiarum ruris epineyensis dominae, et magnam in loco auctoritatem sibi vindicantem, obvia erat potestas influendi in testes ex eo loco desumptos, quosque corruptos dicunt, eosque in suum sensum trahendi, magis quam filiae, quae extranea nunc ab eo loco facta est, et minori auctoritate praestat.

Tertio demum patronus praenotat extra controversiam hoc esse, quod nempe Maillot nulla delegatione suffultus, sed dumtaxat qua proprius actricis parochus matrimonio adstiterit. Id constat in primis ex testimonio ipsius Maillot dicentis: neque per me, neque per Curiam versalien. nihil actum fuisse apud Parochum s. Thomae, obtinendae delega-

tionis gratia. Ego me habui ceu proprium parochum, ex quo meum Episcopum certiorem reddideram. Idque confirmatur ex rescripto curiae versaliensis superius in specie causae relato, quo parocho Maillot permittebatur huic matrimonio adsistere: ubi patronus vicarium rescripti auctorem coarguit, quia ex incerta opinione, ait enim mihi videtur, facultatem concessit, et sacramentum periculo nullitatis exposuit. Confirmatur etiam ex fide matrimoniali, ubi de delegatione nec verbum, nec vola est; ac demum ex depositione parochi parisiensis s. Thomae, qui expresse fatetur: sese nullam fecisse delegationem quia nihil petitum fuit ab eodem: et quatenus aliquid dictum fuisset, respondisset, matrimonium celebrari posse a Parocho epineyensi. Ac repetit, se nullam ad id celebrandum delegationem dedisse, neque ad cautelam; et conclusit, dominam Lejenne tantum post matrimonium exhibuisse aliquid pro pauperibus, sed sponte sua.

Et quamvis Gabriellae mater matrimonium futurum parocho urbano s. Thomae nunciaverit; hoc tamen se fecisse ex mera urbanitate. Quinimo Parochus s. Thomae ait, sese certiorem factum de matrimonio hoc fuisse, quin sibi panderetur locus in quo contrahi deberet.

His praestitutis ad 2. caput accedens patronus hoc statuit principium, quod parochus ruralis, illius loci scilicet in quem quis recreationis gratiâ aut pro rusticanis negotiis pergere solet, non est relate ad hanc personam verus et proprius parochus, coram quo contrahi matrimonium possit.

Idque evincit in primis auctoritate DD. Barbosa Collect. ad Conc. Trid. *ad cap. Tametsi n. 16,* Ferraris *v. matrim. ar. 14, 48,* Reiffenstuel ad *tit. de Claud. desp. n. 61,* Santi *eod. tit. n. 75,* De Angelis *Prael. lib. 3 tit. 29,* Vecchiotti Praelect. *lib. 3 n. 210,* Emi Tarquini in suo voto pro *Romana Matrimonii diei 11 Ianuarii 1868;* sed maxime ex doctrina et auctoritate Benedicti XIV in *Inst. eccl. 33 n. 7.* haec disserentis: « La terza (nempe res a S. C. C. resoluta) si è che portandosi alcuno dalla città alla campagna per villeggiare, o per badare ai suoi interessi, non potrà mai dirsi

parroco proprio pel matrimonio il parroco, nella cui parrocchia è la casa di campagna, non acquistando, chi pel detto fine va ad abitarla, o domicilio, o quasi domicilio. Il Ponzio nel *lib. 5 cap. 13* § *1 n. 2,* pretende, che proprio parroco pel matrimonio sia ancora il parroco della campagna, ed aggiunge che questo è il sentimento della S. C. del Conc., che dee preferirsi a quello della Rota romana, che sostiene il contrario. Comune però è la contraria opinione, cioè, che il parroco della campagna non sia nel caso esposto il proprio parroco pel matrimonio: Barbosa etc., Schmalzgrueber etc. Ed in ciò che appartiene alle risoluzioni della S. Congr. noi porteremo quelle, che abbiamo estratto dai registri, quando eravamo segretario della S. Congr., e non quelle indicate dagli autori, che mai non le hanno vedute, ed ecco le risoluzioni: *Sacra etc. inhaerendo declarationibus alias factis, respondit, parochum ruralem non esse proprium et verum parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis: ideoque matrimonium valide coram huiusmodi parocho celebrari non posse. Partibus tamen dentur declarationes antiquae, scilicet: In una* Florentina *Sacra etc. censuit quod parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis - In* Florentina *similiter respondit: - Parochum ruralem non esse proprium parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum. - In una* Abulen. *Sacra etc. censuit non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. Die 1 Dec. 1640, lib. 16 Decretor. p. 470 a tergo et pag. 471.* »

Et merito quidem ac cohaerenter ad Tridentinam legem. Sane caput *Tametsi* iubet matrimonium coram parocho proprio celebrari: talis autem non est nisi parochus domicilii aut quasi domicilii, si quidem « non locus in quo quis natus est, sed ille in quo habitat, parochianum facit. » Zitelli *App. p. 387,* Benedictus XIV *const. Paucis ab hinc,* Reiffenstuel *l. c. n. 58* cum communi.

Atqui, qui rus pergit recreationis gratiâ aut ad rusticana peragenda negotia non acquirit ibi sive domicilium sive quasi-domicilium. Non domicilium; nam iuxta Eñum d'Annibale *Sum. t. 1 n. 82* « domicilium est locus perpetuae habitationis. Itaque domicilium eo loco quis habere dicitur ubi larem perpetuum, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit. » *L. 20 Ad municip. L. 7, C. De incol.* Et ideo ad verum domicilium acquirendum « non sufficit si eo loco domum tantum aut praedia quis comparaverit, ex *L. 4 eod.* vel tabernam conduxerit, ex *L. 19* § *2 De iudic.;* eoque minus, si ibi versetur studiorum, ex *L. 2 eod.* aut colendi ruris causa ex *L. 27 ad municip.* et *cap. 2 De sepult. in VI.* » Unde a pari non sufficit ad domicilium acquirendum, si quis ruri versetur recreationis gratiâ, aut pro rusticanis negotiis.

At imo ne ad quasi domicilium quidem. Etenim ad quasi domicilium ad effectum matrimonii alicubi contrahendi non quaelibet habitatio sufficit, sed ea dumtaxat quam comitetur animus eamdem continuandi per maiorem anni partem, idest ultra semestre. Hoc nedum sustinet Emus Tarquini et Emus D. Annibale *loc. cit.*, sed definitum prorsus est ex nuperrimis decretis S. C. S. Officii diei 7 Iunii 1867, 2 Maii 1877 et 6 Maii 1886, reiecta doctrina illorum qui non recte interpretantes doctrinam Benedicti XIV in epistola ad Arch. Goanum, tenent ad quasi domicilium sufficere unius mensis habitationem.

Porro qui rus pergit recreationis gratia aut ad rusticana negotia « probatum est non solere esse ruri pro maiore parte anni, neque etiam pro dimidia, sed tantum per tres aut quatuor menses » ceu observat Emus Tarquini *l. c.* cum Sanchez *De matr. disp. 23 l. 3 n. 12* et S. Rota ibidem. Ideoque in hoc casu quasi-domicilium non acquiritur. Imo prorsus excludi videtur.

« Ita sane ad rem Santi *lib. 4 tit. 3 num. 75:* Intentio eruitur ex fine commorationis; si enim finis est precarius, qui nempe indeterminatam importet moram, quaeque esse

potest etiam brevissima, et prorsus remissa voluntati commorantis, non acquiritur quasi-domicilium. Unde qui in aliquo loco reperitur rusticandi causa, vel ad implendum negotium rei familiaris, vel ut valetudini suae consulat, non acquirit in loco quasi-domicilium, et per consequens non sortitur parochum proprium ad contrahendum matrimonium. »

Unde tandem patronus hisce concludit Emi. Tarquini verbis *l. c.* « Unanimem esse omnium doctrinam, perpetuâ sacrorum tribunalium praxi firmatam.... matrimonia coram parocho eius loci, ubi quis rusticari solet, contracta, esse nulla. »

Age vero, pergit in tertio orationis capite patronus, parochus Maillot relate ad familiam Lejeune non erat nisi parochus ruralis illius loci, scilicet in quem haec familia quasi in suburbanum, quandoque, sed non frequenter, recreationis ergo aut ad rusticana negotia se conferebat. Idque evincere studet 1. ex testimonio ipsius, licet reluctantis, ducissae. Quae ex una parte confessa et professa est, se domicilium habere Parisiis in paroecia S. Thomae ad viam *du bac,* ubi aedes sunt familiae Lejeune omnibus instructae, quo epistolae ordinario diriguntur, ubi legales citationes ducissa excepit, quasque sicut in praesentiarum, sic olim cum primo suo viro et in viduitate non deseruit, sed inhabitavit: unde ad hoc tempus se referens expresse ait: meum domicilium erat Parisiis.

Et quamvis ad huius facti valorem infirmandum Ducissa sollicite notet: nos Parisiis manebamus tres aut quatuor menses circiter. Epistolae ad hoc domicilium mittebantur ne amitterentur; sed omni tempore dexteram petebat aut sinistram; attamen nil valet iuxta patronum exceptio, siquidem « domicilium non amittis, nisi cum discesseris non amplius reversurus, ex *L. 20 ad municip.* et *L. 7. C. De incol.;* retines vero si discedas, licet ad longum tempus, sed reversurus; quia tunc nec discessisse videris, ex *L. 27* § *Celsus ad municip.* et *L. 48 De reg. iur.* »

De cetero cum ducissa parochum S. Thomae de futuro

matrimonio monuerit, assuetasque oblationes post initas nuptias eidem obtulerit, facto suo clare evincit quid de hoc parocho sentierit.

Ex altera vero parte relate ad Epinay, licet ducissa ibi domicilium habere contendat nihilominus, ait patronus, ipsius ducissae testimonio constat, hanc mulierem ibi qualemcumcumque veri aut quasi domicilii canonici speciem numquam habuisse. Misso enim quod ipsa ducissa se prodat, ut indesinenter peregrinantem, et numquam diu ac stabiliter in aliquo loco consistentem; quod quidem praesumere facit quod nullibi unquam extra Parisios domicilium aut quasi domicilium sortita sit; sedulo insuper notandum est, quod ducissa suburbanum epineyense non ut verum domicilium habuerit, sed dumtaxat ceu domum ruralem, aestivam commorationem aut vivarium. Ita enim ipsa locum appellat.

Accedit quod haec rustica domus, nec unica, nec magis dilecta eidem fuerit. Sed quotannis potius per duos aut tres menses, plus minusve pergere consuevisse in aliam villam, dissitam a Parisiis, nemoribus et collibus apricam, de qua ait: « Flines esse praedium typicum » - adeo ut ducissa fateatur posthabuisse Epineyum pro Flines.

Accedit etiam quod ex ducissae confessione constet usque ad biennium ante filiae nuptias villam epineyensem fuisse prorsus neglectam. Ait enim: post annum 1874 coepi deserere proprietatem Flines ceu villam. Et postquam edixerit, se anno 1875, filiae matrimonio praecedenti, ob opera quae in villa fieri voluit invigilanda, sese transegisse totam aestatem in villam epineyensem; de tempore praecedenti rogata respondit: ante eiusmodi opera quoque Castellum epineyense erat mea praedilecta mansio aestiva. Si raro illuc me contuli, et si saepius Flines petii, ratio erat ut curarem meae filiae negotia. Ubi patronus ducissae, confessione in substantialibus acceptata, relate ad praetensam praedilectionem villae Epinay, notat, hanc assertionem parum respondere realitati factorum: eo vel magis quod parochus Maillot, ducissae amicus, de ducissa asserucrit quod illa aerem timebat epineyensem.

Accedit insuper quod si anno 1875 diuturnior fuit mora in loco Epinay, haec, ducissa teste, non fuit nisi ad rusticana perfunctoria negotia, et ideo inefficax: ait enim: anno 1876 mora mea in villa epineyensi causam habebat curandi opera rusticana, et vivarium parandi occasione matrimonii filiae meae.

Demum vero ex ducissae confessione adhuc habetur quod anno 1876, quo initum est coniugium, mora brevior ac fluxior quam in praecedenti anno fuit, et ideo vel ipsa quasi domicilii species et umbra defuit. Sane misso quod ex testimonio parochi S. Thomae et viduae Cayzac, quae fuit uxor antiqui secretarii familiae Lejeune, constet, quod nonnisi ad vitandas quasdam sociales difficultates decretum sit nuptias ruri fieri; insuper ducissa testatur, post incoeptos sub initium anni 1876 matrimoniales tractatus cum Principe de Chimay, post varia itinera ac commorationes in Algeria, Parisiis, in villa Flines, nonnisi aestivo tempore se contulisse in Epinay. Addit imo, ne stabiliter quidem ibi consedisse, dum ait: saepe Parisiis remeabam, idest cunctis hebdomadis; sed mora mea statuta erat in Villa epineyensi. Mane Parisios petebam, et sero villam repetebam. Abfuimus tantum causâ subsignandi contractum matrimoniale Parisiis. Notat se hac una de causa Epineyum venisse, scilicet causâ parandi habitationem pro matrimonio ineundo: et ad celebrandum eo loci coniugium; minime vero ad consistendum per maiorem anni partem: quem imo animum ducissa aperte excludit. Et cum filiae adversaria in hac causa existat, rem probatissimam facit iuxta notum axioma quod nulla melior probatio, quam rei obnitentis confessio: Reiffenstuel *ad tit. de confess. n. 26 seq.*

Idem 2. evinci posse, orator autumat, ex parochorum illius temporis testimoniis. Parochus enim urbanus S. Thomae ait: illae, nempe mater et filia habent domum viae *du bac* ceu domicilium civitatis; ego me habebam ceu parochum proprium dominae Lejeune. Quibus verbis testis efficitur qualificatus et irrefutabilis de domicilio familiae Lejeune in urbe;

dum vicissim parochus Maillot, qui Epineyensem paroeciam regebat initi matrimonii tempore, his verbis describit qualis fuerit habitatio eiusdem familiae in sua paroecia: ex eo quod irata esset cum municipio et cum antecessore meo domina Lejeune, raro suam proprietatem adibat. Loca aestiva petebat. Eius familia nisi iter faciendo Epineyum petebat. Quum amplas possideret divitias saepissime itinera arripiebat. Per integra anni tempora morata est in Flines causa rusticana dirigendi negotia. Ab anno 1872 domina Lejeune petebat quodlibet anno Villam epineyensem; varia eius mora fuit, sed brevis habitualiter. Attamen per quatuor integros menses illa morata est in mea paroecia; quod contigit anno 1875.

Nec mirum, quod tam parum suburbanum epineyense excoluerit; nam iuxta eundem sacerdotem ipsa verebatur aerem epineyensem. Unde tandem, ait patronus, ex testimonio parochi epineyensis scimus commorationem ducissae in Epinay, raram et in transitu fuisse, et si aliquando paullo longior, nonnisi ad rusticana negotia invigilanda; ergo semper iis elementis carentem, quibus canonicum domicilium et quasi domicilium constituuntur.

Quin dicatur aliud sentiendum esse quoad annum 1876, in quo celebratum est coniugium; siquidem de hoc anno idem Maillot haec testatur: credebam quod peteretur Epineyum ceu fiebat aliis annis.... Matrimonium initum fuit sub septembris fine. Domina Lejeune cum filia advenerunt sub fine Augusti. Post matrimonium discessit, sed mater per aliquod tempus post matrimonium initum ibi permansit.

Quibus stantibus, quaerit orator, quibusnam argumentis moveri potuerit sacerdos Maillot, ut hanc familiam suam subditam putaret, et quonam consilio duci ad Gabriellae matrimonio adsistendum; eo vel magis quod ab initio dubitaverit et recusaverit; unde et Ordinarium consulendum censuerit. Et respondet, duplici causa posse rem explicari, scilicet hinc ex desiderio et insistentia familiae Lejeune ut ruri matrimonium fieret, illinc ex studio parochi, ne huic tam diviti familiae resisteret, et ab ea extraneum se faceret.

In quorum confirmationem nonnulla adducit argumenta et indicia ex actis desumpta, ac maxime illud, quod nempe Maillot nescire videatur quonam titulo subsistat suam parochi proprii iurisdictionem, confundatur et in plurimas contradictiones incidat. Invocat enim theoriam de vagis, recolens quod ducissa non habebat domicilium et habitationem magis in loco quam in alio; appellat ad mensem habitationis aiens: habuissem igitur affirmationem unius mensis; non omittit quasi domicilium testificans, sese certum esse, dominam Lejeune habuisse in Villa Epineya quasi domicilium; et in hoc puncto tuetur quasi domicilium expeditiori quadam ratione acquiri. - Ego, ait, non aspicio uti necessariam moram per maiorem anni partem ad quasi domicilium acquirendum; - contendit imo ducissam suam ordinariam parochianam fuisse, inquiens: quum ipsa habitualiter esset mea paroeciana haud curavi de mense, et id, novo quodam criterio, non tam ex domicilio, quam ex beneficiis et largitionibus a ducissa in Ecclesiae favorem factis desumit; eidem duplex domicilium assignat: et ego dominae Lejeune dixi, quod in casu duplicis domicilii certior fieri de hoc matrimonio debebat parochus alter - neque adhuc consistit, sed a duplici ad triplex domicilium gradum facit; nam traducit ducissam veluti triplici utentem domicilio cum epineyensi ob eius amorem ad itinera - imo et plus quam tria dum fatetur quod domina Lejeune haud longius tempus morabatur Parisiis, Flines aut alibi, quam in Villa epineyensi.

Unde tandem concludit patronus, cum sacerdos Maillot ad suam iurisdictionem adstruendam in tot contradictiones se involverit, tot falsa et gratuita sive in iure, sive in facto asseruerit; hoc ipso comprobari defectum cuiuscumque melioris argumenti, et invicte confirmari id, quod ceteroquin prono alveo fluit ex relatis ab eodem Maillot, ubi genus ac modus adventus et commorationis familiae Lejeune in Epinay describit. Cum autem Maillot ardenter studeat in matrimonii tutelam, suspectus haberi non potest, dum de his testatur, quae contra eius intentionem faciunt. Nullus enim, ait p-

tronus, minus suspectus testis quam adversarius. Et ideo ex his solis satis probata causa patrono videtur.

Attamen ad pleniorem eius comprobationem ad singulorum testium depositiones examinanda 3. loco accedit. Et incipit a testibus domesticis, inter quos primum collocat Alexandrum Gay, ducissae fratrem intimumque amicum; qui licet videatur sororis partes in hac causa suscepisse, tamen confiteri haec debuit: quod eius soror habuit domum viae *du bac* ceu domicilium primarium: alias habitationes esse domus rurales. Porro hoc testimonium peremptorium orator appellat; nam si adest animus rusticandi, deest voluntas stabiliter permanendi vel ad maiorem anni partem: et cum haec deest non acquiritur domicilium, licet quis in loco habitaverit « per mille annos » ut se exprimit S. Rota *coram Priolo in Neapolitana matrimonii 22 Iunii 1705.*

Idem testatur vidua Cayzac, quae fuit uxor viri, qui ab anno 1849 ad 1879 a secretis familiae Lejeune extitit.

Idem prorsus refert domina Tanchon Gabriellae institutrix, socia et comes itinerum familiae Lejeune, quae imo post Gabriellae matrimonium per aliquod tempus cum ducissa matre conversata est, quamque ipse Maillot pietatis et honestatis laude prosequitur. Nec aliter Robertus Quidant, Gabriellae in cimbalis pulsandis magister, duaeque famulae Duchateau et Pirard.

Quoad testes vero a familia Lejeune extraneos notat patronus, hos tam longe esse aut domicilium aut quasi domicilium canonicum ducissae adscribant in loco Epinay, ut ex his plures aut prorsus negent, aut sin minus dubitent, utrum haec villa, praesertim ante Gabriellae matrimonium considerari realiter potuerit, ut rusticationis sedes pro ducissa ex hac notabili causa, quia scilicet ipsa manebat ibi parvum tempus, vel quia ibi veniebat transeundo. Ita Verjon, Lallement, Gillet, Molière, Hauffman; dum alii, ut Billard et Paupe dolent, quia ducissa saepius non veniat et non resideat in Epinay.

Succedunt testes quos ducissa mater induxit et audiendos

rogavit. Attamen ex his etiam ii qui ducissae intentioni magis favent, ut syndicus Hautefeuille, qui fatetur se mirari quod matrimonium tanta pompa celebratum, nunc ex ritus defectu impugnetur, nihilominus ad quaestionem domicilii nil melius respondere potuit quam hoc: dici potest quod aestatis tempore plus Epineyum quam Parisios colebat. At de cetero Carolus Appay et eius uxor Lucilla ac potissimum duae moniales quae a plurimis annis puellis erudiendis in Epinay vacant, clarius loquuti sunt adversus domicilium ducissae illo in loco.

De cetero rem conficere nonnullos provisores escalium, panificem nempe, laniam et mulierem aromatum venditricem, qui ob negotia sua prae ceteris edocti in hac re esse debuerunt. Ex istorum libris apparet ducissam commorasse in villa epineyensi a die 27 ad 31 Maii, a 19 ad 23 Septembris a 2 Novembris ad 23 decembris anni 1876.

Quae cum ita sint, ait patronus, ex omnium testium auctoritate concludi merito posse, familiam Lejeune tam longe fuisse, ut stabile canonicum domicilium habuerit in Epinay, quod ne affirmari quidem tute possit ibi realem ac constantem rusticationis sedem obtinuisse.

Quin dicatur obtinuisse sin minus quasi-domicilium, saltem pro matrimonii anno. Nam 4. loco patronus contendit, familiam Lejeune anno 1876 paucos dies ante nuptias, precario et nedum sine voluntate, sed et sine possibilitate commorandi, per maiorem anni partem Epineyum venisse. Missis enim quae actrix eiusque vir hoc in puncto dicunt; et misso etiam quod ex pluribus testibus hoc in puncto hauritur; nam vidua Cayzac, famulae Pirard, et Duchâteau, Kauffman, Carolus Appay, magister Quidant, nec non et syndicus Hautefeuille deposuerunt paucos dumtaxat dies ante nuptias familiam Lejeune Epineyum venisse, nec stabiliter ibi consedisse; et misso demum etiam quod ducissa et parochus Maillot quoad instabilitatem commorationis, eiusque brevitatem confessi sunt; attentionem EE. PP. patronus invocat super depositione duorum provisorum escalium, qui relatis libris

rationum, ubi venditiones singulis quotidie factae recensentur, et has inter quae anno 1876 in ducissae favorem factae sunt, testimonium praebuerunt praecisum de ducissae commoratione in Epinay.

His fastigium suae causae imponi orator autumat; nam si tam precario, et per tam paucos dies sive ante sive post nuptias in villa ducissa concedit, supponi aeque non potest, eam quasi domicilii animum idest voluntatem consistendi per maiorem anni partem habuisse. Eo vel magis si considerentur ordinarii ducissae mores qui diuturnam consistentiam prohibebant, peculiare scopum adventus et commorationis pro eo anno, propositum iam factum filiam post nuptiale iter conveniendi in loco Flines ac maxime anni tempestas; nam tempus rusticando propitium ad finem ferme vergebat cum ducissa Epineyum ad matrimonium celebrandum petiit.

De cetero cum ipsa ducissa admittat, se intentionem consistendi per maiorem anni partem numquam, ne in anno quidem matrimonii habuisse, iam putat patronus super hac re dubium moveri non posse. Et ideo sperat irritum declarari matrimonium ex defectu iurisdictionis in parocho, quod quidem ad spiritualem etiam clientis salutem valde conducere autumat.

Animadversiones s. vinculi adsertoris. Vicissim vinculi defensor in quinque capita orationem dispescit, in quorum primo contendit fraudes in processu irrepsisse. Etenim, ait, iuxta instructionem S. C. de Propaganda fide « coniuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo, in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si coniugale vitae consortium aut per separationem a toro et mensa aut per desertionem malitiosam a marito patrata sublatum sit. Priori casu quaelibet pars, ius accusandi contra alteram ipsi competens, coram Episcopo dioecesis ubi haec domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cuius dioecesim domicilium eius situm est, actionem instituere potest. » Cum vero in themate viro domicilium

in Belgio esset, actio iudicii in eo loco, minime vero Parisiis instituenda fuisset. Aut sin minus in curia versaliensi, siquidem in dioecesi versaliensi, est Epinay, ubi nuptiae celebratae sunt, et unde plurimi testes desumpti.

Accedit quod parisiensis iudex testes e loco Epinay haud commiserit examinandos Episcopo versaliensi, sed coram se vocaverit. Habetur etiam quod matrimonii vindex actricis procuratori consenserit, ut qui examinandi essent testes e paroecia Epinay, seligerentur a parocho Gassiat. At parochus Gassiat in quem tanta fiducia se committebat actricis procurator hoc ipso suspectus efficitur, praesertim cum actrix scrupulis minime detineatur.

Accedit quod S. C. C. Instructio iubet testes, « audita prius lectione examinis seu confessionis coniugis eos inducentis, » interrogari, utrum credant coniuges vera dixisse. At Parisiensis iudex huic praecepto non satisfecit, sicut omisit ab eis inquirere utrum religionem et honestatem actricis perspectam haberent; atque ita naturale medium id cognoscendi sublatum est.

At insuper probabile est quod malae artes subrepserint ad testes corrumpendos ex parte parochi Gassiat, siquidem ipse defensor vinculi, qui antea in dominum Gassiat confidebat, paullo post facti poenituit. Unde cum ante finem processus sacerdos Gassiat ab onere paroeciae fuerit ab Ordinario suo relevatus, putat defensor, id contigisse in poenam fraudum sic commissarum. Successor autem eius dominus Genty studium sacerdotis Gassiat in actricis favorem, nedum minuit, sed auget per ea quae retulit.

Unde vult defensor ut depositiones sive sacerdotis Gassiat, sive aliorum testium ab eo propositorum suspectae habeantur, imo etiam de medio tollantur. Quin vicissim suspecta in oppositum sensum haberi debeat ducissa; quandoquidem haec a Maillot religiosissima renunciatur, et in filiam studiosa a syndico Hautefeuille edicitur. Quod si filiae in praesenti causae adversatur, et eam odisse videatur, hoc facit in filiae bonum et honorem: « odit itaque ne pereat ».

In secundo capite, relata Tridentina lege, quae iubet matrimonia coram proprio parocho fieri, ad legis rationem perscrutandam defensor adscendit. Et cum Card. Pallavicino *(Stor. del Concilio di Trento l. 22 num. 17)* commemorat decretum illud latum fuisse ad obvianda quae ex matrimoniis clandestinis nascebantur gravissima mala.

Atqui, ait, patronus, matrimonium, de quo quaestio non clam et furtive, sed sub meridiem, in pubblica ecclesia, cum magna solemnitate, praemissis tribus in paroeciis denunciationibus, celebratum est.

Quin dicatur clam a parocho proprio, qui erat urbanus a S. Thoma, initum fuisse. Nam respondet defensor, praeterquamquod banna matrimonialia in paroecia S. Thomae publicata sunt, insuper hic parochus propositum celebrandi matrimonium in paroecia Epinay nedum cognovit sed et approbavit. Ait enim: ducissa me certiorem fecerat de matrimonio filiae suae quin mihi significaret ubi celebraretur. Nulla quaesivi iura... Sciebam esse puellae Lejeune ius ineundi matrimonium in villa epineyensi.

Imo non solummodo parochus S. Thomae retinuit quod aequa foret familiae Lejeune potestas nuptias ineundi in Epinay, sed idem quoque senserunt parochus epineyensis, ipsaque Curia versaliensis a sacerdote Maillot interrogata. Et licet parochus Maillot ab initio de bono suo iure ad benedicendas nuptias dubitaverit; attamen quum, diligenti inquisitione peracta, dubia expulerit et exinde persuasum sibi habuerit quod puella Lejeune non plus moraretur Parisiis, Flines, aut alibi quam in Epineyum; hoc factum pro parochi prudentia arguit et valorem sententiae ab eo post diligens examen susceptae auget.

Nec reprehendi potest Vicarius generalis versaliensis ob rescriptum, quo parocho Maillot permittebat ut nuptiis benediceret ex quadam incerta seu probabili iurisdictionis opinione, dum ait mihi videtur. Siquidem, Vicarius in eo rescripto duos casus rite distinguit, celebrationem matrimonii, eiusque denunciationem; primam absolute permittit: quoad

denunciationes vero Parisiis peragendas nonnisi consilium praebet.

Nec accusari potest parochus Maillot quod in consilio a curia quaerendo minus exacte et pro animi sui voto facti circumstantias retulerit : suspicionem namque hanc esse temerariam, nulloque solido argumento innixam vult defensor. Imo et inverisimilem. Nam Maillot a ducissa adeo erat independens, ut alia vice, cum ageretur de quadam in templo capella amplianda, ducissae restiterit.

Quapropter cum matrimonium, tot inquisitionibus praeviis, tot solemnitatibus impletis, tantaque pompa coram sacerdote qui a curia episcopali, et ab ipso parocho parisiensi, qui contenditur proprius, admissus et recognitus fuit, dubitari non posse de matrimonii valore.

In tertio orationis capite defensor contendit familiam Lejeune, praeter domicilium urbanum, possedisse et rurale in pago Epinay. De iis enim qui pluribus in locis incolunt romanum ius in *L. 5 ff. Ad municip.* haec cavet : « Labeo iudicat, eum qui pluribus in locis ex aequo negotietur, nusquam domicilium habere : quosdam autem dicere refert, pluribus in locis eum incolam esse aut domicilium habere, *quod verius est.* » Idque firmatur in *L. 18* § *Celsus eod.* et in *L. 5 ff.* § *penult. eod.* - ibi - « Viris prudentibus placuit, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit ut non ideo minus apud alteros se collocasse videatur. » Unde Sanchez *De matr. lib. 3 disp. 24 n. 2* concludit, quod « quando quis duplicem parochiam habitationis sortitur, quod tunc evenit quando aequaliter in utroque habitat, ut in hieme in una, in aestate in altera, posse coram parocho utriusque matrimonium inire... Aequaliter autem non intelligas mathematice, sed morali modo. » Indicia autem et elementa ex quibus de suscepto domicilio constat, ita romana lex *L. C. de inc.* describit : « In eodem loco singulos habere domicilium non ambigimus, ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, unde cum

profectus est peregrinari videtur, quod si rediit peregrinari iam destitit. »

Atqui familia Lejeune in pago Epinay, praeter quam Lutetiae Parisiorum, constituerat larem, rerumque ac fortunarum suarum summam, et utrobique ita destinato commorabatur animo, ut peregrinari videtur quoties ab utroque loco aberat. Sane, ait defensor, commune divitibus Parisiensibus familiis in primis est, ut praeter urbanum domicilium rurali quoque ac suburbano utantur, illo in hyeme, hoc in aestivo tempore. Exemplo sit quae habentur in alia causa *Parisiensi Matrimonii* nuper coram S. C. C. acta, ubi comitissa d'Estournel fatetur nuptias iniisse ruri suo, licet verum domicilium Parisiis sortiretur. (1)

Accedit in themate quod castellum epineyense nedum instructum perfecte erat, sed usque ab initio valde excultum et ideo, ait ducissa, anno 1862 ibi cum meo coniuge habitavi per tres aut quatuor menses; et anno 1863, post istius obitum, per plures menses eodem remansi loco. Quod per plures testes confirmatur, unde consequi virum Ducissae Lejeune in villa epineyensi alterum rurale, praeter urbanum, domicilium constituisse. Atqui ex *L. 22 ff. Ad municip.* cavetur, viduam mulierem amissi mariti domicilium retinere, saltem usquedum non demonstretur, ipsam eidem nuncium dedisse.

At in themate tam longe est ut hoc possit evinci, ut potius contrarium ex actis eruatur.

In capite quarto defensor nonnulla refellere nititur: ac in primis parisiensem inquisitionem redarguit, quia, dum domicilium aut quasi-domicilium acquiritur ex ipsa prima die commorationis, dummodo adsit necessarium permanendi propositum, e contra parisiensis processus totus in eo est ut dinumeret annos, menses, dies et horas quibus ducissa abfuit a pago Epinay. At absentia, si adsit revertendi animus, non tollit domicilium.

(1) Habes hanc quaestionem Vol. XXII, pag. 366.

Notat in sua sententia parisiensis iudex « intentioni et habitationi necessariis ad domicilium obstant mores ducissae, quae semper nova itinera novaque consilia aggrediebatur. » At si haec ita sunt, ait defensor, dubio procul ducissa vagis accensenda fuisset; et tunc filiae matrimonium ex defectu parochi proprii infirmari haud potuisset.

Addit idem iudex « quod non magis verificetur in casu domicilium rurale simultaneum cum domicilio urbano, quum non aequaliter in utraque domo ducissa se collocaverit. »

At respondet defensor, cum parisiensis inquisitor haud valde sollicitus fuerit de domiciliorum urbani et ruralis comparatione a testibus haurienda, assertionem de eorum inaequalitate haud esse attendendam. Eo vel magis quod Gabriellae institutrix asseveret quod plerumque Parisiis brevi manebatur idemque affirmet Maillot, ipseque parochus S. Thomae edicat, se ante nuptias nonnisi bis aut ter ducissae filiam vidisse.

Quod vero ducissa « nonnisi ob transitorium finem manserit in loco Epinay » ac « de facto saepius illum neglexerit » ceu habet impugnata sententia, falsum omnino renunciat vinculi defensor, iuxta testimonia in superiori capite relata; et solummodo admittit quod durante Borussiaci belli tempore ducissa ab Epinay abstinuerit et villam Flines in Belgio excoluerit, quo in loco bellici furoris vitandi causa diu hac una de causa consedit.

Demum saepius dicta sententia, ut diuturniores ducissae commorationes in loco Epinay pro annis 1875 et 76 omni valore destituat, notat scopum commorationis fuisse transitorium. At insurgit defensor, transitorius quoque erat finis, ob quem ducissa per duos tresve annos diutius ac stabilius quam in ceteris Parisiis consedit.

Porro si precarius diuturnioris commorationis finis urbano domicilio non contradicit, non contradicet neque rurali.

In quinto et ultimo animadversionum capite contendit denique defensor, quod dato etiam et non concesso quod domicilium in pago Epinay defuisset, matrimonium tamen va-

leret ratione delegationis tacitae, vel tituli praesumpti et communis erroris. Siquidem ait parochus S. Thomae ducissa me certiorem fecit de hoc matrimonio.... mihi certum erat, puellam Lejeune ius habere suum ineundi matrimonium in villa epineyensi.

Dum vicissim parochus Epineyensis non ignorabat se matrimonio assistere, parocho S. Thomae sciente et plaudente. Testatur enim: ego Ducissae dixi ut loqui vellet de hoc matrimonio cum Parocho Parisiorum. Censeo affirmare posse quod illa hoc fecerit.

Porro ait Sanchez *De matr. l. 3. disp. 35 n. 1* « duplicem esse licentiam, quae per ratihabitionem habetur: quaedam est licentia tacita seu ratihabitio *de futuro*, quando scilicet creditur, parochum, cum sciverit ratum habiturum: alia est *de praesenti vel praeterito*, quando scilicet ante ministrationem sacramenti, vel tempore quo ministratur adest consensus tacitus et interpretativus parochi, aliquo signo externo manifestatus. » *Et n. 14* prosequitur: « Prima conclusio: licentia tacita, ex ratihabitione de futuro... non est sufficiens ut sit validum matrimonium... secunda conclusio: licentia tacita. quae habetur ex ratihabitione de praesenti sufficit, ut alienus sacerdos possit interesse matrimonio, ut quando vidente et sciente ac tacente Ordinario aut parocho, potentique contradicere, assistit... Item prorsus dicendum est quando ratihabitio est de praeterito; quia adhuc verificatur licentiam praecedere. » Atqui in themate, ait defensor, dubitari non potest quominus parochus S. Thomae licentiam tacitam dederit per ratihabitionem de praesenti vel praeterito.

Accedit quod pro actibus, in quibus consensus est causa efficiens, voluntas praedominans utique requiritur; iuxta ea quae habet Gury *Comp. theol. mor. De matr. n. 891:* at in delegationibus quae ad assistendum matrimonio conceduntur, delegantis consensu, iuxta defensorem « non ut causa efficiens requiritur, sed sufficit quicumque consensus, sufficit non dissensus. Et ratio est quia parochus in matrimonii celebratione partes gerit testis necessarii, praetereaque nihil. »

Ideoque sicut valet matrimonium celebratum coram parocho invito et reluctante, quia parochus etiam invitum non desinit esse testis; et sicut pari de causa valet matrimonium initum coram alio ex licentia, metu gravi extorta aut dolo et mendaciis impetrata, iuxta ea quae retinet Sanchez *l. cit. disp. 48 n. 13;* sic dicendum quoque est valere consensum à parocho S. Thomae in themate datum.

Nec satis: nam idem Sanchez *l. c. disp. 22 n. 64* praecedentibus addit, licentiam sive expressam sive tacitam a parocho alii sacerdoti concessam ob titulum praesumptum et communem errorem valere. Quaerit namque, « quid dicendum sit si parochus ficte concedat licentiam sacerdoti assistendi matrimonio, idest absque vera intentione concedendi, sed solis externis verbis » et respondet: « Ceterum credo validam esse illam concessionem et matrimonium in utroque eventu. In priori quidem quia concurrit licentia collata a legitimo superiore, et eius nullitas est occulta, atque adest communis error cum titulo praescripto... In posteriori autem quia ex ratihabitione de praesenti reputatur in iure et apud peritos vera licentia sicut licentia expresse concessa et ita concurrit titulus praesumptus et communis error. » Quod retinet et Barbosa *De off. et pot. Ep. p. 2 all. 32 n. 109.*

Quapropter in themate sive retineatur, parochum S. Thomae verum consensum dedisse, sive retineatur ficte dedisse, semper pro validitate delegationis et licentiae et sic etiam pro valore matrimonii concludendum videtur. Quin in dubium revocetur an communis error ac titulus praesumptus in casu haberetur; nam id constat, ceteris missis, ex sindici Hautefeuille testimonio qui miratur quod matrimonium tanta pompa et solemnitate celebratum modo ex aliquo defectu formae impugnetur.

Duplici itaque ex capite controversum matrimonium subsistere censet defensor; tum quia familia Lejeune domicilium in Epinay sortiebatur, tum quia, in quocumque peiori dubio, parocho epineyensi valida suppetebat delegatio a parocho urbano.

His relatis propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 14 Decembris 1889, censuit esse respondendum: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex quibus colliges I. Ad constituendum parochum proprium causa ineundi matrimonii, requiritur domicilium, quod est locus perpetuae habitationis; vel quasi domicilium quod est locus in quo quis transire constituit maiorem anni partem.

II. Ideo Parochum ruralem non esse proprium et verum parochum, quando rus itur causâ recreationis vel pro rusticanis negotiis: et ideo nulliter apud eundem matrimonium contrahitur.

III. Intentionem pro constituendo quasi-domicilio, colligi posse ex fine commorationis; et ideo si finis est precarius, et importans moram indeterminatam, et prorsus a voluntate commorantis dependentem, quasi domicilium non acquiritur.

IV. Unanimem esse omnium doctrinam perpetuâ sacrorum tribunalium praxi firmatam, matrimonia coram Parocho eius loci, ubi quis rusticari solet contracta, esse nulla.

V. Aliquem posse duplicem habere domicilium et duplicem habitationis parochiam, quando aequaliter in utraque habitet; et posse coram parocho utriusque inire matrimonium.

VI. In themate parochum loci Epinay relate ad familiam Lejeune non fuisse nisi parochum ruralem illius loci ad quem dicta familia se conferebat, non frequenter, recreationis causâ, aut ad negotia rusticana curanda: domus illius ruris haud erat aequaliter habitata.

SENOGALLIEN.

BINATIONIS

Die 7 Septembris 1889.

Per summaria precum.

Compendium facti. Ne moniales Clarissae a s. Carolo missae sacrificio privarentur diebus festis, ab Episcopo facta est facultas, ut, quocumque alio deficiente sacerdote, parochus s. Mariae de Abbatissis sacrum in coenobio iterare posset.

Contigit autem ut parochus, qui etiam a sacris confessionibus est in eo monasterio, quique, ob extremam harum sacrarum virginum paupertatem, nullâ prorsus pro labore suo temporali retributione donatur, *peracta sibi conscientia*, applicavit 15 ex secundis missis in satisfactionem oneris ceu canonicus Archipresbyter, a quo tamen eleemosynam non habet. Verum admonitus ab Episcopo, ne id sine apostolicae Sedis venia amplius faceret, supplici libello a SSmo petiit, ut in posterum facultas sibi daretur has 15 missas in sacri iteratione applicandi, et ut insuper a praeterita male acta applicatione absolveretur.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, haec respondit: « Itaque quoad primum, licet in concedendis binantibus emolumentum aliquod, etiam incommodi et laboris ratione, severius agendum generatim sit, ne sub specie laboris et incommodi revera secundae missae eleemosyna sub alia forma contra canonum dispositionem ab eis percipiatur; nihilominus in casu speciali, speciales circumstantiae attendendae sunt. Siquidem dum ex una parte denegari queat parochum Marinelli secundam missam cum aliquo incommodo diebus festis celebrare favore solius monasterii s. Caroli, ex altera, idque mihi praecipuum est, ipse munere confessarii fungitur in supradicto monasterio, quin ullam percipiat retributionem, cum de monasterio agatur, a quo ob maximam, qua laborat, paupertatem, nulla retributio vel peti vel concedi potest. Cum itaque parochus Marinelli 1. secundas mis-

sas celebret in monasterio S. Caroli cum aliquo suo incommodo, 2. cum maxima spirituali utilitate monialium, quae aliter sacrum diebus festis audire non possent, 3. cum praesertim confessiones excipiat monialium absque ulla retributione, remitto sapientissimo iudicio Eñorum Patrum decernere an *ratione huius specialis circumstantiae* concedi possit facultas legato parochiali quindecim missarum satisfaciendi cum secundis, quas binat, missis. Quoad alterum, nempe quoad sanationem ab eodem expetitam de missarum secundarum applicatione iam in praeteritis annis peracta, bona, ut ipse asserit, fide, ad sui legati satisfactionem, mihi videtur severius agendum esse. Nam intelligi nequit, quomodo bona fide sibi id permitti putaverit, cum Episcopus hac super re ab eo interrogatus diserte et expresse eidem patefecerit, missas sui legati satisfieri non licere per secundas missas, quas binat. Neque ratio ab eo adducta, quod scilicet nullam exinde perceperit eleemosynam, aliquid valet, cum adimplementum sui legati per secundas missas, idem reapse sit ac ex eisdem eleemosynam arbitrario percipere et contra expressam sui Ordinarii voluntatem. »

Disceptatio Synoptica

His relatis vix aut ne vix quidem aliquid addendum superest. Canonum enim praescripta in hac re perspecta certaque sunt, eaque omnino prohibent dari ac percipi eleemosynas directe pro secundae missae celebratione. Id patet ex constitutione Benedicti XIV *Declarasti* et ex constanti S. C. C. praxi, cuius luculento testimonio est *Cameracen. Missae pro populo, 25 Septembris 1858; Ventimilien. 13 Decembris 1835.*

Imo hac in re S. C. C. adeo rigorose processit, ut cum Episcopus *Brixiensis* rogasset, an tollerari posset inolita consuetudo ut eleemosyna a pio aliquo sodalitio, vel a praefecto fabricae, parocho pro secunda missa oblata sine onere specialis applicationis admitteretur, die 3 Martii 1855 S. C. C. respondit: *Consuetudinem iuxta exposita esse reprobandam.*

Et quamvis ex alia causa et indirecte, idest ex titulo remunerationis pro speciali labore, aliquid pro secunda missa acceptari S. C. C. quandoque permiserit ceu in *Monasterien. 11 Iunii 1845* et in *Treviren. 23 Martii 1861;* nihilominus in themate petitio ad hoc non porrigitur; sed proprie poscitur ut 15 secundae missae cum retributione applicentur. Par namque est manuali stipendio aut beneficii fructibus missam augeri. Quapropter factae petitioni proprie et directe obsistit lex; et idcirco, iuris rigore inspecto, gratia in futurum deneganda foret, et insuper ob anteactas missarum applicationes, pro quibus parochus aliquid percepit, ad tantumdem restituendum damnari ipse deberet.

Nihilominus, si attentis peculiaribus circumstantiis, indulgentiâ magis quam iuris rigore preces excipiendae essent, remissum fuit definire EE. Patrum iudicio.

Resolutio Sacra C. Concilii, re cognita sub die 7 Septembris 1889 censuit respondere: « *Pro absolutione quoad praeteritum, celebratis quinque missis; quoad futurum pro gratia reductionis quinquaginta Missarum ad quinque missas, durante servitio, quod orator monasterio praestat, facto verbo cum SSmo.* »

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DUBIA quoad expositionem imaginis beatae Mariae Virginis, quae colitur in Valle Pompeiorum.

Ordinis Praedicatorum

Rmus P. Marcolinus Cicognani procurator generalis Ordinis Praedicatorum, exponens quod plurimi Fratres sui Ordinis ad devotionem promovendam erga Beatissimam Deiparam a Rosario per Imaginem quae colitur in Valle Pompeiorum, hanc Iconem exponere coeperunt in Ecclesiis ipsius Ordinis; cupiensque eorumdem fovere pietatem, verum iuxta leges a S. Rituum

Congregatione sancitas, insequentia Dubia pro opportuna solutione eidem Sacrae Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An liceat in Ecclesiis, in quibus canonice sunt erectae SSmi Rosarii Confraternitates, antiquae Imagini B. V. Mariae de Rosario substituere Imaginem pompeianam? et quatenus negative;

Dubium II. An liceat Imagini B. M. V. de Rosario in eodem Altari Imaginem parvam pompeianam supponere, uti vulgo dicitur *sotto quadro?* et quatenus negative;

Dubium III. An liceat in praefatis Ecclesiis dedicare dictae Imagini B. M. V. Pompeianae aliud altare? et quatenus negative.

Dubium IV. An liceat saltem in aliquo loco earumdem Ecclesiarum Imaginem B. M. V. pompeianam publicae veneration exponere? Et quatenus affirmative.

Dubium V. An eam visitando easdem Indulgentias Altari SSmi Rosarii concessas Christifideles et Confratres lucrari valeant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Rmis PP. Consultoribus Theologis, propositis Dubiis rescribere rata est – *Negative in omnibus.* – Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 24 Februarii 1890.

DECRETUM redintegrationis cultus olim praestiti ven. Servo Dei Antonio Mariae Zaccariae fundatori Congregationis s. Pauli Barnabitarum et Angelicarum s. Pauli.

Antonius Maria e nobili Zaccariarum gente Cremonae natus anno salutis MDIII, vel a prima aetate Deum super omnia *proposuisse ante conspectum suum* praeclaris argumentis patefecit. Liberalium disciplinarum curriculo domi emenso, Patavii lauream in medica arte promeruit: ubique pietate, morum innocentia, ac studio *sapientiae quae deorsum est,* in exemplum refulgens. Cremonam reversus, et caelesti lumine ad altiora vocatus, mundanis rebus valedixit, et clericalem vitam amplexus est. Sacerdotio deinde auctus, praecellenti, qua aestuabat, Dei aemulatione, totus in eo fuit, ut morum ac fidei puritatem aeque collapsam suos inter cives restituendam curaret. Praecipue vero in proximis iuvandis intensa eius caritas Mediolani enituit: ubi ad id apostolici ministerii sociis sibi adlectis, Congregatio-

nis Clericorum Regularium a s. Paulo nuncupatae fundamenta iecit: biennio post sacrarum virginum familiam instituit, quae deinceps Angelicarum s. Pauli nomen adeptae sunt. Eximiam insuper erga Deum et proximum dilectionem mirabiliter ostendit tum Domus Dei decorem atque Eucharistici Sacramenti solemniorem cultum zelando, tum pias virorum societates, et religiosos Clericorum per statos dies secessus, sacrasque expeditiones itidem promovendo. Brevi tamen fractus laboribus, meritisque dives spiritum Deo reddidit, tertio nonas Iulias anno MDXXXIX. Licet autem acerbo letho praereptus, Clericorum Regularium Congregationem ad plenam perducere stabilitatem ipse Fundator prohibitus fuerit; nihilominus optima pietatis, caritatis, regularisque disciplinae semina eidem inserta reliquit. Quae quidem semina (ut Ipse moriens divinitus praescivisse fertur, ac dolentibus filiis spopondisse) uberrimos fructus in agro Dominico retulerunt: prouti luculenter evincunt huiusce Congregationis res gestae, praesertim in sacri ministerii muneribus impigre obeundis, in iuventute ad Religionem et artes optimas informanda, in Catholicae fidei rationibus atque Apostolicae Sedis iuribus alacriter propugnandis.

Huic inclyto Dei famulo statim ab eius glorioso obitu ad annum MDCXXXIV, quo sa. me. Urbani Papae VIII pro moderando cultu Dei Servis praestito decreta edita sunt, caelitum honores passim tributi fuerunt. Posthac eius cultus publice desivit; opera praesertim Barnabitarum Familiae, quae (obedientia nunquam satis commendanda) tributis tamdiu Beatorum honoribus suum parentem carere maluit, quam vel minimum ab Apostolicae Sedis decretis discedere. Quapropter Causam eiusdem per ordinariam viam *non cultus* promovere perrexit: conditisque ordinariis atque apostolicis Processibus ac rite admissis, sa. me. Pius Papa IX heroicas ven. Antonii Mariae Zaccaria virtutes declaravit die 2 Februarii anno 1849.

Nihilominus in votis Alumnorum praefatae Congregationis constanter fuit ab Apostolica Sede illius cultus redintegrationem obtinere, utpote qui aliquibus titulis, a supradictis decretis Urbanianis exceptis instructus aliisque adiunctis, quae singularem quamdam Sedis Apostolicae indulgentiam mereri videbantur. Quocirca ad preces rev. patris Ignatii Pica, sacerdotis professi memoratae Congregationis, tunc huius Causae postulatoris, Emus et Rmus Dñus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus

Albanensis, causae ipsius Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, ad Vaticanum die 28 Ianuarii 1888 habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit locus redintegrationi cultus praedicti ven. Servi Dei in casu, et ad effectum de quo agitur?* Ast Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, ac post auditum voce et scripto R. P. D. Augustinum Caprara s. Fidei promotorem, sententiam suam proferre distulerunt, ac rescribere rati sunt: *Dilata ad proximam, et reproponatur cum novis adnotationibus Promotoris Fidei.*

Interim novis animadversionibus a s. Fidei Promotore exaratis, atque amplioribus ab eodem corrogatis documentis, idem Emus et Rmus Dnus Cardinalis relator, ad preces Rev. Patris Alphonsi Mariae Mattioli, sacerdotis professi eiusdem Congregationis, et novi Causae postulatoris, in altero sacrae ipsius Congregationis ordinario coetu, ad Vaticanum pariter subsignata die coadunato, suprascriptum dubium denuo proposuit. Et sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, auditoque ipsomet s. Fidei Promotore, sic tandem rescribere censuit: *Attentis peculiaribus causae adiunctis, supplicandum Sanctissimo pro redintegratione cultus olim ven. Servo Dei praestiti.* Die 17 Decembris 1889.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi praefectum relatione, sanctitas sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, redintegrare dignata est cultum beato Antonio Mariae Zaccaria, fundatori Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli Barnabitarum, et Angelicarum Sancti Pauli, olim exhibitum.

Die 3 Ianuarii 1890.

C. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

Vincentius Nussi, S. R. C. *Secretarius.*

APPENDIX VII.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

PASTOPOLITANA.

Rmus D. Ignatius Valasco Episcopus Pastopolitanus sequens Dubium S. R. C. pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

Quum aliquorum calicum cuppae adeo altae sint, ut pollex eorumdem fundum nequeat pertingere, quaeritur utrum in consecratione calicis essentiale sit efformare cum sancto chrismate crucem a labio ad labium, ita ut centrum crucis sit prorsus in ipso fundo cuppae; an sufficiat ungere quomodo possit quousque pertingat pollex, sive etiam ungere liceat longiori digito, nempe indice?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita rescribendum censuit: in casu servetur quantum fieri potest Rubrica Pontificalis romani.

Atque ita rescripsit. Die 12 Septembris 1884.

SANCTI DIONYSII.

Quibusdam Religiosae Congregationis sive Instituti Sacerdotibus simplici voto obstrictis proprioque Kalendario rite approbato fruentibus nonnullae Paroeciae in Dioecesi s. Dionysii demandatae sunt, et beneficia conlata. Quum vero controvertatur utrum eiusmodi Sacerdotes Parochi Kalendarium ipsius Dioeceseos, in qua sunt Beneficiarii, vel propriae Congregationis, sequi debeant in divino Officio persolvendo, hinc Vicarius generalis rmi Episcopi dictae Dioeceseos a S. Rituum C. humillime exquisivit:

1. Num memorati Sacerdotes Religiosi teneantur ad Officium recitandum propriae Congregationis, Missam tamen iuxta Kalendarium Dioeceseos celebraturi diebus quibus pro populo eam applicare tenentur; an potius, utpote Beneficiarii, semper ad Officium propriae Ecclesiae obligentur?

2. An Sacerdotes vel Parochi Cleri saecularis, qui in Ecclesiis Parochialibus curae eorumdem Religiosorum demandatis sacrum facturi sint, ad Missam iuxta illius Congregationis Kalendarium celebrandam cogi valeant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, iuxta Decretum in Tuden. die 23 Maii 1846 ad 5. (1)

Ad II. Negative quando color est idem, et serventur Decreta.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 12 Septembris 1884.

SANCTORIEN.

Hodiernus Caeremoniarum Magister in Ecclesia Cathedrali Sanctorien. de mandato sui Reverendissimi Ordinarii, S. Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione proposuit, nimirum:

Dubium I. An servari possit consuetudo vigens in hac Dioecesi, qua Diaconus in Missa solemni, et Celebrans in Vesperis cruces parietum Ecclesiae in anniversario ipsius dedicationis thurificet?

Dubium II. Item in Ecclesiis huius Dioeceseos servari ne potest consuetudo renovandi SSmam Eucharistiam semel, vel bis in mense, quum qualibet hebdomada iuxta Caeremoniale Episcoporum eadem SSma Eucharistia foret renovanda?

Dubium III. In solemnitate Corporis Christi quando in publica Processione ad parva altaria portatilia in viis populo impertitur benedictio cum SSmo Eucharistiae Sacramento praemitti ne debet hymnus *Tantum ergo* cum versiculo *Panem de coelo* et oratione *Deus qui nobis,* vel alia antiphona cum alio versiculo, prouti obtinet in Ecclesia sanctorien.?

Dubium IV. Diebus Dominicis aspersio aquae benedictae super populum fieri debet a Celebrante extra Chorum gradiente usque ad ianuam Ecclesiae, vel a Choro conversus, Celebrans debet aspergere populum iuxta praescripta tum in Caeremoniali Episcoporum, tum in tribus Decretis?

Dubium V. Quando canitur Officium Defunctorum in fine cuiusque Psalmi dum dicitur ℟. *Requiem aeternam etc.* Episcopus debet ne dextra manu tumulum benedicere, quum nihil de hoc praescribatur in Caeremoniali Episcoporum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

(1) TUDEN. Dubium 5. Regulares, utpote electi a suis Coenobiis in tota Hispania, et hanc ob causam tamquam Parochi, vel Vicarii variis Ecclesiis praefecti, pro officio recitando, Missaque celebranda an possint, vel debeant recitare Officium, et Missam celebrare iuxta Kalendarium Dioecesis, in qua Ecclesiis deserviunt, vel iuxta Regulare Kalendarium Ordinis, ad quem per professionem religiosam pertinent?

Ad 5. Teneri in casu ad Officium Ordinis, sed in diebus festis Missam pro Populo celebrandam ut in Kalendario Dioecesis. Die 23 Maii 1846.

Ad I. Exposita consuetudo servari potest, dummodo Celebrans thurificationem perficiat stando.

Ad II. Servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. I, c. 6.

Ad III. Servetur Decretum in Volaterrana diei 23 Sept. 1820. (1)

Ad IV. In Dominicis aspersio populi cum aqua benedicta facienda est à sacerdote ad cancellos presbyterii iuxta alias decreta.

Ad V. Negative, et serventur Rubricae ac Caeremoniale Episcoporum.

Atque ita rescripsit. Die 12 Septembris 1884.

TARVISINA.

De mandato Rmi Episcopi Tarvisini hodiernus sacrarum Caeremoniarum Magister in Dioecesano Seminario, S. R. C. insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Quando Titulares, vel Patroni loci alicuius habentur duo Sancti, quorum eadem die in Kalendario universali fit Officium, ast sub ritu diverso, ex. gr. alter sub ritu duplici, et alter sub simplici; quomodo agendum est? Posset ne, quemadmodum in Festo ss. App. Petri et Pauli, fieri Officium sub ritu duplici primae classis cum octava de illo qui iuxta Kalendarium universale potiori ritu gaudet cum commemoratione alterius, et in sequenti die festum (seu

(1) VOLATERRANA. Quum Caeremoniale Episcoporum, Auctoresque omnes liturgici illius dispositionem apprime sequentes, praesertim lib. 2. cap. 33. num. 22., ritus edoceant, initio, progressu, et fine Processionis solemnis SS̃mi Corporis Christi servandos, quumque inter cetera S. Rit. Congregatio eiusdem Caeremonialis dispositioni inhaerens, regulam edixerit die 11 Maii 1562, elargiendi semel tantum populo Benedictionem in fine Processionis Corporis Christi, hanc eamdem in ordine Divini Officii pro Cathedrali, et Dioecesi Volaterrana illius Rm̃us Antistes, pro exacta liturgicarum rerum observantia inserendam, et cudendam iussit: verumtamen cum contraria vigeat ea in Civitate, et Dioecesi perantiquissima consuetudo, ut quoties Ecclesiae, sive Altaria occurrant per viam toties ibidem et supplicatio sistat, et populus, impertita benedictione, dimittatur: hinc Sac. Rit. Cong. supplex adiit, postulans: an potius praedicto S. R. C. Decreto, quam consuetudini sit in posterum inserviendum?

Et S. eadem Congregatio, exquisita prius alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris in scriptis sententia, typis quoque iuris publici reddita, ad relationem Em̃i et Rm̃i Dn̄i Card. Iulii Maria de Somalia Sac. Collegii Decani, et eidem Congregationi Praefecti, loco Em̃i et Rm̃i Dn̄i Card. Cacciapiatti relatoris absentis, respondendum censuit: « Iuxta Votum, nimirum: non obstante Decreto inserto in ordine Divini Officii recitandi, vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo, ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non toties pausatio fiat, et benedictio elargiatur, quoties Altaria occurrant, sed semel, vel iterum, et Altaria per viam extructa, sint decenter ornata, et a probo Caeremoniarum perito prius auctoritate Episcopi visitata. » Atque ita respondit. Die 23 Septembris 1820.

commemoratio) alterius sub ritu duplici maiori: singulis vero octavae diebus duplex utriusque commemoratio?

Dubium II. Quando Titulares vel Patroni sint duo Martyres, quorum eadem die festum inscriptum est in Kalendario dioecesano, ast unius tantum Officium praescribitur in Kalendario universali, potest ne fieri Officium plurimorum Martyrum cum communi oratione?

Dubium III. Quando Ecclesiae alicuius Titulares sint duo Sancti, quorum Officium seu Festum distinctis diebus adsignatur, debet ne recoli seorsim Festum sub ritu duplici primae classis cum octava?

Dubium IV. In Dioecesi Tarvisina (ex Rescripto S. R. C. 1834) agitur anniversarium dedicationis omnium ruralium consecratarum Ecclesiarum Dominica IV Octobris; anniversarium vero Ecclesiae cathedralis fit Dominica post diem sextam Iulii; ceterarum demum civitatum Ecclesiarum idem festum recolitur respectivis propriis diebus. Hinc quaeritur:

1. Debet ne vigere regula, quae praescribit una eademque die celebrandum esse festum dedicationis Ecclesiae cathedralis et omnium Dioeceseos Ecclesiarum consecratarum et huic Officio debent ne sese conformare Ecclesiae non consecratae? An distinctio haberi debet inter Ecclesias consecratas et non consecratas, atque inter urbanas et rurales?

2. Si autem Festum dedicationis Ecclesiae cathedralis seorsim praefata die recolatur, debet ne ab universa recoli Dioecesi?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii auditoque voto in scriptis alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit.

Ad I. Si Sancti titulares vel patroni, de quibus est sermo, sunt aeque principales, de ipsis simul agendum est eadem die et sub ritu classis quem sanctis praedictis Rubricae adsignant.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. In casu, Festum dedicationis Ecclesiae cathedralis Dominica post diem VI Iulii sub eodem ritu, etsi sine octava, erit recolendum ab universa Dioecesi indistincte, scilicet ab omnibus Ecclesiis sive consecratis sive non, sive urbanis sive ruralibus. De consecratis vero Ecclesiis urbanis praedictum Festum erit celebrandum respectivis diebus solummodo a Clero eisdem Ecclesiis stricte addicto; quemadmodum a Clero, cui demandata est cura Ecclesiarum ruralium consecratarum sive non, Anniversarium dedicationis Dominica IV Octobris peragendum est.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 12 Septembris 1884.

NOVARIEN.

Rmus D. Stanislaus Eula hodiernus Episcopus novarien. exponens quod Capitulum Ecclesiae collegiatae ac parochialis sub titulo s. Gaudentii in civitate Novariensi de legitimo ipsius Episcopi consensu officium et ceteras functiones nunc peragens in aliena Ecclesia quae ad Congregationem Oratorii pertinet, quum praedicta collegialis Ecclesia nunc temporis restauretur; a S. R. C. sequentis dubii solutionem humillime expetivit, nimirum:

Num quilibet Sacerdos illius Capituli, quod proprio utitur Kalendario, licet parum a Dioecesano discrepante, quando color paramentorum sit diversus, in sacro celebrando debeat sese pro tempore conformare Kalendario dioecesano, quo utuntur Sacerdotes e Congregatione Oratorii, an proprio?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus rite perpensis, proposito dubio ita rescribendum censuit: Affirmative ad primam partem, excepta semper Missa conventuali, Negative ad secundam.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 28 Novembris 1884.

BRUNEN.

Per Decretum S. R. C. diei 10 Februarii 1860 ad universas Ditionis Austriacae Ecclesias in Missis vel solemnibus vel parochialibus, diebus, quibus a Rubricis permittitur, specialis collecta pro Imperatore cum secreta et postcommunione addenda praecipitur. Diversis tamen coarctatur interpretationibus sensus verborum *Missa parochialis*. Hinc Rmus D. Franciscus Salesius Bauer hodiernus Episcopus Brunen. ab eadem S. R. C. insequentium dubiorum resolutionem humillime petiit, nimirum:

1. Quaenam Missa per ea verba iuxta mentem ipsius Sacrae Congregationis intelligenda est?

2. Quum ex Decreto s. m. Leonis Papae XII. Episcopi teneantur ad Missam applicandam pro populo omnibus Dominicis et ceteris Festis tum de praecepto servandis, tum iis quae de huiusmodi festorum numero sublata sunt, quae obligatio parochorum obligationi analoga est, quaeritur num in praedictis verbis memorati Decreti Missae parochialis includatur onus etiam pro Episcopis Ecclesiarum Ditionis Austriacae?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito etiam voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, propositis dubiis ita rescribendum censuit:

Ad I. Parochialis Missa appellanda, quam parochi diebus festis etiam abrogatis tenentur applicare

pro populo, atque in ea collectam de qua in casu addere debent.

Ad II. Negative, idest Episcopus in casu non teneri.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 28 Novembris 1884.

LUCIONEN.

Rmus Dnus Nicolaus Catteau hodiernus Episcopus Lucionen. atque etiam ipsius nomine hodiernus redactor Kalendarii in usum eiusdem Dioeceseos S. R. C. insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecerunt, nimirum:

Dubium I. Quum ex Indulto apostolico solemnitas Patroni principalis cuiusque loci ut plurimum Dominica infra octavam eiusdem Patroni locum habeat, ex ipsius S. R. C. responsionibus constat quod in Ecclesiis, ubi neque viget obligatio Chori neque alia canitur Missa de Officio currente, fieri debet huius commemoratio cum ceteris occurrentibus in Missa votiva solemni eiusmodi solemnitatis translatae. Hinc quaeritur:

1. Utrum in ea Missa solemni commemoratio facienda sit de die infra Octavam, si forte alia occurrat octava, vel de simplici occurrente?

2. Num faciendae sint eiusmodi commemorationes si in hac Dominica occurrat duplex secundae classis quod commemorationem tum diei infra octavam, tum simplicis in Missa solemni excludit?

Dubium II. Ubi festum Purificationis B. M. V. quo concluditur tempus Natale, octava gaudet, debet ne in Missa infra eiusdem octavam usurpari praefatio Nativitatis, vel de Beata Maria Virgine cum verbis *Et te in Purificatione?*

Dubium III. Quaenam ex Communi repetendae sunt lectiones 2 et 3 nocturni infra octavam, utriusque Cathedrae s. Petri Apostolorum, an Confessorum Pontificum?

Dubium IV. Ubi Festum titulare Patrocinii s. Ioseph habet octavam possunt ne absque Indulto intra octavam usurpari lectiones quae in supplemento ad Octavarium romanum specialiter concessae videntur?

Dubium V. Quaenam lectiones recitari debent in 2 et 3 nocturno infra octavam Sacratissimi Rosarii, cum in Octavario non reperiantur communes lectiones pro octavis Beatae Mariae Virginis?

Dubium VI. Ex decreto 8 Iunii 1709 in Bracharen. ad III, diebus 6 et 7 infra octavam Festi titularis SSmae Trinitatis faciendum est Officium de die secunda et tertia infra octavam Corporis Christi cum commemoratione SSmae Trinitatis; rubrica vero specialis Octavarii romani 6 die infra octavam Sanctissimae Trinitatis sic sonat: Si Festum Sanctissimae Trinitatis titulus est Ecclesiae, fit de octava eiusdem cum commemoratione octavae Corporis Christi. Quaeritur cuinam ex duabus his sententiis adhaerendum sit?

Dubium VII. Quando concurrit dies octavae SSmae Trinitatis cum sequenti Festo duplici primae classis, debet ne fieri commemoratio octavae praedictae?

Dubium VIII. Cum Festa s. Ioseph et Immaculatae Conceptionis B. M. V. ad primum gradum inter solemnitates erecta sint, quaeritur an his diebus liceat celebrare Missam solemnem de Requie praesente cadavere, uti fit feriis 2. et 3. infra octavam Paschae et Pentecosten?

Dubium IX. Ubi Festum s. Gabrielis Archangeli celebratur sub ritu duplici primae classis, utpote patroni vel titularis Ecclesiae, debent ne Vesperae integrae fieri de eo cum commemoratione sequentis s. Iosephi, vel de s. Iosepho cum commemoratione praecedentis?

Dubium X. In concurrentia Festi SSmi Redemptoris cum Officio votivo SSmi Sacramenti, debet ne fieri commemoratio praedicti Officii votivi in Vesperis?

Dubium XI. Ex Rubricis generalibus Missalis Tit. XVII N. 5 in Missis feriarum Adventus etc. genuflectere debent omnes in choro, dicto per Celebrantem *Sanctus* usque ad *Pax Domini;* inclusive, vel exclusive?

Dubium XII. In tota fere Dioecesi lucionensi adest consuetudo canendi Missas, quae infra hebdomadam a diversis fidelibus petuntur, omittendo in choro *Gloria* et Graduale vel Tractum, nec non Sequentiam vel *Credo* si dicenda occurrant, ea ratione quod cantor unicus omnes Missae cantus difficillime solus peragere posset, populusque diuturnitatem Missae praesertim in diebus servilibus aegre sustineat. Quaeritur utrum praedictus modus canendi Missas servari possit, vel prout abusus eliminanda sit eiusmodi consuetudo?

Dubium XIII. Quaeritur utrum in Ecclesiis mere parochialibus, ubi non adest obligatio Chori, Vesperae, quae ad devotionem populi diebus Dominicis et festivis cantantur, conformes esse debeant Officio diei ut in Breviario, vel desumi possint ex alio quolibet Officio ex. gr. de SSmo Sacramento, vel de Beata Maria Virgine?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit, nempe:

Ad I. Negative.

Ad II. Praefatio Nativitatis ut in die festo.

Ad III. Repetantur lectiones diei Festi.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. ut ad III.

Ad VI. Servetur Decretum in Bracharen. citatum (1).

(1) BRACHAREN. 3. An diebus 6 et 7 Octavae SSmae Trinitatis, cum de eis

Ad VII. Serventur Rubricae de concurrentia.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Vesperae integrae faciendae de s. Gabriele, attenta solemnitate eiusdem festi, utpote patroni seu titularis Ecclesiae, verum addita commemoratione S. Ioseph.

Ad X. Negative.

Ad XI. Inclusive usque ad *Pax Domini* per Celebrantem.

Ad XII. Consuetudo, de qua in casu, veluti abusus prorsus eliminanda est.

Ad XIII. Licitum est in casu Vesperas de alio Officio cantare, dummodo ii qui ad Horas canonicas tenentur, privatim recitent illas de Officio currente.

Atque ita rescripsit, declaravit, ac servari mandavit. Die 29 Decembris 1884.

ISCLANA.

Hodiernus Parochus Ecclesiae sub titulo s. Mariae Magdalenae poenitentis loci vulgo *Casamicciola* intra fines Insulae ac Dioeceseos Isclanae, S. Rituum Congregationi insequentia dubia, de consensu Rmi Dni Ordinarii, pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An eadem parochialis sub enunciato titulo Ecclesia terraemotu collapsa, quum ab interitu fuerit vindicata, possit dicari Sanctissimo Cordi Iesu?

Dubium II. Utrum super Altari maiori praedictae Ecclesiae in fabrefacta aedicula locari possit statua Dominum Nostrum Iesum Christum detecto Corde et ad eius pedes provolutam repraesentans ipsam sanctam Mariam Magdalenam?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative, retenta tamen s. Maria Magdalena tamquam contitulari.

Ad II. Nihil in casu obstare.

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 16 Ianuarii 1885.

fiat Officium, quia dignior Corporis Christi, debeat etiam fieri nona lectio de simplici illis diebus occurrente, an omitti, ratione octavae Corporis Christi?

Ad 3. Diebus 6 et 7 infra octavam Titul. SS̃mae Trinitatis faciendum Officium de die secunda et tertia infra octavam Corporis Christi cum commemoratione SS.̃mae Trinitatis. Die 8 Iunii 1709.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

S. PAULI IN BRASILIA

DUBIUM QUOAD FORMAM CONCURSUS

Die 3 Augusti 1889.

Sessio 24 Cap. de Ref.

Compendium facti. Episcopus S. Pauli in Brasilia retulit: Canonicum Capituli cathedralis, qui unicus accessit ad concursum Dignitatis, exhibuisse petitionem aliaque documenta, concurrentis idoneitatem comprobantia, sed exacto termino, pro concursu statuto apposuisse in catalogo concurrentium nomen suum: et alia addidisse prioribus documenta. Apostolicam Sedem super irregularitate sanationem dedisse per apostolicum Internuntium; sed dubium super interpretatione Constitutionis Benedicti XIV *Cum illud* permansisse: Vicario generali contendente ex dictis omissionibus non constitui nullitatem concursus; contrarium substinente Lectore iuris canonici in Seminario Dioecesis: qui appendicem addidit suis praelectionibus iuris ecclesiastici, typis editis, ad suam tuendam sententiam. Quamobrem exposcere ipsum Episcopum: an pro forma substantiali ceu docetur in appendice professoris habenda sint ea quae a Benedicto XIV in Constit. *Cum illud* — praescripta sunt quoad beneficia ecclesiastica, ita ut nullum reddant concursum, in quo non serventur.

Super his placuit exquirere votum consultoris, quod in compendium exhibetur.

Monitum. Etsi S. C. C. dubia proposita non resolverit, placet tamen referre votum Consultoris; qui hac in materia multa congessit utilia et scitu digna. His adiiciendum venit quidquid relatum fuit Vol. VII pag. 353 ad 379; quo loco collecta sunt documenta illa, per quae modus expeditus porrigitur ad utilius exaequandam dispositionem tridentinam de concursu praemittendo collationibus paroeciarum.

Disceptatio Synoptica.

Votum consultoris. Animadvertit iste dubium Rmi Episcopi non referri ad casum quemdam particularem, nondum decisum, sed ad quaestionem *mere theoreticam*, sive potius ad aliquam altercationem inter lectorem iuris canonici in seminario episcopali et ex-vicarium generalem; itemque difficulter intelligi querelas de solemni contemptu auctoritatis dioecesanae propter impugnatam sententiam Vicarii generalis in praxi non sufficientem, et cui saltem specie tenus videtur obstare rescriptum apostolicum, quo *sanatio* actus fuit concessa, quem Vicarius generalis *validum* fuisse declaravit. Ultro vero concedendum esse puto, solo illo rescripto apostolico opinionem lectoris iuris canonici non satis probari, neque *necessitatem* recursus ad Sedem apostolicam inde posse deduci in casu. Nam non raro huiusmodi rescripta conceduntur ad cautelam et finiendas lites, non propter strictam iuris necessitatem, atque in casu allato duae illae formalitates aut fuerunt absolute necessariae ad valorem actus, aut non. Si necessariae non fuerunt, recursus superfluus fuisse potest, quia actus omnino fuit validus; si vero habendae sint tanquam duae solemnitates substantiales inter tempus in edicto determinatum, nemo legitime nomen suum dedit ad concursum subeundum, unicus enim fuit candidatus, atque is in hypothesi facta ad tramites iuris nomen catalogo concurrentium non inseruit. Quo in casu quamvis Episcopus tutius atque laudabiliter agat, si secundum edictum promulget, quo denuo clerici invitentur ad concursum, tamen stricto iure ad hoc non tenetur. Ergo cum unicus tantum adesset clericus, qui illam dignitatem exoptaret, atque alias esset dignus et idoneus, collatio in ipsius favorem facta, praetermisso novo concursu, ex iure communi tanquam valida fuisset sustinenda, nisi obstet specialis lex pontificia vel dispositio legis fundationis. Cf. Leuren. *Forum benef. P. I. q. 185.*

Vicarius generalis in sententia iudiciali negat omissionem duarum formalitatum nullum et irritum reddidisse omnino concursum, imo defectus insertionis nominis in catalogum concurrentium ipsi videtur esse tam levis momenti, ut in motivis suae sententiae iudiciali additis, illum non curet, sed solummodo agat de superadditis documentis post tempus legitimum elapsum. Hinc patet quantopere restringenda et limitanda sit assertio lecto-

ris iuris canonici, quod vicarius generalis interpretatus sit *constitutionem* Benedicti XIV: « Cum illud » in sensu opposito decisionibus S. C. C. Nequaquam enim Vicarius generalis *universam* constitutionem « Cum illud » interpretatus est, sed de *duabus* tantum formalitatibus, *omnibus aliis omissis*, sententiam protulit. E contrario lector iuris canonici, ut probet duas illas formalitates esse substantiales solemnitates eo processit, ut assereret, omnia in const. « Cum illud » a Benedicto XIV praescripta pro forma substantiali concursus esse habenda. Manifestum est igitur assertionem lectoris iuris canonici et argumentationem latius patere, quam sententia iudicialis Vicarii generalis.

Denique sententia iudicialis a Vicario generali lata, si ad duas illas formalitates restringatur, suo fundamento iuridico non videtur carere.

Etenim insertio illa formalis et scripta in catalogum concurrentium non est habenda tanquam formalitas ad valorem concursus necessaria, nisi id expresso iuris textu probetur, praesertim cum agatur de solemnitate adeo exigui momenti, et nullitates actuum sint probandae, utpote multum odiosae, non asserendae. At nullus iuris textus afferri potest, quo nullitas actus definitur propter omissam istam formalitatem, et quae a lectore iuris canonici de facto afferentur, omnino non sunt ad rem et nullius plane momenti. Quare iure merito in causa allata *in Acta S. Sed. vol. XI. p. 83* illius omissionis nulla omnino ratio habita est, quoniam sufficienter constabat de intentione concurrendi. Id quod procul dubio obtinuit in hac nostra causa. Nam qui maiorem partem documentorum ad concursum requisitorum intra legitimum tempus ad competentem auctoritatem ecclesiasticam transmisit, is intentionem concurrendi satis manifestat.

Imo etiamsi quis nomen suum daret, termino clauso, ab examine concursus non esset repellendus, dummodo sese sisteret, re adhuc integra, i. e. examine concursus nondum peracto, et docere posset se legitimo impedimento fuisse detentum. Ita enim teste Leurenio, *Forum benefic. p. I, q. 182* respondit S. Congr. Conc., eamdemque sententiam adoptavit Rota et sequuntur Corrad., Garcias, Scavini. Etenim Ecclesiae utilitas exigit, ut plures oppositores concurrant, neque tempus in edicto praefixum efficit, ut alii competitores plane excludantur, sed ut sciatur non esse amplius exspectandum. Cf. quoque *Act. S. Sed. vol. XI. p. 84. et 89, vol. XVII. p. 590.*

Denique nullitas concursus etiam inde repeti non potuit, quod unicus iste competitor, termino elapso, sed examine concursus nondum habito, aliquod documentum aliis documentis intra tempus legitimum iam exhibitis denuo addiderit. Profecto Benedictus XIV in const. « Cum illud » § 16. n. II. prohibet, ne « dicto termino elapso, documenta huiusmodi quaecunque et qualiacunque ea sint, nullatenus » recipiantur. At aeque certum est eundem Benedictum XIV *l. c. n. 6* statuere: « Praeterea in ferenda sententia atque reparando gravamine idem iudex, i. e. appellationis, innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis, tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione *usque ad diem habiti concursus* tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commoda exhibendis necessariis iuribus, attestationibus, requisitis aliisque meritorum documentis; idcirco ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus atque districte mandamus, ne dictae attestationes, fides tam iudiciales quam extraiudiciales et documenta quaecunque studiose conquisita et *post concursum* ut aiunt expiscata ullo modo recipiantur. » Quae verba aperte demonstrant documenta *ante* concursum exhibita valore probandi non destitui. Praeterea ob oculos habendus est scopus illius constitutionis Benedicti XIV atque speciatim vero ordinationis § 16 contentae. Ut constat ex § 15 cit. const. noluit Benedictus XIV appellationis remedium in hac materia concursus penitus abrogare, sed impediendum sibi pariter existimavit « ne improbi... ingenii homines remedium appellationis ad iustitiae praesidium institutum callide traducant ad iniquitatis defensionem ». Quibus iustitiae legibus profecto adversatur, si in appellatorio iudicio non de ea dignitate, honestate, scientia atque aptitudine tempore examinis *actu* iam existenti sententia feratur, sed de scientia *post* examen acquisita, atque de honestate quae innitebatur documentis post concursum « expiscatis ». At in nostro casu iudicium in appellatorio non fuit prolatum atque documenta, saltem ante concursum fuerunt exhibita. Ergo nihil factum est, quod adversaretur intentioni Benedicti XIV.

Quoad professorem iuris canonici, qui sententiam vicarii generalis impugnare contendit, ait Consultor, omnes allegationes ab eodem adductas non esse ad rem, nec quidquam probare contra sententiam eiusdem vicarii; id quod clare evincit.

Hoc peracto, ad votum Episcopi gradum facit; et ait: quae-

stio proposita non est practici momenti; quia iam resoluta fuit per Romani Pontificis sanationem, neque de solis duabus formalitatibus, de quibus in sententia Vicarii generalis decisio iudicialis data est, postulatur responsio, sed de omnibus omnino solemnitatibus a Benedicto XIV in const. « Cum illud » ad concursum requisitis. Latissime igitur patet quaestio, integrae cuiusdam constitutionis apostolicae expetitur interpretatio, neque unquam hucusque de omnibus et singulis formalitatibus a S. C. C. facta est inquisitio, sed in casibus concretis ad dubia particularia datae sunt responsiones et decisiones iudiciales.

Quare imprimis dubium a Rmo Episcopo verbis indeterminatis propositum videtur accuratius circumscribendum, ut obiectum, cui danda sit responsio, melius cognoscatur neve nimium crescat dubiorum numerus, cum de quaestionibus ad examen concursus spectantibus facili negotio ingens quidam catalogus confici possit.

Hinc 1. si in dubio occurrunt illa verba « An pro forma substantiali absolute, » quaestio videtur referri ad illas formalitates, quibus non servatis, concursus *ipso iure* sit nullus et irritus, non tantum rescindibilis ad instantiam partis lesae vel ex officio, aut illicite celebratus propter legem prohibentem Ecclesiae. 2. Cum unice commemoretur constit. « Cum illud » non ad legem Tridentinam *Sess. 24. cap. 18. De ref.* aut ad Pii V. const. « In conferendis » inquisitio est extendenda. 3. Dubium exstitisse videtur de solo examine concursus, non de iis quae examini praecedunt, neque de appellationibus, quae forte examen sequuntur. Quare etiam in const. « Cum illud » interpretatio solummodo §§. 10, 11, 16, n. II, III, IV, V, est danda imo cum §§ 10 et 11 perfectiori et clariori modo repetantur a Benedicto XIV sanctiones Tridentinae, praesertim ad § 16 reducitur universa controversia 4. Denique si in libello supplici sermo est de concursu « ad beneficia ecclesiastica, » sane restringenda est quaestio ad beneficia ecclesiastica in const. « Cum illud » expressa, et ad quae illa constitutio fuit legitime extensa. Quibus animadversionibus praemissis, dubium Rmi Episcopi, forte hac ratione, aliis verbis exprimi posset, ut et controversia illa particularis inter Vicarium generalem et lectorem iuris canonici et quaestio plane generalis melius distinguantur.

DUBIUM I.

« An duae illae formalitates de quibus sententiam iudicialem protulit Vicarius generalis in casu ita sint substantiales, ut vel una ex illis non servata, ipso iure nullus et irritus existat concursus, si ex iure communi vel speciali in provisione canonica beneficii ecclesiastici Benedicti XIV constitutio « Cum illud » sit servanda ? »

DUBIUM II.

« An omnes et singulae formalitates a Benedicto XIV in const. « Cum illud » praesertim § 16, n. II, III, IV, V, ad concursum praescriptae, ita sint substantiales, ut vel una ex illis non servata, ipso iure nullus et irritus existat concursus, si ex iure communi vel speciali in provisione canonica beneficii ecclesiastici const. « Cum illud » sit servanda ? »

RESPONSIONES POSITIVAE

I. Responsio practica:

« Quoad dubium practicum et particulare ortum in collatione dignitatis cantoris propter duas formalitates non servatas provisum est per rescriptum SS. Domini; quoad quaestionem theoreticam et generalem consulat probatos auctores, et si futuro tempore practicum quoddam dubium oriatur de interpretatione const. « Cum illud » in casibus particularibus recurrat ad S. C. C.: denique quoad lectorem iuris canonici utatur iure suo, procedat prout de iure ad formam ss. canonum. »

II. Responsio theoretica:

Ad dubium I: « Negative, dummodo nomen detur et documenta exhibeantur re adhuc integra sive concursu nondum habito, et doceatur de legitimo impedimento. »

Ad dubium II: « Negative nisi in casibus a iure expressis. »

Quaestio ab Episcopo proposita, ceu alias innuimus, non refertur ad particularem provisionem canonicam, practice dubiam propter defectum quendam forte substantialem; nam si unquam de valida collatione dignitatis cantoris dubia quaedam moveri potuerunt, omnis difficultas practica per rescriptum sanatorium SS. Domini, saltem ad cautelam concessum, omnino est sublata atque nonnisi imprudenter de valore illius provisionis propter formam non servatam dubitari posset.

Quare dirimenda restat controversia mere theoretica et generalis. At vix negari poterit, dubitationes quasdam non leves existere, ob quas forte a directa et definitiva responsione abstinendum sit. Quibus dubitationibus consulitur per formam responsionis practicae. At revera huiusmodi magistralis interpretationis nulla existit practica necessitas, atque difficultas ex publicata « appendice » orta aliis iuris remediis potest tolli. Insuper exempla non desunt, quibus comprobetur per interpretationes authenticas virorum doctorum controversias fuisse definitas, si generales fuerunt, et practica extitit utilitas, ut patet ex modo agendi Bonifacii VIII *in Sext. cf. Leuren. l. cit. pag. 183*, sed propter altercationem quandam literariam inter simplicem lectorem iuris canonici et ex-Vicarium generalem non illico videtur interponenda auctoritas S. C. C., secus hac spe illecti forte non pauci viri docti existerent, qui suas controversias canonicas per benevolum Episcopum Romae proponerent decidendas cum non levi incommodo atque exigua utilitate. Denique optimo consilio scribit Santi, *Praelectiones iur. can. l. I. t. 31, n. 49.* « Animadvertimus autem frequentes non esse resolutiones Sacrae Congregationis Concili in forma generica et abstracta, imo hodie ordinariam praxim eiusdem esse, ut quaestiones peculiares resolvat et particularibus casibus ius constitutum applicet. Formula enim solita est: an constet de valore matrimonii *in casu*...» Iam vero in favorem dubii a Rmo Episcopo propositi solida ratio non videtur posse allegari, cur ab « ordinaria praxi » S. C. C. recedatur, atque non tantum de una quaestione « in forma generica et abstracta » detur responsum, et una controversia dirimatur, sed integrae cuiusdam constitutionis apostolicae, cum quamplurimis partibus, de quibus nondum generalis inquisitio a S. C. C. huc usque facta est, concedatur interpretatio authentica et generalis. Insuper in hac materia non una existit controversia, sed complures existunt quaestiones controversae et agitatae inter viros doctos, *Cf. Act. S. Sed. vol. VII. p. 350 contra Reclusium;* Passerin. *De elect. cap. 29 et 30;* Leuren. *l. c. p. I. q. 189;* Benedict. XIV, *De synod. dioec. lib. IV. cap. 7 n. 6*, quae non ita per modum unius videntur resolvendae. Tandem omnes illae formalitates vix videntur ubique adeo ad amussim observari, ut forte propter responsum nimis generale et rigidum dubia possint oriri de valore collationum ecclesiarum parochialium, quae melius vitarentur.

Lector iuris canonici ante operis sui publicationem obtinuit approbationem Episcopi dioecesani aut non; in priore casu profecto benigne tractandus est lector iuris canonici atque Episcopus sibi tribuere debet si supervenerunt difficultates ex revisione libri, nimis leniter peracta; quod si lector omisit approbationem Episcopi petere, statuta canonica violavit, quoniam dubium existere nequit, quin libri canonicas disputationes continentes etiam ex disciplina nunc in Ecclesia vigenti praeviae censurae ecclesiasticae sint subiiciendi. *Cf. Coll. Lac. Conc. rec. t. V, p.*

Quare Ordinarius loci hoc casu utatur iure suo: et sane a fulminatione censurarum videtur omnino abstinendum, quia paucae illae lineae appendicis forma quadam minus prudenti conscriptae non constituunt crimen laesae maiestatis et forte in istis regionibus Brasiliae censura ecclesiastica librorum non cum tanto rigore exercetur, ita ut paterna quaedam admonitio de immutanda appendice plane sufficiat.

Quodsi danda videatur directa et positiva responsio, illa continetur duabus responsionibus theoreticis supra allatis, e quibus prior resolvit illam theoreticam iuris quaestionem de duplici formalitate unice controversa in praxi, altera attingit quaestionem plane generalem de *omnibus* formalitatibus et conditionibus concursus in const. « Cum illud » praescriptis.

Negative respondendum esse videtur priori dubio adiecta duplici limitatione de re adhuc integra et demonstrato legitimo impedimento.

Et sane scriptura in actu legitimo non requiritur, nisi expresse in iure cautum sit, atque idcirco praesentatio vel institutio canonica maioris securitatis et probationis causa, non propter valorem actus, scripto consignari solet. *Cf. Leuren. For. benef. p. II, q. 186.* Iam nullo iuris textu probatur nomina concurrentium intra tempus in edicto praefixum scripto catalogo esse inserenda sub poena nullitatis concursus. In Concilio Tridentino *Sess. 24 cap. 18 De ref.* occurrunt illa verba: « Porro Episcopus nominet...., liberum sit.... eorum nomina deferre; » at id scripto faciendum esse non praescribitur. Et licet postea dicatur eos examinandos « qui descripti fuerint, » verba illa factum continent, non praeceptum, ipsa vox describendi sensum admittit latiorem et secundum praecedentia est explicanda ubi de nominibus deferendis et candidatis nominandis agitur. Quare

mirum non est, quod S. C. C. alias citata defectum scripturae nullius momenti esse in causa existimavit.

Quod vero facultas nomen deferendi perduret, elapso tempore, dummodo res sit integra, id inprimis eruitur ex declaratione S. C. C. circa ann. 1600 edita, in quo ad dubium: « An occurrente beneficii vacatione in concursu providendi, ad quod intra terminum in edicto praefixum plures sunt oppositi, si dicto termino elapso alter superveniat re integra debeat admitti » responsum fuit: « Re integra esse utique admittendum. » Neque excipi potest supervenisse Benedicti XIV const. « Cum illud. » Nam lex generalis posterior non abrogat priorem quandam dispositionem specialem, cui insuper directe et expresse non est opposita. Id quod in nostro casu obtinuit. Praeterea S. C. C. etiam post Benedicti XIV const. « Cum illud » videtur retinuisse principium, re integra et demonstrato legitimo impedimento, clericum supervenientem ad examen esse admittendum. Nam in causa *Lancianen.* die 19 Septembris 1761 cassato priore concursu novum indixit coram Episcopo viciniore, atque ut constat ex disceptatione praemissa « sacerdos Angelus Andreassi » maxime inde impugnavit suam reiectionem quod supervenisset re adhuc integra et demonstrato legitimo impedimento. et quod sua morum honestas nonnisi calumniis fuisset impetita.

Quodsi res non amplius sit integra, sed forte concursus iam sit habitus aut facta sit collatio libera vel Institutio canonica, competitorem supervenientem iure merito repelli manifestum est. Nam edictum de tempore praefixo, saltem illud efficit, ut post lapsum temporis non amplius sit expectandum atque ad ulteriora procedi possit. Ergo actus qui sequuntur legitime celebrantur, sed actus legitime gesti rescindi non debent, nisi speciali iure id cautum sit. Id quod in hac nostra quaestione non obtinet. Nec minus assertio confirmatur per iuris analogiam, quoniam in similibus casibus eadem viget iuris dispositio. Ita v. g. quamvis patronus laicus ius variandi habeat praesentationem intra tempus sibi a iure concessum, tamen inefficax est secunda quaedam praesentatio post factam institutionem canonicam clerici primo loco praesentati, ut patet ex *cap. 21. X De iure patron. III, 38.*

Nec minus iusta videtur altera clausula de demonstrato legitimo impedimento. Nam certum atque indubitatum est principium, tempus legitime impedito non currere, nisi specialis pro-

betur exceptio: at de exceptione non constat; ergo admittendus est competitor, qui accedat ad concursum, re adhuc integra, et doceat de legitimo impedimento. Quae sententia non tantum confirmatur aequitate naturali et canonica, sed etiam auctoritate doctorum, qui passim docent admittendum esse legitime impeditum · cfr. v. g. Garciam, *De beneficiis ecclesiast. p. 9. cap. 2 n. 205,* Ferraris *ad V. Concursus art. 5 n. 17,* Scavini, *Theol. moral. l. 3 n. 695.* Imo interdum in edictis episcopalibus haec clausula his vel similibus verbis additur: « Praefixo termino elapso, nisi de legitimo doceatur impedimento, nemo, praeter iam adscriptos, admittetur. » *Cfr. Act. S. Sed. vol. 17. p. 591 seqq.*

Quod de nomine dando modo fuit demonstratum, idem de documentis exhibendis videtur asserendum. Nam hanc formalitatem adeo rigorose requiri, ut nullus et irritus sit concursus si re adhuc integra propter legitimum impedimentum, elapso tempore, documenta exhibeantur, ex natura rei deduci non potest, quia in aliis actibus legitimis talis rigor non servatur et ante const. Benedicti XIV « Cum illud » haec formalitas tanta severitate non fuit praescripta; ipse enim Benedictus XIV. ut constat ex cit. const. « Cum illud » § 16, hac in re ius antiquum immutavit. Porro neque verba constit. « Cum illud » § 16 n. II continent legem irritantem, neque in fine const. speciales reperiuntur clausulae irritantes, neque obstat scopus, quem ob oculos habuit R. Pontifex. Is enim in eo fuit, ut vitarentur nova sua ordinatione frivolae appellationes et ut in appellatorio iudicio de uno eodemque examine atque de iisdem documentis scriptis feratur iudicium atque in prima instantia. Iam vero si documenta exhibeantur, elapso tempore, sed re adhuc integra, iste scopus perfecte obtinetur atque propter adiunctam alteram clausulam de legitimo impedimento demonstrato negligentia atque socordia subsidium ex huiusmodi concessione mutare nequit.

Item alteri quaestioni, quae quoad substantiam continet dubium a Rmo Episcopo propositum, nequaquam absoluta et generali quadam affirmatione videtur respondendum, sed solutio quaedam restricta et limitata ad casus certos in iure expressos videtur esse praeferenda. Nam nullitas actus non est asserenda, sed probanda, ideoque, posito actu, standum est pro valore actus, donec demonstretur nullitas; atque hinc S. C. Concilii non raro solet respondere « non constare de nullitate » actus

vg. concursus ut accidit in causa *Ferent.* d. 7. Dec. 1725. Qua responsione valor concursus non fuit declaratus, sed nullitatem certis argumentis non fuisse demonstratam *Cf. Acta S. Sed. vol. 6. p. 352.* Quod in causis particularibus obtinet, idem tenendum est de lege generali. Etenim legem quandam generalem, praesertim cum tot formalitatibus quot continentur in const. « Cum illud » esse quoad omnes et singulas illas formalitates vere irritantem ipso iure actus in contrarium gestos, non est tantum asserendum, sed certis argumentis demonstrandum. Nam lex irritans aut iam ex natura sua est poenalis aut certe in iis casibus quibus poenam non infligit ex intentione legislatoris, multum odiosa, Cfr. Suarez, *De leg. l. 5. cap. 19,* atque certum pariter est nequaquam omnem legem ecclesiasticam prohibentem esse etiam legem irritantem. « Quia multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint obtinent roboris firmitatem » ut dicit Innocentius III *in cap. 16 X de regular. (III. 31)* idem que efficitur ex quamplurimis exemplis iuris canonici cfr. Suarez *l. c. cap. 29.*

Iam necessitas omnium illarum formalitatum, quas praescribit Benedictus XIV in const. « Cum illud » repeterentur ad valorem concursus aut ex natura rei aut ex relatione huius const. ad Concil. Trid. *Sess. 24 cap. 18 de reform.* et Pii V const. « In conferendis » aut ex subsequenti quadam declaratione rr. Pontificum vel S. C. C. aut ex communi et certa sententia et interpretatione doctorum atque praxi.

I. At *ex natura rei* illa necessitas demonstrari nequit. Nam prohibitio illa Benedicti XIV ex natura rei haberet vim legis irritantis, si actus in contrarium gestus deficeret in principio quodam valoris substantiali ex natura rei requisito vel malitiam contineret intrinsecam perpetuam, sive turpitudinem semper durantem, ut tradit Schmalzgrueber in *dissert. prooem. n. 70 et 71* cum Suarez et Wiestner. Verum neutrum dici potest, cum ipso fatente Benedicto XIV concursus Tridentinus valide fieri variis modis potuisset etiam non paucis ex illis formalitatibus non servatis atque nonnisi per Clementem XI commendatis et per Benedictum XIV praescriptis.

II. Neque ex relatione ad Concil. Trid. et Pii V const. « In conferendis » efficax deducitur argumentum. *a)* Nam licet Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 24 de ref.* atque Pii V const. clausulam habeant irritantem, tamen de forma quadam spe-

ciali et exclusiva nihil disponunt, sed examen concursus vel oretenus vel scripto de eadem materia vel de diversa fieri poterit, ut constat ex discursu Benedicti XIV § 19, atque in ipsa Urbe demum per Innocentium XI introducta fuit praxis omnibus concurrentibus eadem quaesita proponendi, idem tempus assignandi, scripta responsa exigendi. Atque ipsum Concilium Tridentinum in fine *cit. cap. 18* haec statuit: « Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis *formam* addenda remittendave esse censuerit, providere. » Quae verba non afficiunt substantiam concursus Tridentini, in qua immutanda citra privilegium apostolicum Episcopis nunquam agnita est potestas, sed ut ipse tenor verborum insinuat, illam *formae* varietatem, quae salva substantia consistere potest. *b*) Porro non obstantibus clausulis irritantibus et *sess. 24. c. 18 de ref.* et const. « In conferendis » unam alteramve exhibent sanctionem, cuius necessitas ad valorem actus nequaquam est certa. Ita vg. in Concilio Trid. l. c. requiritur, ut examinatores iurent « ad sancta Dei evangelia. » Iuramentum illud examinatorum essentialiter requiri ad valorem concursus S. C. C. pluries declaravit et communiter tenent doctores cf. Leuren. *p. 1 q. 189*, sed de necessitate tangendi Evangelia atque de aliis quibusdam adiunctis iuramenti non est concors doctorum opinio cf. Leur. l. c. Benedict. XIV *De synod. dioec. l. 4. op. 7 n. 6.* Item non obstante prohibitione Pii V § 5 const. « In conferendis » S. Congr. Concilii in causa *Portugall.* 30 Mart. 1737 generaliter sustinendam esse censuit prorogationem ultra 20 dies, si adsit iusta causa vel aliquod interiectum sit impedimentum.

c) Denique non subsisit, quae scribit de hac relatione Reclusius: « Istud decretum *irritans* istaque clausula *sublata*... quae in citatis encyclicis et in benedictina Constitutione desiderantur perinde est, ac si ipsis quoque apposita fuerint. Quandoquidem S. C. Concilii seu Clemens XI et Benedictus XIV in praedictis locis sese referunt ad dictum Concilium Tridentinum atque pianam Constitutionem. Unde absurdum esset si a relato referens diversimode interpretaremur.... » Editores enim Act. S. Sed. *volumen VII. p. 350.* speciosam hanc rationem Reclusii hoc modo refutant: « Non enim, inquiunt, animadvertit Reclusius S. Congregationem admisisse quidem quandam peculiarem formam concursus, sed eandem praecepisse *per modum instru-*

ctionis ut videre est in primi dubii responsione in causa agitata die 16 Novembris 1720.... Neque animadvertit Constitutionem Benedictinam « Cum illud » totam fere referri ad Instructionem Clementis XI, quam uberius explicat. Ideoque adversus Reclusium posset retorqueri argumentum hoc modo: absurdum esset si a relato referens diversimode interpretaremur, sed Benedictus XIV se refert ad Instructionem Clementis XI, quae tota in hortatione consistit, ergo Benedictina Constitutio in hortatione consistit. Quam conclusionem fateor esse falsam, namque Benedictus XIV non solum hortatus est, sed *praescripsit* eum gerendarum rerum ordinem, quem longo usu utilem agnovit, quae aequivalere possint clausulae irritanti. Neque animadvertit Reclusius aliquam legem... referri posse ad alteram *multiplici* ratione. Referri enim potest aliqua lex ad alteram interpretando et innovando, ut citata Constitutio Pii V refertur ad Tridentinam dispositionem et tunc haec lex facile induit naturam alterius, sed referri quoque potest ad alteram explicando aliquem modum, quo utilius haec altera lex executioni mandetur, quo casu lex non induit naturam alterius, sed unum prae alio executionis modum determinat. »

III. Neque ex constitutione ipsa Benedicti XIV « Cum illud » eruitur omnes et singulas formalitates ibidem enumeratas sub poena nullitatis concursus praescribi. Si quis contendat nullum effici concursum non servatis §§ 10 et 11 huius constit., id negandum non est, cum illis paragraphis lex Tridentina denuo inculcetur atque innovetur, neque quisquam in dubium vocabit § 16 n. 4 formam Clementis XI non solum commendari, sed *praescribi* his verbis: « Die praestituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis, anno 1721 editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleatur,» at certis et concludentibus argumentis non videtur posse demonstrari *omnes* formalitates § 16 et Instruct. Clementis XI tanquam conditiones substantiales ad valorem concursus fuisse constitutas.

a) Nam commendationem Clementis XI, non tantum in legem praeceptivam, sed vere irritantem a Benedicto XIV fuisse commutatam, neque eruitur ex tenore constit. « Cum illud » in qua nequaquam ea adhibentur verba, quibus leges irritantes enuntiari solent cf. Suarez *l. c. cap. 26.* v. g. ipso facto, ipso iure non valeat, careat robore firmitatis; neque deducitur ex clau-

sulis quibusdam irritantibus, quae singulis conditionibus vel in fine constit. appositae non sunt, neque arbitraria illa ratione Reclusii supra refutata clausulae illae suppleri possunt. Ergo cum de omnibus et singulis conditionibus lex irritans probari non possit, standum est pro parte benigniore, i. e. pro lege solummodo praeceptiva, nisi speciali quodam argumento demonstretur exceptio. *b)* Quae mitior sententia etiam argumentis intrinsecis videtur commendari. Etenim in concursu iam tot existunt conditiones ad valorem actus requisiti propter numerum et qualitatem examinatorum, iuramentum aliaque adiuncta, ut in negotio adeo gravi provisionis canonicae clausulae irritantes certe non sint augendae. Porro mens Benedicti XIV in cit. const. non fuit, ut plane reiiceret appellationes, at Rom. Pontifex illas voluit reddere difficiliores minusque frequentes, atque in primis sub hoc respectu corrigere Pii V constit. propter hominum astutiam et malitiam minus opportunam. Qui scopus vix obtineretur, si propter singulas formalitates, forte exigui momenti o missas, liceat competitoribus impugnare valorem concursus. *c)* Ita v.g. § 16 n. 3 praescribitur: « Eveniente die concursus a Cancellario episcopali singulorum merita, qualitates et requisita, ut vocant incorrupta fide deprompta a iuribus tempore habili exhibitis *in scriptis* summatim redigantur, porro copia epitomes tradetur non solum Episcopo vel Vicario generali vices illius obeunti, sed singillatim omnibus Examinatoribus ad concursum adscitis. » At vix quis sibi persuadere poterit, concursum esse nullum, si compendium illud scriptum meritorum singulis examinatoribus non exhibeatur, sed forte tria vel quatuor testimonia originalia et Episcopo et Vicario generali iam nota, etiam sine compendio ipsis examinatoribus tradantur legenda ante concursum habitum: aut numquid concursus declarandus est irritus si, « notula compendiaria requisitorum antea distributa » non denuo tradatur Cancellario neque comburatur, neque penes acta secreto custodiatur, ut praescribitur § 16 n. 5? *d)* Porro in instr. Clementis XI legitur: « Quartum ut eodem concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde quamdiu scribent, nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et exhibuerint. Quintum ut omnes sua quisque manu tum responsa tum sermonem scribant subscribantque... Postremum ut unumquodque responsum et unusquisque sermo cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur non so-

lum ab eo, qui scripsit atque a cancellario concursus verum etiam ab Examinatoribus et ab Ordinario vel eius Vicario, qui concursui intefuerint subscribatur. » Quae formalitates salvo meliore iudicio non ad *solemnitatem,* sed ad *probationem* actus videntur requiri ut vitentur *fraudes* atque in appellatorio iudicio authentice constet de examine. Et revera si quis per substitutum attentet subire examen, ut dicitur in const. Benedicti XII « Quoniam » 1339 cf. quoque Pauli IV const. « Inter ceteras » 1557, aut de clandestina agatur transmissione solutionis casuum, ut suspicio fuit in causa *Benevent.* 25 Maii 1844 cf. *Causae selectae* S. C. C. p. 772, dubium existere nequit, quin concursus sit nullus, quoniam in examinibus essentialiter requiritur industria personalis, et fraus atque dolus nemini debent patrocinari, praesertim si alii competitores ita iniuste excluderentur. At omissionem strictae clausurae in uno conclavi, si aliunde certo constet fraudes non intervenisse, scripturam non perfecte signatam, cui casui ille aequiparandus esset, quo nomina, ut non raro fit, a nemine legi possent, quae aliunde certo probari potest authentica efficere nullitatem concursus aegre videtur esse admittendum.

e) Quod si denique in cit. Instr. Clementis XI requiritur « ut responsa quidem latine, sermo autem ea, qua ad populum haberi solet lingua, scribatur, » dubitari merito poterit, num illa responsa « latine » conscripta ad valorem concursus sint necessaria. Nam quantum coniici licet ex discursu Benedicti XIV § 19 quaesita latine proponuntur, ut ex responsis latinis « bene dignoscatur, an calleant linguam latinam et sic an habeant capacitatem intelligendi et explicandi Concilium Tridentinum. » At haec cognitio linguae latinae etiam ab examinatoribus cognosci potest ex testimoniis allatis et ex ipsa explicatione data Concilii Tridentini. Praeterea examen concursus non est examen de lingua latina, sed de idoneitate ad curam animarum, et ex uno responso latino v. g. de quaestione quadam dogmatica vel morali vel canonica scopus ille sufficienter obtinetur, secus in omnibus istis Dioecesibus, in quibus non omnia responsa latine conscribuntur, sed forte solummodo unum, irritus habendus esset concursus. Id quod vix dici poterit.

IV. Denique post Benedictum XIV nulla existit constitutio apostolica, qua disertis verbis declaretur omnes et singulas for-

malitates const. « Cum illud » ad valorem concursus requiri; neque existit *generale* decretum S. C. C., quo doctrina Reclusii approbetur, sed ad particularia dubia sibi proposita dedit responsa, imo S. C. C. quoad ipsum tempus omnibus concurrentibus concedendum, mitiora videtur sequi principia ut constat ex causa *Verulan.* d. 20 Ianuar. 1770, ubi §. *Inquirendum* haec leguntur: « In *Militen. Concursus* diei 21 Iulii 1753 nonnulli concurrentes conquesti fuerant, quod longius temporis spatium aliis concessum fuerit ad sua munera explenda, sed nihilominus proposito dubio: An constet de nullitate concursus responsum fuit: Negative. Qua quidem resolutione Sac. Congregatio declaravit, nequaquam pertinere ad substantiam concursus, ut idem temporis spatium omnibus constituatur. » Cfr. quoque *Act. S. Sed. vol. 7 p. 348.*

V. Neque ex communi quadam et certa sententia canonistarum in favorem Reclusii depromi possunt argumenta. Unus enim Reclusius atque unus alterve qui ei consentire videntur, cf. *Acta S. Sed. vol. 7 p. 348,* non efficiunt sententiam communem, multoque minus certam, cum Reclusius suam opinionem nonnisi debilibus probet argumentis.

Quare omissa controversia quae inter ipsos editores Acta S. Sedis existit vel potius existere videtur, cum conciliatio sententiarum sine gravi difficultate fieri possit cf. *Acta S. Sed. vol. 7 p. 350 et vol. XI. p. 131 et 132 et 133 in fine* iisdem omnino quoad substantiam adstipulandum est, si *vol. 7 p. 350* docent: « IV. Eiusmodi regulas non ea intentione fuisse praescriptas a Benedicto XIV, ut constituerent substantialem formam, ex cuius neglectu ipso iure concursus seu examen esset irritum et nullum. V. Idque constare tum ex tenore praescriptionis regularum, tum ex eo quod clausulam irritantem, si secus factum fuerit, eiusmodi praescriptiones non secum ferant. VI. Quare ut concursus declaretur irritus et nullus, necesse esse ostendere v. g. aut ex dolo et fraude dictas regulas non esse servatas cum dolus et fraus nemini debeat patrocinari, aut adeo regulas fuisse neglectas ut eo ipso neglecta fuerit forma Tridentina. »

His animadversis proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An pro forma substantiali absolute habenda sint omnia ea quae in Benedictina Constitutione* Cum illud *praescripta sunt quoad concursus ad beneficia ecclesiastica, ita ut nullum reddant concursum in quo non serventur.*

II. *An duae illae formalitates, de quibus sententiam iudicialem protulit Vicarius generalis, ita sint substantiales, ut, vel una ex illis non servata, ipso iure nullus et irritus sit concursus, si ex iure communi vel speciali in aliqua provisione beneficii Benedictina Constitutio* Cum illud *sit servanda in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 3 Augusti 1889 censuit respondere: *Ad I. et II. non esse interloquendum.* (1)

ASCULANA

MATRIMONII

Die 14 Decembris 1889.

Sess. 24 cap. 1 De reform. matr.

Compendium facti. Quadam die anni, ut fertur, 1865 Angelus Bordoni et Anna Campitelli, ille 40 annos natus, haec 22, extemplo adstiterunt coram proprio parocho loci *Castel di Lama*, Dioecesis asculanae in Piceno, et mutuo dixerunt: haec uxor mea est: hic est vir meus. Haud serio animo, imo ioci causâ, haec fecisse et dixisse sponsi fassi sunt et adhuc fatentur. Cum tamen praesentes huic actui essent, licet ex casu, ut asseritur, Livia Agostini eiusdem parochi soror et Angela Corradetti vidua Amadio, parochus incertus de validitate sponsionis, rem detulit Curiae episcopali, quae tamen ab initio nil resolvit aut egit.

Interim tamen parochus ex parte sua, tum Angelum, tum Annam in foro externo mutuo ligatos retinuit, ideoque

(1) Quum quaestio iam sublata esset per sanationem R. Pontificis, manebat tantum quaestio theoretica; cui responsum dare noluit S. C. C. quae nunc non solet respondere in forma generica et abstracta, sed resolvit quaestiones particulares et casus practicos applicando ius constitutum.

a novis contrahendis nuptiis impeditos. Sed Angelus et Anna, ad sua, ut antea divertentes, de mutuo vitae consortio instituendo nullum consilium capesserunt. Imo Angelus professus est, se neque hanc neque aliam quamlibet mulierem uxorem ducere velle. Anna e contra maritum cupiebat: et cum post aliquot annos ludum amori dare coepisset cum alio viro, cui nubere sperabat, institit apud parochum ut a praecedenti vinculo, si quidem aderat, liberaretur.

Parochus iterum Ordinarium interrogavit: qui, quum cognitiones quasdam extraiudiciales assumpsisset, votum exquisivit promotoris fiscalis suae curiae et duorum aliorum canonistarum. At concors non fuit horum sententia; nam unus ex canonistis cum promotore fiscali tradidit, factum illius sponsionis fines simplicis ioci non excessisse: alter vero non ita.

Ideoque Ordinarius rem omnem S. C. C. remisit una cum supplici libello eiusdem Annae, in quo iterum illa profitebatur se absque intentione sacramentalia illa verba protulisse, et insuper se nec antea, nec postea unquam cum Angelo maritale commercium habuisse; et ideo rogabat ut dispensaretur ab hoc impedimento matrimonii rati, quatenus existat.

Rescriptum fuit die 24 Maii 1875 Episcopo, qui processum conficeret, tum super asserta matrimonii nullitate, tum super non secuuta eiusdem matrimonii consummatione et super causis dispensationis.

Instituto itaque tribunali, in primis Ordinarius per parochum loci Castel di Lama Angelum et Annam excitavit ut suam primam qualemcumque sponsionem nova ac legitima promissione convalidarent. Sed cum in irritum haec studia cessissent, ideo tandem 10 Martii 1880 accersita coram iudice comparuit primum actrix Anna Campitelli, quae inter alia confirmavit, se ex ioco protulisse verba sacramentalia. Nam, ait, si nemini nubere cupiebam, multo minus id fecissem cum Bordoni, qui senex et poene mentecaptus erat.

Haec itaque omnia acta ad S. C. C. die 6 Februarii 1881

remittens asculanus Episcopus, suis litteris haec insuper adnotabat: « Ex praemissis, quae actis processus, plus minusve explicite continentur omnia, duo consequi videntur. Primum: Angeli Bordoni cum Anna Campitelli matrimonium ex consensus defectu et clandestinitatis vitio laborare; illud propter iocum: hoc propter alterius testis absentiam: siquidem abesse testis dicendus est, vel neutiquam testis esse, qui rem testimonii nullo modo percipit. Hinc aut constat matrimonium non fuisse ratum, aut saltem non constat fuisse. Alterum: neque de illius consummatione constare; quin etiam facile prorsus persuaderi, haud fuisse consummatum: moralem certitudinem, si quid opinor, parere ratus sum adiuncta facinoris universa, quae recensui, comitantia, anteriora, subsequentia. Cui profecto certitudini ac persuasioni nequaquam obest, quod aliquot in testium inductorum responsis varietates reperiantur: neque enim istae rei substantiam attingunt, nec fidem iuratae eorum sinceritati derogant, utpote interlapso tam longo tempori imputandae. Quare iudex, per me ad processum instituendum deputatus, ac matrimonii vindex officiosus ab exigenda iudicialiter foeminei corporis inspectione abstinuerunt, rati, haud necessariam esse certitudinis physicae additionem ex integritate comparandae; eo vel maxime, quia mulier, a iudice ipso, extra iudicii ordinem, prudenti eademque instanti interrogatione requisita, voluntatem patefecit prorsus aversam: quod si pudori tribuitur moralem illam certitudinem roborat; si conscientiae defloratiouis, quam forte ab alio viro in tanta morum depravatione passa fuerit, nequaquam infirmat.

At vero ista quorsum scripserim? Numquid eo, ut S. Congregationis iudicium anteverterem? Minime plane gentium! Transmisso, ut debui, processu, causam totam apud S. Ordinem perquam libentissime depono, paratus sententiam, quamcumque protulerit, summa cum reverentia excipere, measque omnes opinationes eidem, uti admodum profecto iustae ac sapienti, ex animo submittere. Consilium fuit in primis, pro reliquo munere meo, resultantia ex processu ex-

ponere; deinde mulierem S. Congregationi validius commendare, ut, nisi ius benigniori aequitati impervium obsistere comperiatur, illa, quam propere per tempus licebit, vel libera declaretur a matrimonio invalido, vel apostolica dispensatione donetur in rato, si quidem in dubio, absolute, sin dubio, ad cautelam. Status etenim sui libertatem exploratam ac certam habere pluribus iam, ut liquet, annis cupit, exposcit, contendit; proptereaque ab initio praesertim anni superioris ad hunc usque mensem frequentissime ad nauseam, modo per se, modo per alios, et Parochum urget et Curiam. Non tamen dedignor, nec spernendam aut negligendam puto. Urget quia acribus et ipsa stimulis urgetur, gravissimis videlicet causis, quae ad aliud absque mora ineundum matrimonium impellunt, atque idcirco ad prioris dissolutionem qualemcumque prosequendam. Breviter eas recenseo, ut una cum iis, quae in processus actis prostant, et aliae plures pateant, quae ibi hac illac iacent veluti delitescentes; quibus sive singulis, sive coniunctis, rationabiles effici videntur Annae Campitelli preces, potestatem petentis ad alias nuptias quamprimum convolandi.

1. Tum Anna Campitelli, tum Angelus Bordoni constanter negant, se animum habuisse matrimonium contrahendi. 2. De matrimonii valore dubitatur etiam, nec immerito, ob alterius testis defectum. 3. Neutra pars alteram quaerit. 4. Quinimmo Anna maritum aversatur tanta aetate provectiorem, et quodammodo fatuum; Angelus ab uxore qualicumque refugit. 5. Mulier nubendi fuit et est studiosa, nec capere proinde posse videtur evangelii verbum de eunuchis. 6. Pluries ab aliis viris quaesita, oblatam sibi opportunitatem, ob hypotheticum illud ligaminis impedimentum, amisit. 7. Aliam in praesens ad manum habet bonam huiusmodi occasionem. 8. Viro indiget ad levamen inopiae, necnon ad praesidium solitudinis, in qua propediem a parentibus sexagenariis relinquetur. 9. Annos nata septem supra triginta, quando occasionem hodiernam non arripuerit, manebit innupta. 10. In periculo incontinentiae versari pu-

tanda est, quia ad matrimonium propensa; magis, quia pauperrima et quia in privatorum domibus famulatum exercet, deque famulatu vivere cogitur. 11. Timendum valde ne, matrimonio prohibita, in legalem se dedat concubinatum: id se praestituram alias minata, abstinuit tamen adhuc; verum, post preces et curas tam multas in irritum lapsas, spe omni legitimi coniugii destituta, abstinebit semper? »

Disceptatio Synoptica.

Votum theologi. Causa antea fortassis inaudita, ait iste, delata fuit ad sacrum hoc Tribunal, in qua agitur de quodam matrimonio, sic vocabimus, quod alii ficte, et illusorie contractum fuisse sustinent, et e contra alii validum, firmumque fuisse iudicant.

Nunc itaque quaeritur an eiusmodi matrimonium, quod largo modo *clandestinum* vocabimus, validum necne fuerit, et firmum. Id equidem prima fronte facile videbitur; nihilque deesse pro veritate.

Angelus, et Anna coelibes, nullo irretiti naturali, aut canonico impedimento, nulla vi, aut metu compulsi, sed libere ad proprium accedunt Parochum, coram Testibus, mutui, et reciproci consensus verba proferunt. Quis de valore dubitabit, cum omnia quae necessaria sunt concurrant? Graviter quidem peccant, qui inopinato coram Parocho comparentes una cum testibus sive spontaneis, sive invitis matrimonium celebrant, ut serio animo et ex condicto fieri solet a furtive contrahentibus, non sine gravi scandalo, ac deordinatione. Tamen, licet Ecclesia eiusmodi matrimonia semper fuerit detestata et prohibuerit, et ex Tridentino patet, nihilominus valida habuit, et indissolubilia: id non semel haec S. Cong. definivit, uti videre est apud Pallottini, *De matr.* § *XV*. Id quoque scite observat alter Consultor Curiae asculanae.

Verum enim vero si tota facti series, imprudentissime ab istis peracti, consideretur nullitas fortassis apparebit.

Sponsi, sic vocabimus, agricolae, illiterati, rudes Sacramenti sanctitatem ignorantes non adverterunt, neque advertere poterant, gravissima, quae exurgebant consectaria, ideoque nec verum Sacramentum efficere cogitabant, licet materialiter, ut ita dicam, et apparenter, seu ludicre illud coram Parocho fuerint exequuti, quod clarius inde apparebit. Id suadet indoles festiva, et nugatoria Angeli, qui et apud Parochum, et apud omnes facetus, et iocorum amans definitur, imo quoque mentecaptus appellatur, qui saepe saepius obvias puellas ridendo sic interpellat « vis mecum nubere » vel « Te desponsabo » sicut Testes fere omnes unanimiter deponunt. Aliqui addunt, Angelum ebrietate fuisse gravatum et ipse non negat tantillum fuisse. Hominis autem ebrii quandoque incogitantes peragunt, quae usu antea frequentabant, et eius acta nullius ponderis habentur. Unde antiquitus apud Eusebium lib. VI. c. 33 ordinatio ab Episcopo ebrio facta futilis, et nulla iudicata fuit.

Anna vero, dum iret cum infantula super brachia, ex improviso deprehensa ducta est ad Parochum, quem domi non esse arbitrabantur; casu, et non ex condicto facete obsecundavit; ridendo ingressa est domum, ridendo egressa: licet postea admonita de facto flevit apud sororem Aloisiam, et reprobavit. Decrat enim et cognitio, et voluntas vere consentiendi: *nil volitum quin praecognitum. Consensus,* docet Angelicus *t. 2. q. XV. 2. proprie loquendo non est, nisi de his, quae fiunt ad finem.* An isti contrahentes sibi matrimonium proposuerunt tamquam finem, an, non potius ridendi occasionem captare? Testes, sicuti dicemus, idipsum sub iuramento concorditer deponunt, et interni consensus defectum agnoscunt in utraque parte.

Rebus sic ex processu collectis, invalide omnino istos contraxisse videtur esse concludendum. Et re quidem vera: in matrimonio agentes sese debent serio, omnique semoto ioco determinare, quod certe fieri nequit nisi vera intentione ducantur, certoque consilio. Auctor Sacramentorum Christus eorum administrationem, actionem humanam esse voluit:

actio porro humana esse non potest, nisi ex intentione fiat; non enim humana est, nisi libera sit, nec libera, nisi fiat ex rationis iudicio cum electione voluntatis. Si casui nostro ista applicentur criteria, et cum testium depositionibus conferantur, connubium sine ulla vera intentione, internoque consensu peractum fuisse apparebit, cum defuerit essentiale fundamentum. Sed post partes actrices audiendi sunt Testes.

Parochus ipse in epistola ad Vicarium generalem data sub die 18 Septembris 1873 videtur admittere, et credere rem per iocum et ludendo actam fuisse, ideo in examine deponit, se in libro Matrimoniorum hoc non adnotasse, quamvis graviter obiurgasset eiusmodi Sponsos; sed tunc videtur iudicasse nullum esse, et iocum. Verum in altera epistola ad Vicarium gen. sub die 13 Iunii 1874, mutato consilio, opinatur pro validitate. In formali vero examine an. 1880 respondens multa deponit, quae invaliditatem ostendunt, et favent nullitati, quamvis aperte non dicat.

Sed testes omnes vocati, septimae manus dicti, scilicet consanguinei, affines, et conterranei, medio iuramento, deponunt Angelum esse hominem facetum, iocosum, irrisorem, unde hunc actum, apparenter matrimonialem, uno ore et concorditer invalidum habent, et tenent iocum fuisse. Hi autem probe et intime contrahentium indolem, et naturam agnoscebant, unde fidem non videtur eis posse denegari. « In actibus humanis super quibus constituuntur iudicia, et exiguntur testimonia non potest haberi certitudo demonstrativa eo quod sunt contingentia, et variabilia, ideo sufficit probabilis certitudo.... est autem probabile quod magis contineat veritatem dictum multorum, quam dictum unius; *D. Thom. 2. 2. Q. 70. 2.* »

Alia insuper ex Testium examine elici possunt, et revera eliciuntur argumenta, quae lusum fuisse non obscure probant. Nulla praecessit amatoria relatio, nullum mutui amoris signum, nulla pactio, neque inter se, neque inter utriusque Parentes, multoque minus secuta est domestica cohabitatio.

Angelus deponit se numquam voluisse nubere, et quamvis

post scurriliter clamaret per vias *nupsimus, nupsimus,* id magis probat se non intellexisse nisi ludere in figura matrimonii. Testes equidem aderant, sed nec requisiti, nec vocati; quin imo observat Episcopus, in Epistola ad S. Cong. unum tantum ex Testibus audivisse verba, alterum minime, unde ex defectu duorum nullitatem posse deduci arbitratur.

Anna vero ab omni cum Angelo conniventia abstinuit, numquam ad eum accessit, imo perseveranter contempsit. Uterque porro obiurgati errorem detestati sunt canonicas leges ignorantes, et flendo quod iocantes et ridendo egerunt, reprobarunt. Ita ex Testium depositionibus habemus.

Haec omnia simul sumpta, et collecta, meo quidem iudicio, morali certitudine sufficere posse censeo pro nullitate asserenda, aut saltem, sicuti inferius dicetur, ad petendam a SS. Principe dissolutionem Matrimonii *rati,* et numquam *consummati.*

His non obstantibus cum agatur de Sacramento, non inficior plura, eaque non contemnenda adduci posse pro validitate, sicuti alter Theologus a Curia asculana requisitus opinatus est.

Duo videntur animadversione digna: unum circa legalem processum; alterum circa argumenta per Theologum allata.

Circa processum quaedam revera contradictiones occurrunt ex. gr. femina in libello supplici asserit se non respondisse viro; sed in formali examine recte, ut moris est nubentium respondisse - *Tu es vir meus* - Aliae quoque antilogiae, sed levioris momenti, substantiam non inficientes apparent, cum tamen testes omnes concorditer affirment fuisse ludum, et iocum. Iis equidem parcendum, qui post quatuor, et amplius lustra de hoc negotio ad testimonium dicendum vocati sunt. Stat itaque valor processus ad tramites canonicae legis confecti.

Sed ad alterum. Praefatus Theologus anno 1874 a Curia ecclesiastica requisitus, ex documentis extraiudicialibus concludit, matrimonium esse certo validum; non enim lusus evi-

denter probatur, sed omnia concurrere ait, quae verum constituunt matrimonium, quod semiclandestinum vocat; contrahentes liberi, parochus proprius, testes idonei, consensus clare prolatus: ideo istos valide, quamvis illicite, contraxisse concludit. Recte quidem.

Verumtamen ex processu iuridice, et formaliter anno 1880 confecto, aliter concludendum esse videtur; ex iurata enim contrahentium depositione, et testium uniuscuiusque speciei unanimi assertione, morali certitudine, colligitur verum in eis, sincerumque defuisse consensum, qualem in Sacramentis requirit Ecclesia, idest sanctitas huius, quod *magnum* Apostolus vocat: totam rem ludicre, ioculariter, et cum risu peractam fuisse patet, sicuti supra ostensum est, unde nullitatem colligere fas est.

Neque obiici poterit Angelum, et Annam externum ritum peregisse, pro cuius valore, iuxta quosdam non requiritur internus consensus: bene vero ab Ecclesia Catholica requiritur in Ministro, in matrimonio ex D. Thoma contrahentes esse supponimus, intentio, qua velit sanctum esse et religiosum id quod foris operatur, et ipsa Sacramenti institutio innuit.

In Synodo Tridentina disceptatum fuit, an qui serio animo, sed absque interno consensu, in Sacramentis agit, valide illud conficiat. Affirmans opinio quae Ambrosio Catharino O. P. tribuitur, minime fuit a PP. reprobata, sed habuit, et habet pro se gravissimos Theologos usque ad hodiernam diem, dummodo ritus externus serio fuerit peractus, et non mimice. Aliud est enim ritum serio, et iuxta mentem Ecclesiae, omni semoto ioco, exterius conficere, quem validum praefati agnoscunt doctores, praescindendo ab interno consensu, et aliud est ritum usurpare sacrum per iocum, et ridendo, sicuti fieri solet in theatris. Error eiusmodi, fidei maxime iniuriosus, a Leone X damnatus fuit in Luthero: et a Synodo Tridentina *Sess. XXV c. 9.*, contra Lutheranos et Calvinistas ita perverse sentientes quos anathemate mulctavit. An valida putanda erit sententia, qua

Judex per iocum, ac deridiculum damnavit aliquem? Pari ratione an dicendum erit validum matrimonium quod lusum fuisse processus ostendit? Ad valorem non semper sufficere externum ritum, nisi serio, et cum vera intentione adhibeatur, omnes consentiunt: aliter in praesenti casu accidisse comperimus. Unde indoles contrahentium, defectus veri consensus, seu intentionis, testium concordia, et reliqua omnia supra enumerata adiuncta, et consectaria elidunt, quae pro valore protulit asculanus Theologus: is coniugii naturam in se consideravit, non ludendo, sed serio peracti. Nunc vero ambos sponsos non conficiendi sacramentum intentionem habuisse, sed ludicre, et derisorie actionem matrimonialem simulasse patet ex dictis.

Quae cum ita sint, meo saltem iudicio, modo audiamus Angelicum Doctorem, more suo ita docentem *III. P. Q. 61. 10.* « Intentio, in sacramentis, potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta quando aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed *derisorie* aliquid agere, et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat etc. » Haec ad nostrum thema applicentur.

Sed cum ad dissolutionem Matrimonii rati, et numquam consummati, id enim ex Processu constat omnibus affirmantibus, ut Coscius et Canonistae prudenter monent, probationes concludentissimae requirantur, ideo si quis de huius valore subdubitet, consulendum esse ss. Pontificem ad cautelam censeo, ut suprema sua auctoritate sententiam dicat.

Consulto in superioribus, processui adhaerens, abstinui a quaestione inter Theologos agitata de matrimonii ministro, amplectendo sententiam hodie communem, et iuxta S. Alphonsum certam, D. Thomae apertissime docentis non Sacerdotem, sed ipsos contrahentes reciproce per verba esse ministros. - *Verba, quibus consensus exprimitur matrimonialis sunt forma huius Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quae est quoddam sacramentale. In 4 Sent. dist. 26. q. 2. et iterum dist. 28. 4.* Hanc sententiam no-

bilissimi Theologi Scotus, Gonet, Gotti, Billuart, aliique bene multi amplectuntur, et propugnant. Sed alii non certe ignobiles, duce M. Cano, Toletus, Sylvius, Nat. Alex., Drouven, Tourneley, Concina, aliique plures sustinent *Ministrum* esse Sacerdotem, et *formam* eius verba. Cum Ecclesia nihil definierit, Cani sententiam, *tot Doctorum suffragiis communitam* Benedictus XIV *valde probabilem vocat, ac cuique liberum esse absque erroris nota eam amplecti. De Syn. C. 28. 3.* Si igitur in istorum sententia sacerdos est Matrimonii *Minister,* et eius verba Sacramenti *forma,* absque dubio nullitas matrimonii, de quo agimus, logice argueretur, cum certo constet Parochum nihil omnino dixisse, et Sacramentum *sine forma* nullum irritumque esse probatione non indiget.

Votum canonistae. Quoniam rogatus sum, ait iste, meam submisse aperiam opinionem, quam ex processu efformare potui. Quo ex processu mihi videtur nullum fuisse matrimonium in casu, vel saltem dubium; certissime vero non consummatum, sed tantum ratum. Quam opinionem ut facilius explicem, ad tria summa capita revocabo, quae de matrimonio in casu, ex processu deducuntur: 1. *Matrimonium in casu est ne validum?* 2. *Si validum est, ne tantum ratum, an etiam consummatum?* 3. *Si tantum ratum, adsuntne causae quibus consulendum sit SSmo pro dispensatione?*

Quoad primum, videtur matrimonium in casu carere validitate defectu consensus et carentiâ legalis praesentiae testium. Defectus enim consensus eruitur ex contrahentium confessione, quia iuramenti sacramento affirmant nullum habuisse animum contrahendi matrimonium antequam parochum peterent, coram eo et post; sed id fecisse tantum per iocum.

Ex his confessionibus patet quod tota quaestio de validitate matrimonii in casu reducatur ad hoc, utrum defectus consensus probetur utriusque coniugis testimonio.

Sanchez *lib. 1 disp. 45* affirmat: « Quia cetera impe-

dimenta possunt alia via probari cum externa sint; dissensus autem cum in corde lateat non potest alia via probari, nisi per coniugum confessionem, licet coniecturae aliae possint adhiberi. » - Ratio et auctoritas tanti scriptoris animum ducit ad retinendam nullitatem matrimonii in casu ob defectum consensus ex partium confessione declaratum.

Et hoc eo magis quod non desunt coniecturae, quibus defectus consensus probari possit. Has ipse parochus et testes septimae manus probant. Re quidem vera; quod Angelus et Anna sine animo contrahendi matrimonium et ioco tantum parocho sisterent, ex ipsius parochi de hoc matrimonio recepta opinione eruitur.

Eamdem coniecturam de voluntate Angeli et Annae contrahendi matrimonium ioco et non in veritate, testes septimae manus confirmant.

Verum iuvat animadvertere hanc unanimem testium septimae manus depositionem, praeter vim suam de iure probantem, illam continere, quae *ex fama* procedit; testes enim opinionem publicam totius pagi referunt. Quae totius pagi opinio non inanis vocis popularis, sed *verae famae* proprietates dotesque habet; nam originem suam a personis honestis et fide dignis, scilicet ex testibus ducit; ex probabili causa ortum habet, ex pravo Bordoni ingenio et usu ludendi cum omnibus mulieribus de matrimonio cum ipsis contrahendo: est etiam diuturna, uniformis et anterior iudicio inito, qualis a iure requiritur. Reiffenstuel, *lib. 2 Decret. tit. 20 § 12, De Fama*. Quapropter etsi fama ex se plenam probationem non faciat, tamen sufficit ad probandum si aliae praesumptiones coadiuvent, quae in casu non desunt. *Mascardo, de probat. conclus. 757 num. 1 et 22*. Hinc ad ceteras allatas probationes accedit illa, quae ex vera fama habetur.

Quibus omnibus probationibus de stylo receptis, videtur, nisi me fallit opinio, de iure dicendum esse, in casu defuisse consensum.

Nullitas vero huiusmodi matrimonii magis patet ex eo

quod matrimonium fuit fictum non vero dolo, sed ioco. Matrimonium fictum est nullum, etiam eo casu in quo fictio sit ex una tantum contrahentium parte, et in casu habetur matrimonium fictum ioco ex utraque contrahentium parte. Ideoque dicerem cum Pyrhing. *lib. 4 Sect. 1 n. 95:* « Qui ficte contrahit... invalide contrahit... Simulatus autem consensus non est verus, ideoque etiam simulatum matrimonium non est validum... potius spectandum est quod re ipsa agitur, quam quod simulate concipitur. »

Nec contra dici potest quod fictio nullatenus admitti possit in casu, ex eo quod factis loquimur et consensum exprimimus non minus quam verbis; et pluris sit aliquid facere quam verbis renuntiare. *L. Si autem* § *de aedil. Edict.* Et ex *Cap. Per tuas de Praeb.* « Nimis indignum est iuxta legitimas sanctiones ut quod quisque sua voce lucide protestatus sit, valeat proprio testimonio infirmare. » Haec utriusque iuris testimonia non possunt inficere nullitatem matrimonii in casu, nam textus loquitur de operante ficte per dolum et non per iocum; neque de casu in quo ex utraque contrahentium parte patretur. Quapropter, etsi iocus reprobari debeatur, in casu tamen ex eo veritatem consensus nefas est deducere et affirmare, nec matrimonium ioco fictum ex utraque contrahentium parte esse verum et validum.

Quae nullitas, vel dubium saltem de validitate matrimonii in casu, magis firmatur ex carentia testium iuxta mentem Concilii Tridentini *Sess. 24 c. 1 De reform.* Re quidem vera Matrimonio, de quo in casu, praesentes et testes erant mulieres Angela Amadio et Aloysia Agostini, quae parochi est soror. Ista affirmat quod altera testis negat, scilicet Angela Amadio, quae statim post matrimonii praesumptam celebrationem, interrogata a parocho utrum intellexerit quae dicta et facta fuerant a sponsis, respondit, se nihil intellexisse. Hoc Angela dixit anno 1868: verum anno 1874 iudicialiter examinata dixit, se intellexisse tantum quae dixerat Bordoni et non intellexisse, nec vidisse ullum consensus signum ex parte Annae Campitelli. Quando

veritatem dixit testis? Si eam dixit parocho, nullum est matrimonium carentià praesentiae moralis et legalis testium; Concilium Tridentinum enim requirit praesentiam duorum saltem testium, humàno more agentium, qui cum parocho advertant quid a contrahentibus agatur. At in casu unus ex duobus testibus nihil intellexit; matrimonium est igitur nullum. Felin. *in prooem. decret. n. 21.* Sanchez *Disput. XIV per tot.* « Si vero testis dixit veritatem in depositione iudiciali, quod dictum, uti iudiciale, est priori anteponendum »; Reiffenstuel, *lib. 2 tit. 20 De. test.* § *10;* iterum matrimonium in casu est nullum carentiâ consensus ex parte Annae Campitelli.

Quoad secundum, ait Consultor, ex toto processu, rite confecto, patet matrimonium in casu esse tantum ratum et non consummatum.

Nileo quod id contrahentes affirmarunt iuramenti sacramento, a vindice vinculi requisito nam idipsum eruitur ex testium depositionibus. Et primum ex parochi testimonio. Ipse enim respondens super interrogationibus a iudice propositis id affirmat, quod omnes confirmarunt testes septimae manus unanimiter iuramenti sacramento. Mater Annae idipsum iuramento declaravit. Quapropter ex eo quod omnes testes septimae manus, de nulla relatione anteriori et posteriori matrimonio supposito inter Annam et Angelum habito concordant; et de eorum honestate pariter testimonium certissime ferunt, patet matrimonium in casu fuisse tantum ratum et non consummatum iuxta mentem DD. Coscius, *De separat. thori lib. 6 cap. 3,* Gonzalez *De conv. con. n. 7,* Ursaya *Discep. Eccl. tom. 3, dis. 21.*

Nisi me fallit opinio, prosecutus est consultor, videtur ad tertium affirmative respondendum, cum non una sed multiplex rationabilis causa urgeat animum vestrum, RR. PP., ad obtinendam a Sño super matrimonio in casu dispensationem, quam oratrix instantissime postulat.

Ex Conrado enim Praxis *Dispensat. Apostol. lib. VIII c. 7 n. 27:* « Causae quae de stylo admittuntur ad dispen-

sandum super huiusmodi matrimonio reducuntur ad quatuor, quarum... Secunda est gravis timor magni scandali futuri, quia id cadit in magnum damnum comune... ob fornicationis timorem. - Quarta quando alter coniugatorum asserat se non habuisse animum contrahendi. » Hanc sententiam sequitur Sanchez *tit. 2 Disp. 16* et cum eo non pauci canonistae.

Utraque de stylo dispensationis causa adest in casu. Adest prima, timor scilicet magni scandali, ob periculum incontinentiae ex parte Annae, quae Angelum aversatur, quippe qui penes populum est ridiculus sua fatuitate, et aetate iam provectus. Et cum ipsa Anna nubendi sit studiosa, timendum est valde ne, alio legitimo matrimonio prohibita, in legalem incidat concubinatum, uti minata est, etsi usque adhuc se abstinuerit, spe dispensationis fulta, uti Episcopus asculanus refert in suis literis. Ad hoc facinus ipsa duci potest ratione suae aetatis, nam annos habet septem supra triginta; causa inopiae, quia pauperrima, et demum quod occasionem, quam se nubendi nunc invenit difficillime in posterum invenire poterit. Quapropter si spiritualis petentis utilitas est in dispensatione attendenda, uti docet Perez, *De Matrim. disp. 20 sec. 7 num. 11,* maxima oratricis spiritualis utilitas exposcit supremi Ecclesiae moderatoris paternum dispensationis officium.

Idipsum dicendum est de periculo spirituali Bordoni, qui nolens ducere uxorem, matrimonii officio non impleret ex quo iurgia, scandala, periculum incontinentiae, quae omnia sunt causa sufficiens pro matrimonii rati et non consummati dispensatione; Suarez *De Matrim. disp. 16 n. 3, De separat. lib. 1 cap. 16.*

Secunda dispensationis causa adhuc adest in casu. Ex partium iurata depositione iudiciali, et ex omnium testium septimae manus testimonio certe et evidenter eruitur non solum ex una contrahentium parte, verum ex utraque defuisse animum vere et rite matrimonium contrahendi, sed tantum ficte per iocum.

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. In

matrimonium, quod volvente anno 1865 coram parocho et testibus contraxerunt Angelus Bordoni, in aetate annorum circiter 40 constitutus, et Anna Campitelli, duos supra viginti circiter annos nata, minime se consensisse, sed iocasse, dicunt, atque a coniugum genio se perpetuo abstinuisse.

Lectissimi viri consultores, cum matrimonii nullitatem nec ipsi exploratam habeant, ad extraordinarium confugiunt dispensationis remedium. Re tamen sedulo perpensa, nec ordinarium iustitiae, nec gratiae extraordinarium remedium actoribus praesto esse videtur. Enimvero quod attinet ad primum, ipsimet actores, dum defectus consensus in matrimonium astruere pertentant, in tot laqueos se induunt, quorum ex nullo se unquam expedient. Non omnes recenseam sed duos momentosissimos heic referam.

Profecto actrix in supplici libello, praesentis iudicii basi ac fundamento, ponit: ridendo Angelum Bordoni dixisse; haec est uxor mea; cui nil responsum fuisse a muliere ob risum excessivum.

Iam vero ipsamet actrix in orali examine affirmat: Angelum Bordoni dixisse parocho - haec uxor mea est - seseque respondisse, et tu maritus meus es.

Neque magis de veritate sollicitum sese exhibet vir, Angelus Bordoni, quippe qui parocho, eum ad onera coniugalia urgenti, refert se respondisse: omnino ab uxore capienda abhorrere. Versa vice parochus testatur: quod Bordoni ridendo egressus est de domo mea una cum puella Campitelli dicens matrimonium peregimus.

Sed matrimonium irritum proclamant etiam, quia non constat Angelam Corradetti, alteram ex testibus ad matrimonium adhibitam, audivisse verba matrimonialis contractus ab Anna Campitelli prolata. Nam parochus testatur, Angelam una vice dixisse: intellexi id quod Bordoni protulit, minime vero quod puella respondit; altera vero vice dixit: haud memini.

Huiusmodi testationem parvipendo. In iudiciis enim, testibus, non testimoniis, creditur. Angela autem etsi audita

fuerit a presbytero Diamanti in inquisitione pro notitia curiae, ad iudiciale tamen examen minime accessit. Praeterea cum certum sit parochum et alteram testem Liviam Agostini matrimonialia verba ab Annae Campitelli ore audivisse, haud satis ad infirmandum matrimonium est quod Angela Corradetti asserat, haud memini.

Praesertim quia, ut tradit Barbos. *vot. decisiv. 51 n. 33* « *re existente dubia, contra nullitatem et ut actus sustineatur et magis valeat, quam pereat, iudex iudicare debebit: tum etiam, quia ea semper admittenda interpretatio est, quae actum non subvertat, cum actus praesumi debeat validus.* »

Quo vero ad obiectam matrimonii inconsummationem otiosa disputatio prorsus est. Etenim Anna a iudice rogata quaenam post matrimonium fuit consuetudo vestra cum Bordoni; respondit nullam intercessisse consuetudinem, praeter simplicem salutationem; Aloisia vero, Annae soror, testatur: eosdem sese habuisse ceu bonos vicinos.

Quae cum ita sint, res dilemmate conficitur: scilicet, aut coniugali genio indulserunt, cum per tam diuturnum tempus sine arbitris permanserint, quacunque animi aversione cessante, aut censendum est eos matrimonium per iocum contraxisse.

Si *primum* concedas, actum est de dispensatione, si alterum, non ad *extraordinarium* gratiae, sed ad *ordinarium* iustitiae remedium confugiendum foret. Cui ceteroquin obstat defectus probationum, ceu supra monstratum est.

Quibus praenotatis proposita fuerunt enodanda

Dubia

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Et quatenus negative

II. *An consulendum sit SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die [illegible] decem-

bris 1889 censuit respondere: *Non constare de existentia matrimonii.*

Ex quibus colliges. I. Certitudinem demonstrativam haberi non posse in actibus humanis, super quibus instituitur iudicium; et ideo sufficere retinendum est probabilem certitudinem.

II. Probabilius esse dictum aut relatum a pluribus continere veritatem, quam quod dictum aut relatum fuit ab uno tantum.

III. In themate partes et testes omnes sanctitate iuramenti asseruisse, verum matrimonium non fuisse initum; quum quidquid actum fuit coram parocho et testibus ex ioco, potius quam serio elicitum esset absque animo contrahendi.

IV. Si desit voluntas et cognitio consentiendi nil agitur; eo quod nihil sit volitum quin praecognitum, et consensus proprie loquendo, non est nisi de his quae fiunt ad finem.

V. Intentionem in sacramentis perverti quatenus sacramentum fiat derisorie, et sacramentum fieri non intelligatur; quae perversitas tollit veritatem sacramenti.

WRATISLAVIEN.

DUBIUM MATRIMONII

Die 14 Decembris 1884.

Sess. 24 cap. 1 De reform.

Compendium Facti. Wratislaviensis Episcopus die 24 Ianuarii 1889 SSmo Principi supplicem libellum transmisit sequentis tenoris: « Benedictus XIV in Constitutione, quae incipit *Dei miseratione,* postulavit, ut in omnibus causis, quae disceptantur de validitate seu nullitate matrimonii, iuret, audiatur, appellet pro valore perpetim defensor matrimonii. Hi. causis adnumerat Instructio pro iudiciis ecclesiasticis Austriacis, approbata a multis praestantibus theologis et iurisconsultis Romanis et commendata per dominum

Nuntium apostolicum vindobonen. anno 1855, etiam quaestionem de morte coniugis, si agit alter coniux pro admittendis secundis nuptiis a curia episcopali. Attamen S. Congregatio Concilii in una *Mediolanen.* die 27 Febr. 1734 remisit huiusmodi iudicium *arbitrio Episcopi.* Ferraris in Bibliotheca sua sub voce *Polygamia* distinguit aperte processum de *nullitate* matrimonii a iudicio de morte coniugis per probationes canonicas ad tramites plurium Instructionum S. Officii impliciter faciendo sine defensore matrimonii. »

« Inde proponitur humillime dubium

« 1. an censenda sit probatio status liberi in casu incertae mortis coniugis omnino inter causas de nullitate matrimonii, de quibus perorat Constitutio *Dei miseratione.* »

« 2. quatenus negative, an teneatur defensor matrimonii interesse huiusmodi negotio iudiciali, iurare, appellare, prout insinuat laudata Constitutio Benedictina. »

Verba austriacae Instructionis ad quam Wratislaviensis Ordinarius appellat haec sunt:

« §. *246.* Quum sanctum et inviolabile sit coniugii vinculum, ad secundas nuptias nemo admitti potest, nisi de coniugis morte probationes afferat, quae omne prudens dubium penitus excludant. Ea quae ad moralem mortis certitudinem stabiliendam tendunt, summa cum cautione pertractanda, verum haud absolute reiicienda sunt. Fieri potest, ut ex rerum adiunctis, plene probatis, moralis oriatur certitudo, coniugem in vivis haud amplius agere, licet desint documenta vel testium depositiones mortem subsecutam iam esse confirmantes. Quod si absentis cuiusdam coniux talia afferat, quae rarissimum hunc casum adesse valde probabile reddant, commonendus est, ut praevie civilem adeat magistratum, cui ampliora suppeditant factum explorandi media, et cuius est mortis declarationem quoad effectus civiles edere. »

« §. *247.* Quamprimum superius provinciae indicium peracta communicaverit, tribunal matrimoniale praesente matrimonii defensore diiudicabit, an coniux, cuius fata ignorantur, eo cum effectu, ut alteri parti ad novas transire

nuptias liceat, mortuus censeri possit. Decisio ferenda nunquam non Episcopi iudicio subiicienda est. »

Disceptatio Synoptica.

Defensor videtur adesse debere. — Si rationem inspiciamus ob quam a Benedicto XIV institutum est officium defensoris matrimonii, prudentissima apparebit sanctio Instructionis austriacae, ita ut potius extendenda quam restringenda videatur. Sane ita Pontifex loquitur: « Nobis... indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam et secundam ac tertiam, quam duxerant uxorem, ob nimiam iudicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant etc. » Causa autem huius pravitatis persaepe erat vel ignavia iudicum, vel praesertim conniventia coniugum, qua fiebat ut validitatem matrimonii nemo tueretur. Quibus occurrere volens Pontifex, defensorem matrimonii constituendum praecepit, ad cuius officium spectaret « in iudicium venire quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari..., in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit. » Ex verbis itaque Pontificis patet, rationem praecipuam, cur tam grave praeceptum ferendum censuerit, eam fuisse, ut omnino arceretur periculum bigamiae.

Atqui in quaestione de morte coniugis, si alter coniux agit pro admittendis secundis nuptiis, proximum atque directum adest periculum bigamiae, aeque ac in ceteris nullitatis aut dispensationis matrimonii causis. Imo in eo casu deterius magisque sensibile scandalum oriri posset, si nempe absens coniux, qui defunctus credebatur, vivus quandocumque ad uxorem redeat.

Quin obiiciatur, si agatur de facto notorio, facile probari posse obitum coniugis, quin ad universas iuris solemnitates

recursus fiat; nam respondet Gonzalez in *l. 2, t. 18, c. 14, n. 4,* etiam notorium non eximere ab investigatione iudiciali; - ibi - « Ante omnia iudex curare debet, ut sibi constet de notorio; non quia notorium probari oporteat, sed quod necessarium sit probare, illud notorie factum fuisse. » Et aliunde potest fieri, ut quod in factis notorium est, tale non sit iudici, Glossa in *cap. Ad nostram 21 de filiis presb. v. requiris,* in *cap. Cum olim 2 De verb. signif.*

Defensor videtur adesse non debere. Ex altera autem parte, quum hic agatur de interpretatione legis, ante omnia legis mentem et verba perpendamus oportet. Manifestum est enim non esse locum interpretationi ubi verba legis sunt clara. Iamvero omnes textus legis, qui requirunt defensorem matrimonii, loquuntur, expressis verbis, de causis « quae super matrimoniorum validitate vel nullitate disceptantur », ceu habet const. Benedictina § 6, non autem super eius existentia. Item Instructio S. C. C. diei 22 Aug. 1840 defensoris praesentiam requirit « quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii. » Et si Instructio S. Officii pro Orientalibus diei 20 Iunii 1883 ad iudicandum de impedimento ligaminis requirit tribunal cum Defensore, id tunc solum verificatur quando impedimentum huiusmodi « ad posterius connubium *impugnandum* adducitur » (1).

Insuper in omnibus textibus, qui loquuntur de probatione status liberi, nullum verbum fit de defensore. Nam ante constitutionem benedictinam sola regula pro huiusmodi negotio erat Instructio S. Officii diei 21 Augusti 1670; (2) ubi tamen agitur de probatione status liberi facienda in Curia Episcopi; sed sine strepitu iudicii. Unde DD. interpretantes *Cap. Dominus 24 De nupt. et cap. In praesentia 49 de sponsal.* docent huiusmodi probationem spectare « ad

(1) Adest instructio haec Vol. XVIII, 344.

(2) Harum ephem. Vol. VI. 442 relata fuit Instructio haec; pag. vero 436 eiusdem voluminis, alia reperitur Instructio s. Inquisitionis, omnium recentissima, ad probandum alicuius coniugis obitum.

iudicem ecclesiasticum suo prudenti iudicio, attentis omnibus circumstantiis locorum et temporum et personarum. » Ita expresse Ferraris *v. Polygamia n. 26,* cui concinunt Sanchez *l. 2 d. 46 n. 7,* Gonzalez in *cap. In praesentis n. 7,* et Reiffenstuel *lib. 2 tit. 21.* Quin imo S. C. C. in *Brugnaten. 24 Maii 1642* declaravit de statu libero doceri debere in Cancellaria Episcopi; et in *Mediolanen. Status liberi 27 Iunii 1665* addidit, statum liberum probari debere coram Ordinario servata forma Instr. S. Officii. Nec aliter in causa *Papien. Matrimonii diei 27 Februarii 1731,* ad quam, licet sub titulo non suo, nempe *Mediolanen.* in supplici libello ipse Wratislaviensis Episcopus appellat.

Quaedam Teresia Concetta, mediolanensis, civis Papiae commorans volebat nuptias inire cum secundo viro, praetexendo ex litteris cuiusdam capellani militum priorem maritum esse defunctum. At die 12 Decembris 1733 proposito coram S. C. C. dubio: *An Teresiae Concettae permitti possit alterum matrimonium contrahere,* responsum est: « *Ex hactenus deductis negative et amplius.* » Sed iterum institit actrix, et pro re sua testimonium unius viri proposuit qui asseverabat priorem mulieris maritum esse defunctum, sibique id de visu constare. In folio autem causae animadvertebatur, quod moraliter certa haberi poterat mors coniugis si ad unius fide digni hominis testimonium accederent coniecturae verisimilem reddentes obitum. Porro his inspectis S. C. C. ad dubium *an sit standum vel recedendum a decisis,* respondit: « *Arbitrio Episcopi.* » Ex quo id saltem fluere videtur, quaestionem huiusmodi spectare potius ad officium nobile iudicis, quam ad forum contentiosum.

Nec post Constitutionem benedictinam huiusmodi agendi ratio immutata fuit. Testimonium de hac re haberi videtur in responsione Supr. Congr. S. Officii diei 24 februarii 1847 ad dubia super Instr. anni 1670, quam responsionem ex integro referre iuvat. Dubbio VII: « Nel penultimo § del suddetto decreto si prescrive: Et huiusmodi examinibus (probationum de morte coniugis) debet interesse... extra urbem,

vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda. » Per le parole: - persona insignis et idonea, - possono intendersi i Vicarii foranei con i loro cancellieri; benchè questi non abbiano le facoltà di rogare, accordata solo al cancelliere vescovile? » Cui responsum est: « *Affirmative; Vicarii tamen foranei transmittant acta ad Curiam episcopalem, cuius est expedire fidem status liberi.* » Age vero, si huiusmodi negotium esset de iis quae cadunt sub Constitutione benedictina, profecto idonea haec persona deberet esse, praeter iudicem delegatum, matrimonialis vinculi defensor.

Quibus inspectis nimis severa forte videri posset Austriacae Instructionis dispositio. Nisi quod si eiusdem instructionis tenor intimius examinetur et eius verba pressius accipiantur, omnia aequo iure componi posse videntur. Etenim casus in Instructione contemplatus is non est in quo per evidentes probationes constet de morte coniugis; nam in dicta instructione supponitur deesse « documenta vel testium depositiones mortem subsequutam iam esse confirmantes » veritatisque detegendae non aliud suppetere medium quam praesumptiones et circumstantiarum considerationes; et in hoc casu, non vero in alio ab hoc diverso, matrimoniale tribunal instituendum decernit, constituto de more matrimonii vindice. Quapropter saepius commemoratae instructionis intentio ea esse videtur, ut vinculi defensor iudici adsistat, non in omnibus casibus, ubi agitur de morte coniugis probanda, seu dumtaxat in difficilioribus, quando nempe Ordinarius non illico, facile ac per se de libero statu alicuius coniugis ob mortem alterius partis iudicare potest.

Quae distinctio ab ipsa S. C. C. non uno in loco inducta et asserta videtur; sed maxime in *Strigonien. Dubium matrimonii die 28 Augusti 1858,* in qua cum tria huiusmodi dubia proponerentur: « I. An iurium in decursu litis productorum recognitio a iudice ordinata, sit actus iudicialis in casu. II. An expediat ut iudex praefatam recognitionem ordinet in causis matrimonialibus in casu. III. An in reco-

gnitionis actu citandus sit Defensor Matrimonii ex officio in casu. » S. C. C. respondit: Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Affirmative, si adsit iusta ratio dubitandi arbitrio et prudentiae iudicis.* Ad III. *Affirmative.*

Si ergo in decursu litis super validitate iudex pro suo arbitrio abstinere potest ab ordinanda recognitione documentorum, et solus sine defensore pro suo arbitrio et prudentia ea documenta quae authentica putat, recipere, a pari retinendum videtur, Episcopum cui allegantur documenta de obitu coniugis, quoties exulat ratio dubitandi de eorum valore, sine mora, nec rite constituto tribunali, nec citato defensore, posse declarationem conficere de statu libero.

Quod si adsit prudens ratio dubitandi, v. g. si coniux in remotis regionibus obiisse dicatur, nec adsint probationes concludentes, tunc certe sibi ipsi non confidet sapiens iudex, sed ad cautelas et solemnitates ab Ecclesia inductas confugiet, atque ita tum propriae conscientiae securitati, tum veritati detegendae optime consuluisse dicendus erit. Qua distinctione adhibita, nulla apparebit discrepantia inter dispositionem Instructionis Austriacae et ius commune.

Quin dicatur periculosam rem esse a Benedictinae legis sanctione derogare vel in ipsis evidentibus casibus. Quandoquidem distinguendae sunt quaestiones de nullitate matrimoniorum, a quaestionibus de existentia. Si enim unus ex coniugibus defunctus sit, ac similiter si duo concubinarie vivant, dubium quod moveri potest dicitur de existentia sacramenti, non vero de nullitate aut validitate. Age vero definitum videtur quod in causis de nullitate matrimonii, licet evidentibus, servari semper debeat forma processus iuxta Benedictinam: sane in *Sonoren. Visitat. SS. LL. 26 Augusti 1848.* Episcopo denegata est facultas breviori quadam et summaria ratione in his causis se expediendi: - in causis vero de existentia, saltem evidentibus, non ita, si quidem in una *Treviren. Matrimonii diei 29 Ianuarii 1857* declaratum expresse fuit, quod in casu nuptiarum « quae neque in facie ecclesiae, neque alia in foro ecclesiae quomodocum-

que valida forma contractae erant » constitutio Benedictina quoad formam processus non urgebat.

Nec deest huius differentis disciplinae ratio; nam in quaestione facti, qualis habetur in casu de servata forma Tridentina, aut de obitu coniugis, facile verificari potest evidentia tollens omne dubium in contrarium; dum in controversia de validitate seu nullitate matrimonii semper subintrat et quaestio iuris cum pluribus intricatis factorum ambagibus, ad quae dirimenda multae atque graves cautelae requiruntur. Verumtamen et in simplici quaestione facti, ut est de obitu coniugis aut de servata Tridentina forma, deesse potest evidentia et notorietas, et recurrendum est ad indicia, quae sunt difficilis aestimationis.

Et tunc omnes processus matrimonialis cautelas esse adhibendas ipsa elementaris prudentiae ratio suadet.

Quibus animadversis quaesitum fuit quomodo essent dimittenda sequentia

Dubia

I. *An probatio status liberi in casu incertae mortis coniugis recensenda sit inter causas matrimoniales, quae subsunt Benedictinae Constitutioni* Dei miseratione *quoad formam processus in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An, in huiusmodi negotio expediendo, defensor vinculi interesse adhuc tamen debeat, iurare, et appellare ad formam praefatae constitutionis in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 14 Decembris 1889 censuit respondere: *Ad I. Negative. Ad II. Pro dictione austriaca posse servari Instructionem in foro ecclesiastico ibi receptam; pro dictione borussica standum Instructionibus s. Officii ad rem spectantibus.*

Ex quibus colliges. I. Defensorem s. vinculi requiri quando res est de causis, quae aguntur super matrimoniorum validitate, seu nullitate; seu quando aliquis ex coniugi-

bus instantiam porrigit super nullitate matrimonii; non autem quando agitur de eorumdem existentia.

II. Probationem status liberi faciendam esse sine strepitu iudicii a iudice ecclesiastico, prudenti iudicio, attentis omnibus circumstantiis locorum, temporum et personarum.

AURELIANEN.

INDULTI

Die 14 Decembris 1889.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Aurelianensis Episcopus refert, se in Dioecesis visitatione solerti cura incubuisse in examinandis suarum ecclesiarum legatis piisque fundationibus, quae tum ob politicas vicissitudines, tum ob varias redituum debiti publici imminutiones, haud aequo statu consistunt. In specie vero curavit, ut exactum schema conficeretur omnium legatorum et onerum ecclesiae S. Paterni, quae magis quam ceterae aucta legatis, et difficultatibus implicata dicitur: et huiusmodi schema paullo longius et minutum ad S. C. C. detulit, ad effectum, ut S. Sedes rebus ac necessitatibus ibi relatis, nedum consuleret, sed insuper, ut ex hoc exemplo cognosceret, qualibus ambagibus ceterae dioecesis ecclesiae laborent, et eidem Episcopo facultas detur providendi, quin in singulis casibus S. Sedem debeat adire.

Porro fundationes Ecclesiae S. Paterni in multiplices classes, quas series vocant, dividuntur, et unaquaeque earum complura et varia legata continet.

In prima serie recensentur fundationes ante annum 1806 factae: de his ob Gallicae revolutionis latrocinia nullus superest reditus; attamen ecclesiae aeditui, qui post revolutionem res paroeciae curarunt, ex quodam congruentiae et aequitatis sensu censuerunt aliquid ex antiquis oneribus esse assumendum, et ex ordinariis fabricae reditibus satisfaciendum. Quaenam tamen ab initio fuerint fundationes in Epi-

scopi relatione non refertur: refertur tamen post revolutionem et usque modo consuevisse celebrari 110 missas ex unius libellae stipendio pro singulis, et sacram quamdam functionem cum expensa 70 libellarum. Proponitur vero, ut in posterum 76 missae dumtaxat applicentur, cum eleemosyna L. 1,50 pro singulis et pro sacra functione expensae reducantur ad 64 libellas.

In secunda serie continentur 33 fundationes ante annum 1854 confectae. Porro ex reductione publici census, quam vocant conversionem a 5 ad 3 0[0, horum legatorum reditus valde sunt imminuti. Siquidem triginta ex his fundationibus, ad quarum satisfactionem applicari deberent 488 missae ex unius libellae eleemosyna pro singulis, et quasdam sacras functiones in Domini, B. M. V., aut Sanctorum honorem celebrari, cum impensa in totum libellarum 704, non fruuntur nisi schedulâ publici census L. 345,35. - Ex reliquis tribus fundationibus legatum Normand non pollet nisi 100 libellarum reditu, et oneratur 52 missis, iuxta dioecesanam taxam celebrandis, ex expresso testatoris praescripto, et obligatione persolvendi 40 libellas parocho pro pauperibus: legatum Iourdan habet 117 libellarum proventum et 104 missas praescribit: legatum Colas nil pecuniae reddit: testator enim donavit partem domus paroecialis et quatuor missas celebrari petiit.

De his parochus, Ordinario probante, postulat sacras functiones minori cum solemnitate agi, et sic sumptibus paululum ex hac parte parcere: quod vero, his celebratis, superest in missarum celebrationem distribui, iuxta taxam tamen lib. 1,50, quae videtur esse dioecesana: et sic haberentur 40 missae in legato Normand, 78 in legato Iourdan, una in legato Colas, 127 in ceteris triginta minoribus legatis.

Tertia series continet donationem De la Taille ex qua 460 missae celebrari iubentur, quaeque proventum libellarum 711 olim dabat: nunc vero reditus descenderunt ad libellas 591, et, aucta missarum eleemosyna ad lib. 1,50, non ferunt nisi 392 missas.

Legatum quod in quarta serie ponitur sufficientem reditum praebet ad onera implenda sicut testator praescripsit, et ideo de eo nulla quaestio.

In quinta serie, quae continet legata ab anno 1864 ad 1888, duplex proponitur quaestio, 1. quoad legatum Huet, de quo poscitur utrum 902 missae usque modo ex mora non celebratae applicari possint cum eleemosyna unius libellae etsi stipendium statutum sit in libella una cum dimidio et tessera reddet francos 120 in annum. 2. quoad legatum de la Bergère quaeritur utrum census, qui nunc liber sine titulo est, debeat legali vinculo obstringi.

Demum in ultima serie, nonnulla legata recensentur quae ad institutum charitatis cesserunt; 86 missae celebrandae essent; sed ait parochus, ad easdem implendas nullus adest reditus, et ideo quaeritur, ut onus ad 23 missas, cum retributione lib. 1,50 pro singulis, reducatur.

Disceptatio Synoptica.

Pauca super his animadversa fuerunt; et in primis, quod licet non desint DD., qui non aspernabilibus argumentis sustineant, ecclesias ad suscepta onera legatorum implenda semper teneri, licet imminuta aut etiam omnino deperdita fuerit legatorum substantia, idque sive ratione pacti, sive ratione assumptae haereditatis; nihilominus S. C. C., aequiore certe iudicio et iuxta ipsum civile ius, quod exhibetur in *L. ult. ff. de commod.*, in more semper habuit ecclesias et beneficia ab oneribus aut ex integro aut pro rata relevare, quoties reditus aut absumpti aut valde imminuti fuerint. Citasse ad rem sufficiat coram S. C. C. actam *Spoletanam 17 Iunii 1775*. Quapropter in themate relate ad legata ante a. 1806 relicta, quorum sors penitus deperiit, quidquid aeditui usque modo egerunt, aut in posterum agere intendant, ex liberalitate magis quam ex iustitiae debito exigi videtur. Eo vel magis quod per Concordatum antiquus status ecclesiarum Galliae cum suis respectivis iuribus et obligationibus suppressus fuit.

Relate vero ad alia recentiora legata, de quibus imminutum dumtaxat conquerimus reditum, aequum certe est iuxta mox dicta, ut pro rata imminuantur et onera. Utrum tamen ulterior quoque reductio facienda sit aut augendae missarum eleemosynae, controverti potest. Ex una enim parte observantia fundatoribus debita exigere videtur, ut assignatus missarum numerus quoad fieri potest impleatur, et ideo a semel statutis stipendiis augendis abstinendum esse, eo vel magis quod unius libellae stipendium non sit aspernabile. At ex altera parte certum est quod ubi nimius est missarum celebrandarum numerus et earum eleemosyna tenuis, possit Ecclesiam missarum numerum reducere et augere stipendia, ceu Trid. Conc. docuit in *cap. 4 sess. 25 cit.* S. C. C. et saepissime egit, ut videre est in *Tolentinaten. Com. vol. 24 Martii 1888, Engolismen. Facul. coad. 18 Augusti 1888,* et ipse Benedictus XIV comprobat *de synod. l. 13 c. ult. n. 28.* Quin obiiciatur, stipendium unius libellae congruum quid esse; nam valor monetae absolutus non est, sed metiri debet iuxta loci ac temporum circumstantias, imo, pro re de qua agimus, etiam iuxta cleri et ecclesiarum necessitates: unde in genere sufficientia stipendii desumi debet a dioecesana taxa uniuscuiusque loci; quae cum in themate sit lib. 1,50, minor eleemosyna censeri potest insufficiens. Insuper cum testatores missarum fundationes constituunt, solent quidem plerumque eleemosynas dioecesanâ taxa maiores assignare, numquam vero minores: unde si ex temporum necessitatibus contingat, hanc taxam augeri, ad hoc augmentum etiam in legatis permittendum contrarii censeri non possunt fundatores.

Relate vero ad celebrationem functionum cum minori solemnitate, ne plus expensarum fiat quam vires ferant res disceptatione caret.

Ea vero quae spectant evulgationem onerum in ecclesia eorumque satisfactionis, itemque commutato schedarum manualium census cum aliis schedis legali titulo inscriptis, hoc prudentiae magis quam iustitiae negotium videtur.

Unum dumtaxat est quod respicit legatum *Huet* in quinta serie fundationum, in quo aliquid obscuritatis invenitur. Si enim reditus sufficientes sunt ad missas celebrandas cum eleemosyna lib. 1,50, non intelligitur curnam eleemosyna unius libellae poscatur; si autem reditus non sufficiunt, non apparet curnam speciale de hac re dubium moveatur; demum si reditus usque modo aderant, et quotannis attigerunt lib. 120, non explicatur curnam legati satisfactio fuerit per tot annos omissa.

His in specie ad onera et legata ecclesiae S. Paterni observatis, relate ad generalem potestatem quam Episcopus implorat, ut ceteris quoque suae dioecesis ecclesiis consulere possit, quin in singulis casibus ad S. Sedem recurrat, ad mentem revocata sunt quae habet Benedictus XIV *De Syn. l. c. n. 20.* Sane ita loquitur Pontifex: « Missarum itaque reductione Apostolicae Sedi reservata, vix dici potest quanta rerum farragine ex hoc uno capite obrueretur Congr. Concilii, cui huiusmodi reductionum cognitio committebatur; quaeque proinde, ut aliqua huius oneris parte sese levaret, id demum consilii coepit, ut Episcopis saepe delegaret facultatem reducendi missas in eorum Dioecesibus, tradita tamen simul Instructione, cui se in peragenda reductione conformare deberent. » Quod consilium etiam nuperrime in causa *Engolismen. Facul. cond.* nostrae valde affini S. C. C. die 18 Augusti 1888 suscepit.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re cognita, sub die 14 Decembris 1889 censuit respondere: *Pro facultate arbitrio et conscientiae Episcopi pro hac vice, facto verbo cum SSmo et ad mentem per epistolam eidem patefaciendam.*

CANTONIS TICINI

LEGATI

Die 14 Decembris 1889.

Per Summaria Precum.

Compendium facti. Quidam Bernardinus Monti, e districtu Cantone Ticino, anno 1882 in America defunctus, summam 2558 libellarum legavit ecclesiae sui loci natalis s. Defendenti dicatae, in loco Fiesso, hac sub conditione: ut dimidium huius summae in missis erogaretur, aliud dimidium diriberetur inter pauperes Sodalitati dictae Ecclesiae adscriptos.

Verum aeditui et fideles huius loci petierunt ut 2000 libellae eiusdem legati adderentur doti Capellaniae, his de rationum momentis; quia ecclesia haec maxime distat a paroecia; quae magno cum incommodo adiri potest, praecipue hieme rigidiori atque perlonga, quia fideles vici Fiesso maiorem constituunt paroeciae fidelium partem: quia reditus huius cappellaniae nunc vix pertingunt libellas 526,62; vis pecuniae impar alendo capellano; quia una tantum familia egens adest in loco, quae eleemosynam iam obtinuit ex legato Monti, nunciumque mittit iuri ad aliam quotam quae obvenire sibi posset; quia pro missis iam litatis atque litandis summa libellarum 558 praeservata est.

Ordinarius preces enixe commendavit, utpote quae veritate niterentur.

Disceptatio Synoptica

Petitio itaque ad hoc porrigitur, ut in missarum celebrationem erogentur dumtaxat 850 libellae, potiusquam 1279, iuxta testatoris legem, ad effectum ut reliquae 721 libellae una simul cum pecunia pauperibus relicta, et ex pauperum renunciatione modo libera, in augmentum dotis capellaniae curatae cedat.

Porro aliqua in hoc adesse potest voluntatis testamentariae laesio; attamen certe non gravis. Siquidem quoad

legatum pauperum, cum ii, qui ius ad illud habere poterant, habitis comitiis, nuncium eidem miserint, ac spiritualibus ac praesentibus indigentiis subveniendum esse praetulerint, magis quam temporalibus, quibus nec proprie praemuntur; hinc ex hac parte obvia res est. Quin dicatur, testatorem fundum perpetuum pro pauperibus constituere voluisse, et ideo comitia plebis de eo disponere, ut de re sua, non valuisse; etenim de hac perpetuitate, seu de praecepto ut fundus investiatur et nonnisi fructus in pauperes erogetur, nec verbum, nec vola in tabulis reperitur: imo contrarium prorsus suadere videtur ipsa ratio sermonis, et vis verbi « *distribuiti* » quod a testatore non sine causa adhibetur.

Relate vero ad adscriptionem 721 libellarum missarum in augmentum cappellaniae, littera testamenti profecto se opponit: attamen C. Tridentinum commutationes ultimarum voluntatum *ex iusta et necessaria causa* fieri permisit, *Sess. 22 cap. 6 De reform.*: in themate autem iusta haec causa deesse haud videtur: quandoquidem S. C. C. pro congrua sustentatione parochi, imo et canonicorum, reductionem missarum non semel indulsit, ceu in *Ianuen. Reductionis missarum 1 Iunii 1861, Squillacen. Absol. et reduct. missarum 26 Septembris 1857* aliisque sexcentis; et eo facilius pro bono ecclesiae et parochiae, veluti constat ex *Brixien. Onerum missarum diei 25 Ianuarii 1862* aliisque ibi citatis.

De cetero si capellanus per aliquot annos in benefactoris memoriam et suffragium ad unam vel alteram missam celebrandam adigatur, utrumque consequetur, ut salva sit quoad substantiam pii testatoris voluntas, simulque, ut dos beneficii congrue augeatur.

Hisce praenotatis quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio Sacra C. C. re cognita sub die 14 Decembris 1889 hoc praebuit responsum: *Pro gratia, facto verbo cum SSmo.*

FERETRANA

IURISPATRONATUS

Die 14 Decembris 1889.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Cum ageretur de dismembratione paroeciae S. Marini in ditione reipublicae eiusdem nominis, ut nova paroecia constitueretur sub rupe montis in suburbio S. Anthimi, S. C. C. die 19 Ianuarii 1889 censuit locum esse quidem dismembrationi, « ita tamen ut novum beneficium neque ex bonis antiquae paroeciae, neque ex nova reddituum assignatione supremi Consilii dotandum, sit liberae collationis prout de iure ». Quam sententiam S. C. C. confirmavit, prohibendo ne amplius proponeretur quaestio, in comitiis diei 6 Iulii.

At vero reipublicae illius moderatores aegro animo tulerunt a patronatu in novam paroeciam exercendo exclusos fuisse sub conditionibus superius enunciatis.

Hac de re feretranus Episcopus S. C. C. adeundam censuit hisce litteris: « Sinatis, humillime precor, Emi et Rmi Patres, ut isti sacrae Congregationi adiectas ipse mittam et exhibeam preces, quae, quamquam neque dismembrationi plebalis ecclesiae S. Marini, neque erectioni novae paroeciae in eo maiori suburbio referantur, tamen rem ipsam attingunt in ea duarum recentiorum decisionum conformium parte, qua de nova paroecia erigenda liberae collationis decretum fuit. »

« Verumtamen Reipublicae gubernium, seu Concilium supremum sibi omnino iuspatronatus in novam paroeciam vindicat, ne in iure suo decrescere videatur, uti iam ab initio tractationis bis interpellatum declaravit: nihil obstare erectioni curae animarum in suburbio, *salvo Iurepatronatus*, sub conditione *sine qua non*. Quae declaratio ita emissa videtur omnino consideranda, et aequi bonique facienda. Quamquam enim ius est res individua, et ius nominandi et

praesentandi ad plebalem ecclesiam integrum manet; tamen si ius in se non decrescit, decrescit in sua dignitate et nobilitate. Nam aliud est ius nominandi archipresbyterum plebalis ecclesiae, quae totius Reipublicae caput est, aliud dimidiato territorio ipsius plebalis, et cura animarum novo suburbii parocho deferenda. Atque hac de causa gubernium ipsum, ut ex eius litteris cognosco, arbitratur sibi supradictum patronatum competere; et non vult patronatum saltem dignitate et nobilitate minui, sed potius extendi ad novam paroeciam, cuius territorium a plebali ecclesia patronata abscinditur, ne pars toti quodammodo desit, et pars alia ratione, quam totum censeatur. Et quamvis, ut notavi, iuspatronatus individuae naturae sit, tamen ratio eorum, quae inde consequuntur, nempe iura, munera et onera patrono assignata, videntur praefatae reservationi patronatus aliquam causam, seu titulum tribuere, ut alias retuli litteris meis datis sub die 27 Decembris 1882, quibus animadvertere non omisi adesse etiam dignitatem et summam potestatem patroni, cui in abolendis patronatibus Concilium Tridentinum fovere visum est alia quidem ratione, quam in casu, sed tamen non praetereunda, praesertim ob ea quae in servandis bonis ecclesiasticis gubernium illud hactenus peregit, nullo exemplo, nullâque instigatione submotum. »

« Insuper gubernium ipsum in ecclesiam S. Anthimi, in qua nova paroecia est constituenda, etiam patronatum sibi deberi putat, etsi ex actibus quibusdam clare non pateat, prout alias innui. »

« Quod ab initio falso deductum fuit in causam ab adversariis novae paroeciae, nempe Rempublicam et cives turbari novae paroeciae erectione, id nunc omnium consensu et concordia reiectum est, et omnia pacata et tranquilla procedunt. »

« Quod igitur reliquum est, est quaestio de iurepatronatus, quod nisi gubernio concedatur, frustra fortasse laboratum est; nam gubernium litteris suis, uti innui, insistit sibi patronatum in novam paroeciam deberi. Quapropter sub-

misse opinarer, ut quod super re proposita iuri deest, benigna gratia suppleatur, et supremo Reipublicae Consilio iuspatronatus, quod habet in votis, in novam paroeciam concedatur, ea tamen ratione exercendum, quae statuta est ab ista ipsa Sacra Congregatione sub die 27 Ianuarii 1847 in plebali ecclesia conferenda, nempe praesentatione trium sacerdotum indoneorum, qui concursui inter se admittuntur. Hoc benignae concessionis testimonio praelaudatum Consilium reliquas etiam, prout hactenus fecit, ecclesiasticas institutiones in hac tanta rerum omnium conversione circumdatum, fovere et servare perget. »

« Haec a me subiicienda erant sapientissimo istius Sacrae Congregationis iudicio. »

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 14 Decembris 1889, censuit respondere: *Pro gratia concessionis privilegii praesentandi pro nova Ecclesia parocciali, ad formam concessionis 27 Ianuarii 1887.* (1)

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM canonizationis beati Ioannis Baptistae de la Salle fundatoris congregationis fratrum scholarum christianarum.

Instante Fr. Robustiano e Congregatione Fratrum scholarum Christianarum, postulatore Causae Canonizationis praefati B. Ioannis Baptistae de la Salle, quum Emus et Rmus Dnus Cardinalis Thomas Maria Zigliara, Relator Causae ipsius, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium proposuerit, nimirum: *An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum, de quo agitur?* Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ri-

(1) Confer Vol. XXI, 721, quo relata fuit quaestio dismembrationis Ecclesiae feretranae.

tibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara s. Fidei promotore, rescribere rati sunt: *Affirmative, si Sanctissimo placuerit.* Die 17 Decembris 1889.

Quibus omnibus per subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem reassumptionis Causae beati Ioannis Baptistae de la Salle confessoris. Die 22 Ianuarii 1890.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM Canonizationis beati Alphonsi ab Orozco ordinis eremitarum sancti Augustini provinciae Hispaniae.

Ad instantiam rmi patris Sebastiani Martinelli postulatoris generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quum Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Albanensis, relator Causae ipsius, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium proposuerit, nimirum: *An sit signanda commissio reassumptionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei promotore, rescribere rati sunt: *Affirmative, si Sanctissimo placuerit.* Die 17 Decembris 1889.

Quibus omnibus per subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est commissionem reassumptionis Causae beati Alphonsi ab Orozco confessoris. Die 22 Ianuarii 1890.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

RESCRIPTA quibus nonnullis Orationibus Indulgentiae conceduntur.

I.

Beatissime Pater

Circulus catholicus s. Ignatii Loiolensis, in hac alma Urbe existens, ut magis magisque provehatur cultus erga Sanctum suum patronum, exorat Sanctitatem Vestram, ut concedere velit aliquam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, Christifidelibus qui devote recitaverint sequentem invocationem ab eodem Sancto repeti solitam - *Domine mi, fac ut amem te, et ut praemium amoris mei sit amare te magis in dies.* - Quam gratiam...

Sanctissimus Dominus noster Leo XIII in audientia habita die 15 Martii 1890 ab infrascripto Secretario S. Congregationis, Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito, ac devote praefatam iaculatoriam precem recitantibus *Indulgentiam centum dierum,* defunctis quoque applicabilem, semel tantum in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 15 Martii 1890.

C. Card. CRISTOFORI *Praefectus*

L. ✝ S.

✠ A. Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

II.

Beatissime Pater

Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella ad Pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter expetit, ut aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur universis Christifidelibus, qui devote recitaverint sequentem ad S. Ioseph orationem, a S. Bernardino senensi concinnatam.

« Memento nostri, Beate Ioseph; et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede; sed et Beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est Eius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen. » Quam gratiam...

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita die 14 Decembris 1889 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis, Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, universis Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus supradictam Orationem, *Indulgentiam centum dierum*, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Congregationis die 14 Decembris 1889.

C. Card. CRISTOFORI *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ A. Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

III.

Beatissime Pater

Petrus Ponti Praepositus Ecclesiae S. Mariae *Secretae* Mediolani ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit ut aliquam Indulgentiam Christifidelibus devote recitantibus orationem, heic adiunctam, quae fertur a S. Aloysio Gonzaga esse composita.

Orator sperat eo magis Sanctitatem Tuam hanc gratiam esse concessuram, eo quod mox recurrente tertio saeculo ab obitu eiusdem Sancti, haec etiam gratia valde conferret ad Eius devotionem in animis, praesertim iuventutis, augendam.

Et Deus.

ORATIO S. Aloysii Gonzagae ad B. Virginem Mariam.

O Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo: omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam ssñam intercessionem, et per tua

merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

(Traduzione)

Alla benedetta fedeltà e singolare vostra custodia o Maria Santissima, mia Signora, io raccomando ora e sempre e molto più nell'estremo della mia vita, l'anima ed il corpo mio, e tutto mi abbandono in seno della vostra misericordia: ripongo in voi ogni mia speranza e conforto nelle angustie e miserie di questa terra; in voi mi affido in vita e nel punto della morte, affinchè mediante la vostra santissima intercessione ed i meriti vostri, ogni mia cosa sia diretta ed ordinata secondo la vostra volontà e quella del vostro Figlio. Così sia.

SSmus D. N. Leo P. XIII in audientia habita die 15 Martii 1890 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote supradictam Orationem recitantibus, *Indulgentiam biscentum dierum* semel in die lucrandam, et defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 15 Martii 1890.

C. Card. CRISTOFORI *Praefectus*

L. ✝ S.

✠ A. Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria V die 6 Martii 1890.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO NOSTRO LEONE XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica

praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 6 Martii 1890, mandavit et mandat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri et mandavit quae sequuntur Opera:

Mélanges sur quelques Questions agitées de mon temps et dans mon coin de Pays par J.-M. Boillot, Curé de la Madeleine de Besançon. — Besançon. Imprimerie et Lithographie Dodivers et C. Grand-Rue, 87, et Rue Moncey, 8 *bis* — 1888. — *Auctor laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

Iudas de Keriot — Poema Dramàtich de Frederich Soler de la Academia de la llengua catalana, Mestre en gay saber — Barcelona Libreria de I. López, Editor — Rambla de Mitj, num. 20 — 1889.

Il Nuovo Rosmini — Periodico Scientifico-Letterario. -- Milano, Tipografia Fratelli Rechiedei. — *Decr. S. Off. Fer. IV die 26 Februarii 1890.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis. SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 22 Martii 1890.

CAMILLUS Card. MAZZELLA Praef.

Fr. Hyacinthvs Frati Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli

Die 24 Martii 1890 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

APPENDIX VIII.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

TAURINEN.

Ex parte Emi ac Rmi D. Card. Caietani Alimonda Archiepiscopi Taurinen. S. Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione subiectum fuit, nimirum: inter Officia Taurinen. Archidioecesi concessa, illud habetur Insignis miraculi SSmi Corporis Christi; quaeritur num ad *Primam* dicendum sit ℣. *Qui apparuisti hodie* in Officio, quod tamquam votivum aliquando recitatur?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, sic decernere rata est: Dicendum in casu: *Qui sedes ad dexteram Patris.*

Atque ita declaravit. Die 16 Ianuarii 1885.

VALLEN.

Hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Vallen. S. R. C. insequentia dubia declaranda humillime subiecit. Ex decreto Urbis et Orbis edito die 5 Iulii 1883 datum est Capitulis indultum persolvendi Officia votiva per annum loco Officiorum ferialium, et quoad Choralem recitationem post capitularem electionem semel pro semper factam et ab Ordinario approbatam, eorumdem recitatio fit obligatoria. Hinc quaeritur:

I. Quando in die non impedito occurrat Vigilia alicuius Sancti, ideoque fit officium de Feria occurrenti cum tribus Lectionibus de Homilia in Evangelium eiusdem Vigiliae, iuxta Rubricas generales, utrum in Choro recitandum sit Officium votivum eo die assignatum vel Officium Vigiliae?

II. Quatenus affirmative ad primam partem, utrum in Ecclesia Cathedrali duae celebrandae sint Missae, una scilicet post Tertiam de eo Sancto, cuius recitatum est Officium votivum, et altera de Vigilia post Nonam?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii hisce Dubiis respondit:

Ad I. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam iuxta novissimam Rubricam praepositam Officiis votivis per annum.

Ad II. Affirmative.

Atque ita respondit ac declaravit. Die 16 Ianuarii 1885.

BRUNEN.

Rmus Dnus Franciscus Salesius Bauer hodiernus Episcopus Brunen. exponens a fidelibus sibi commissae Dioeceseos, occasione primi millenarii ab obitu S. Methodii Episcopi proxime recolendi casulas et pluvialia dono offerri suis Ecclesiis exhibentia a tergo imagines Ss. Pont. Cyrilli et Methodii non acu in tela serica, sed oleo super tela lineo vel gossypio pictas alterique eiusmodi telae agglutinatas, a S. R. C. humiliter quaesivit, an sacra paramenta cum eiusmodi imaginibus legitime adhiberi possint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re matura perpensa, ita in casu rescribendum censuit:

Pictas imagines uti exponitur permitti posse, dummodo agatur de paramentis sericis, vel auro argentoque contextis, ac de cetero ad normam legum liturgicarum confectis.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 30 Martii 1885.

DECRETUM

Sacra Rituum Congregatio decrevit quod in Missa de Festo Cathedrae sancti Petri tum Romae tum Antiochiae, quando huiusmodi Festa in propria sede impedita in aliquam diem intra tempus Paschale translata occurrant, omisso Graduali, dicatur:

Alleluia Alleluia.

Ps. 88. Confiteantur Domino misericordiae eius, et mirabilia eius filiis hominum.

S. Matth. 16. Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Alleluia.

Die 31 Martii 1885.

BRIXIEN.

Rev. Vicarius generalis Dioeceseos Brixien. S. R. C. insequentia Dubia quoad Nolarum benedictionem, praesertim si plures simul benedicendae sint, quum de his sileat Pontificale Romanum, pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Dictis septem prioribus Psalmis, lavandae ne sunt alternatim et sine interruptione omnes Campanae benedicendae, dum recitantur semel tantum Psalmi 145, 146 et ceteri sequentes in Pontificali?

Dubium II. Unctio immediate subsequens Olei sancti infirmorum facienda ne est supra singulas Campanas, antequam dicatur Oratio *Deus qui per beatum Moysen* etc., quae forsan nunc dicenda esset numero plurali?

Dubium III. Nonne idem dicendum de ceteris unctionibus? Faciendae ne sunt alternatim et sine intermissione super singulas Campanas, dum recitatur seu cantatur, semel (vel pluries si unctiones tempus protrahant) Psalmus 28 *Affer-*

te Domino et postea Oratio, quae sequitur, dicenda ne est in numero plurali?

Dubium IV. Habenda ne sunt tot thuribula quot sunt Campanae, iisdem Campanis supponenda, an sufficit supponere aliquantisper unum idemque thuribulum alternatim cuilibet Campanae, dum semel dicitur seu cantatur Psalm. 76 *Viderunt te aquae* etc., et postea Oratio sequens dicenda ne est semel tantum, sed in numero plurali?

Dubium V. Delegatus a suo Ordinario vi indulti apostolici ad benedicendam Campanam alicuius Ecclesiae designatae, potest ne uti sua delegatione ad benedicendum plures Campanas si revera essent plures Campanae ad eamdem Ecclesiam pertinentes simul benedicendae, quamvis de una tantum Campana litterae delegationis loquantur?

Dubium VI. Oratio specialis *Benedic Domine hanc aquam* etc. a Pontificali tradita in benedictione signi vel campanae, dicenda ne est ab Episcopo prout iacet in Pontificali, nempe in numero singulari, vel potius in numero plurali, quando plures sunt Campanae hic et nunc benedicendae, sive quando Episcopus benedicit pro casibus inopinatis aquam ante servandam in vasis bene clausis, tradendamque in posterum postulantibus, data occasione benedictionis Campanae?

Dubium VII. Deficiente aqua benedicta ab Episcopo, quia vas dictam aquam continens forte effractum fuit, seu ob aliam causam fortuitam, quid facere debeat sacerdos ab Episcopo delegatus vi Indulti apostolici, quando omnia parata sunt ab benedictionem Campanae, fideles christiani convocati, et iam forsan congregati, et recursus ad obtinendam apto tempore aquam benedictam praescriptam sit prorsus impossibilis?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito autem voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. II. III. et IV. Lectiones, unctiones faciendae sunt supra singulas Campanas per modum unius, dum interea semel et pausatim recitantur aut cantantur Psalmi praescripti, et semel dicuntur Orationes plurali numero; thuribula seu focula aut vasa in quibus ardeat incensum, tot adhibenda sunt et supponenda quot sunt campanae.

Ad V. Facile delegatio intelligi poterit facta pro tot Campanis, quot sunt benedicendae: expedit tamen si fieri possit, ut in casu declaratio petatur ab Ordinario.

Ad VI. Aquam benedicendam esse toties quoties, si tantum in functione peragenda sive ab Episcopo sive ab eius delegato, et specialem Orationem traditam a Pontificali recitandam in numero singulari, vel plurali prout perficitur

benedictio unius vel plurium Campanarum.

Ad VII. Nisi delegato in casu delegata etiam fuerit facultas benedicendi aquam, abstinendum erit a Campanae seu Campanarum benedictione.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 14 Aprilis 1885.

CONCORDIEN.

De mandato Rmi Episcopi Concordien. Rev. D. Antonius Canonicus Belgrado hodiernus Magister Caeremoniarum in Seminario ipsius Dioeceseos S. Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An, praeter Episcopum, etiam Clerus sedere possit quando Celebrans altare thurificat absoluta Confessione, et recitat introitum et *Kyrie?*

Dubium II. Sin autem tum ad eam altaris thurificationem, tum ad recitationem Introitus Clerus stare debeat, quaeritur num tolerari possit consuetudo sedendi?

Dubium III. Invaluit consuetudo ut in Missa solemni cum adsistentia Episcopi, celebrans Canonicus det osculum pacis Presbytero adsistenti, qui eum defert ad Episcopum ac statim Diacono, qui etiam dat Subdiacono Ministris Missae inservientibus, secus isti in Officio suo perturbarentur. Potestne tolerari inducta consuetudo?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac Rmi Assessoris ipsius Sacrae Congregationis, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, seu durante thurificatione; Negative ad secundam, seu quum recitatur Introitus et *Kyrie.*

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. Servandam Caeremonialis dispositionem.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 14 Aprilis 1885.

TROIANA.

Rmus D. Thomas Passero hodiernus Episcopus Troianus quod sequitur Dubium S. Rituum Congregationi enodandum subiecit, nempe:

In Ecclesia Cathedrali Troiana singulis annis solemni pompa Smum Eucharistiae Sacramentum publice fidelium adorationi exponi solet in forma quadraginta Horarum; antequam vero SSma Eucharistia reponatur, fit cum eadem infra ambitum Ecclesiae solemnis Processio incedentibus singulis Capituli Canonicis, planetis indutis, ut praescribitur in Missis et Vesperis Pontificalibus. Dubitans autem idem Episcopus an huiusmodi consuetudo adversetur Rubricis et Decretis S. R. C., humillime petiit utrum licite ea servari queat?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii in casu respondendum censuit:

Servari posse expositam laudabilem consuetudinem. Atque ita respondit. Die 14 Aprilis 1885.

AUXIMANA.

Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Auximanae, qui ex privilegio iisdem facto ab Innocentio Papa XIII. cappam magnam quovis anni tempore gestare possunt, hactenus tamen Caeremoniali Episcoporum (Lib. I. cap. 4.) inhaerentes, tempore aestivo cappas deponere, et cottas super rocchettum assumere censuerunt. Nunc vero S. Rituum Congregationem rogarunt ut declarare dignetur: An Dignitates et Canonici supradicti cappam potius deferre possint, pelliculis remotis, earumque loco, serico rubro apposito?

Et S. eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, rescribendum censuit:

Poterunt se gerere utroque modo, quamvis magis honorifica habenda sit cappa, detractis pelliculis. Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 9 Maii 1885.

NANNETEN.

Rmus Dnus Iulius Franciscus Le Coq, hodiernus Episcopus Nanneten. S. Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Anno subsequenti 1886 solemnitas SS. App. Petri et Pauli translata pro Galliis in Dominicam occurrit celebranda die 4 Iulii. Porro eadem die in Dioecesi Nannetensi ex speciali indulto celebratur solemnitas Ss. Cordis Iesu, cuius festum ibidem colitur sub ritu duplicis primae classis. Haec autem solemnitas locum tenet solemnitatis Octavae Corporis Christi olim celebrari solitae, et claudit pro populo seriem Missarum, benedictionum et processionum quae in honorem Ss. Sacramenti fiunt per hebdomadam a Dominica praecedenti, in qua celebratur solemnitas festi Corporis Christi. Quaeritur quomodo ordinandae sint hae solemnitates?

Dubium II. An tam in occurrentia quam in concurrentia, festa secundaria quaecumque sub ritu duplici celebrata, dummodo sint maioris dignitatis, habere debeant praecedentiam prae festis primariis quae sub eodem ritu celebrantur, sed sunt minoris dignitatis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Transferatur in casu solemnitas Sacri Cordis Iesu ad sequentem Dominicam.

Ad II. Dilata.

Atque ita rescripsit. Die 29 Maii 1885.

OVETEN.

Rñus Dñus Raymundus Martinez y Vigil hodiernus Episcopus Oveten. exponens in sua cathedrali Ecclesia cunctis diebus festis Processionem claustralem fieri immediate ante Missam solemnem conventualem, etsi haec Pontificalis sit; quum haec praxis adversari videatur Caeremoniali Episcoporum, a S. Rituum Congregatione sequentis Dubii solutionem humiliter expetivit, nimirum:

An huiusmodi praxis tolerari possit, vel potius claustralis Processio ante horam Tertiam perficienda sit, quae immediate praecedat Missam Pontificalem?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis ita rescribendum censuit:

Servetur in casu laudabilis consuetudo vigens in Patriarchali Archibasilica Lateranensi, idest cum Missa pontificalis celebratur, Processio claustralis omittatur.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 29 Maii 1885.

NAMURCEN.

Insequentium Dubiorum declarationem Rmus Dnus Eduardus Iosephus Belin, hodiernus Episcopus Namurcen, a S. Rituum Congregatione humillime expetivit, nimirum:

Dubium I. Quum iuxta Rubricas Breviarii Romani Dominica post Epiphaniam vel Pentecosten, quae aliter omittenda esset, poni debeat in praecedenti Sabbatho, quod non est impeditum Festo novem Lectionum, alioquin in alia praecedenti die, similiter non impedita etc.; quaeritur utrum dies Festo semiduplici ad libitum assignata, sive sit Sabbatum immediate ante Dominicam Septuagesimae vel Pentecosten, vel alia dies illud praecedens, habenda sit tamquam sedes libera, in qua reponi possit Dominica anticipata?

Dubium II. Utrum in Festo Sacrarum Reliquiarum, quod in Namurcensi Dioecesi ultima Dominica Octobris recolitur, exponi possint etiam Reliquiae D. N. I. C.? Ratio dubitandi est, quod huiusmodi Festum prouti ex toto Officio appareret, sit tantummodo de Reliquiis Sanctorum.

Dubium III. Utrum Imago Sacri Vultus D. N. I. C. deferri queat in Processione Sanctissimi Sacramenti?

Dubium IV. Utrum eadem Imago velari debeat tempore, quo non exponitur cum cereis accensis?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisitoque voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Servandum Decretum in una Lycien. die 4 Aprilis 1705. (1)

Ad II. Exponi posse seu affirmative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative, si imago permagnâ populi veneratione colatur.

Atque ita declaravit ac rescripsit. Die 29 Maii 1885.

ARETINA

De mandato Rmi Episcopi Aretini, hodiernus annualis Kalendarii redactor pro Clero ipsius Dioeceseos, insequentia Dubia enucleanda S. Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Quum Officium votivum de Immaculata B. M. V. Conceptione in Sabbatho etiam Quatuor Temporum nec non infra Quadragesimam et Adventum ex Indulto diei 25 Aprilis 1806 sub ritu duplici minori recitari valeat; dubitatur an eiusmodi concessio extendatur etiam ad illa Sabbatha, quibus iuxta Rubricas Officia votiva recitari nequeunt. Hinc quaeritur: An idem Officium in Sabbathis Quadragesimae, Adventus, Quatuor Temporum, et Vigiliae recitandum sit sub ritu duplici minori, vel iuxta recentiorem Rubricam sub ritu semiduplici?

Dubium II. Octava Assumptionis B. M. V. pro Dioecesi Aretina, ita privilegiata est, ut infra eam fiat tantummodo de Officio ritus primae vel secundae classis etiam translato. In Proprio dioecesano habentur Lectiones pro singulis diebus Octavae. Hodiernus Kalendarii redactor sumpsit Officia dierum infra octavam ex Breviario Romano vel ex Proprio, et neglexit omnino Officia illa quae fortuito omittebantur. Olim Kalendarii redactores quando festum s. Ioachim Conf. incidebat in diem 19 Augusti, transferebant Lectiones illius diei ad insequentem 20 ac sic alia deinceps, et omittebant Lectiones diei 21 Augusti assignatas seu diei septimae infra Octavam. Quaeritur quid servandum in posterum?

Dubium III. Quum per octavam Epiphaniae Festum B. Gregorii X. Papae Conf. die propria 10 Ianuarii nequeat recoli, repositum fuit tamquam in sede propria in die 28 Ianuarii uti modo celebratur. Quum vero haec dies ex Decretis S. R. C. libera relinquenda sit in Kalendariis pro Festo translato Ssmi Nominis Iesu, quando Dominica II. Ianuarii sit Septuagesimae, et in-

(1) LYCIEN. DUBIORUM. 5. An Officia Sanctorum ad libitum sive duplicia, sive semiduplicia occurrentia in die, quo fieri debeat Officium de Dominica anticipando ante Septuagesimam, vel ante Dominicam XXIV post Pentecosten, sint transferenda, vel potius omittenda, vel in die illa Officium praedicti Sancti ad libitum recitandum, et solum sit facienda commemoratio illius Dominicae?

Ad 5. Esse omittenda Officia Sanctorum ad libitum.

super dies 16 Februarii revera sit prima libera in Kalendario Dioecesano; quaeritur an in casu enuntiati impedimenti Festum Ssmi Nominis Iesu reponendum sit in die 28 Ianuarii vel in die 16 Februarii?

Dubium IV. An Officium B. M. V. Matris Divini Pastoris Dominicae primae Maii transferri valeat in casu impedimenti in primam Dominicam insequentem liberam?

Dubium V. Item quaeritur circa Officia Maternitatis, Puritatis B. M. Virg. et eiusdem de Succursu Dominicis II. III. et IV. Octobris affixa?

Dubium VI. Iuxta Rubricas nuper reformatas si die 15 Septembris, cui festum Sancti Cornelii Pap. et Cypriani Episcopi Mm. sub ritu semiduplici affixum est, sit Dominica, Officium fieri debet de Dominica. At vero si haec Dominica sit tertia Septembris iuxta computum civile, tunc celebrari oportet, sub ritu duplici maiori Festum Septem Dolorum B. M. V. quo in casu videtur faciendum Officium de Septem Doloribus, cum Commemoratione Dominicae et Ss. Martyrum. Quaeritur an haec opinio sit falsa?

Dubium VII. Infra Octavam Corporis Christi quum de ea fiat Officium, omittine debet iuxta Rubricas reformatas, nona lectio historica de semiduplici occurrente ad instar Simplicis redacto?

Dubium VIII. Cathedralis Ecclesiae Aretinae Titularis est solemnitas SS. App. Petri et Pauli, Contitularis vero est s. Stephanus Protom., cuius festum sub pari ritu recolitur, nempe Duplicis primae classis cum Octava. Quaeritur an de Contitulari Cathedralis, idest de s. Stephano fieri debeat Festum sub ritu duplici primae classis in tota Dioecesi, vel in Cathedrali tantum?

Dubium IX. Quum in Dioecesi Aretina inter Suffragia Sanctorum habeatur, post Commemorationem B. M. V., altera de s. Michaele Archangelo, quaeritur an haec omittenda sit quando fit officium de SS. Angelis, et si facienda, quaenam Oratio dicenda sit?

Dubium X. Regularis, qui ex Ordinis sui constitutionibus, teneatur in fine Missae recitare Antiphonam *Salve Regina* cum ℣. *Ora pro nobis* et Oratione *Omnipotens,* debetne postea recitare rursus Antiphonam *Salve Regina* et preces nuper praescriptas?

Dubium XI. Ubi vigeat immemorabilis consuetudo ministrandi Ssmum Eucharistiae Sacramentum extra Missam cum stola semper albi coloris, tolerari ne potest eiusmodi consuetudo?

Dubium XII. Sacerdos, expleta Missa, debetne se inclinare Cruci altaris, antequam descendat ad praescriptas preces recitandas: hasque recitans debetne genuflectere in suppedaneo tantum, vel in infimo altaris gradu?

Et Sacra eadem Congregatio,

ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad I. Vel retinendum particulare Indultum cum exceptionibus, vel acceptandum novum sub ritu semiduplici.

Ad II. Singulis Octavae diebus, si fiat de Octava, legendae Lectiones in Proprio assignatae si adsint, secus quae extant in Breviario. Idem servandum si fiat de Officio primae aut secundae classis quod non habeat Lectiones proprias.

Ad III. In casu Festum Ssmi Nominis Iesu reponatur prima die libera, retento festo Beati Gregorii in die 28 Ianuarii iam fixa.

Ad IV. et V. Absque Indulto negative, et officia enuntiata eo anno omittenda.

Ad VI. Enuntiata sententia est recta.

Ad VII. Servetur Rubrica tit. de Commemorationibus n. 10.

Ad VIII. Servetur consuetudo.

Ad IX. Servetur Rubrica praeposita Officiis votivis.

Ad X. Affirmative iuxta probatam praxim respectivi Ordinis.

Ad XI. Servetur Rituale Romanum.

Ad XII. Inclinationem de qua in casu non praescribi neque prohiberi, et in recitatione precum genuflectendum pro lubitu sive in suppedaneo, sive in infimo gradu altaris.

Atque ita rescripsit, declaravit, ac servari mandavit. Die 18 Iunii 1885.

MARIANOPOLITANA.

Rmus Dnus Eduardus Faber Episcopus marianopolitanus a S. R. C. insequentium Dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum:

Dubium I. An extra Ecclesias, quarum Kalendario rite addita fuerunt Officia votiva, per Decretum 5 Iulii 1883 concessa, privilegium personale ad libitum ista recitandi Missasque respondentes more festivo celebrandi sic intelligi debeat, ut in cantandis Missis ac Vesperis (salvo iure Missas more stricte votivo celebrandi) ne Commemoratio quidem de iisdem fieri possit?

Dubium II. Utrum Dominica Palmarum ac Feria VI in Parasceve liceat ceteras functionis partes cantare ubi *Passio,* deficientibus Diaconis, a Celebrante tota legetur, excepto fine qui iuxta rubricam cantatur in tono Evangelii?

Dubium III. An, Vigilia occurrente in Sabbatho Quatuor Temporum, Episcopus Ordines conferens, debeat non solum facere Commemorationem de Vigilia per orationes, sed etiam eiusdem Evangelium in fine legere?

Dubium IV. Utrum imagines, quae quatuordecim Viae Crucis stationibus affigi solent ad instruendos fideles eorumque pietatem fo-

vendam, relinqui possint non velatae, tempore Passionis?

Dubium V. An Decretum in Marianopolitana 29 Novembris 1878, ex quo constat quoddam Oratorium consecratum ibidem descriptum ius habuisse ut celebrentur cum Octava tum ipsius Festum Titulare, tum eius Dedicatio, extendi debeat ad oratoria eiusdem generis simpliciter benedicta, in eo sensu quod eorum Titulus cum Octava sit celebrandus?

Dubium VI. An titulus, cuiuslibet Oratorii in perpetuum cultui divino ac praesertim Missae celebrandae addicti, in actu consecrationis vel benedictionis auctoritate Episcopi assignatus, eo ipso ius saltem in actu primo habeat ut eius festum (nec non et Dedicatio si sit consecratum) sub ritu Duplicis primae classis cum Octava celebretur, ita tamen ut exercitium istius iuris non incipiat, nisi certae conditiones impleantur, quibus ab initio non existentibus vel postea deficientibus, suspenditur?

Dubium VII. Utrum, ad supradicti iuris exercitium tria haec requirantur et sufficiant:

I. Quod Oratorium omnibus fidelibus pateat, vel saltem ad usum non privatae familiae, sed v. g. personarum in Seminariis, Hospitio etc. degentium adhibeatur?

II. Quod ibidem peragi soleant iuxta dispositionem Ordinarii quaedam functiones Ecclesiasticae aut saltem divini Sacrificii oblatio?

III. Quod adscribatur sive Clericus beneficiatus sive Communitas ad recitandum in choro canonicum Officium stricte obligato, sive Congregatio inter membra sua numerans clericos sacris ordinibus initiatos, sive Sacerdos ab Episcopo deputatus ut sit proprius Oratorii Rector?

Dubium VIII. Utrum in praedictis Oratoriis, quae propter tertiae conditionis supranumeratae defectum celebratione Festi Titularis (et Dedicationis) cum Octava privantur, licitum sit ex Decretis in Compostellana 8 Aprilis 1808 ad 8, in una Societatis Iesu 18 Septembris 1877 ad primum ex ipsa die qua officium etiam accidentaliter translatum recitandum foret, cantare Missam de Titulo (et de Anniversario Dedicationis) additis in quantum eas patitur ritus solemnitas, Commemorationibus Officii currentis cum Evangelio Dominicae vel Feriae maioris in fine?

Dubium IX. An ubi cantatur ista Missa, ceterae si quae ibidem celebrentur similiter de Titulari (vel de Dedicatione) legendae sint?

Dubium X. Duae tabellae de celebratione Missae in Ecclesia aliena publicatae sunt anno 1859 tamquam a Secretario Sacrae Congregationis Rituum approbatae (quorum exemplar per modum appendicis iam exhibitum fuit); quaeritur utrum servari possint et debeant istae tabellae, an vero sequenda sit regula generalis, vi cuius (praeter pau-

cas exceptiones quoad Missam Conventualem, Missam de Beato etc.) Sacerdos non legit Missam iuxta Kalendarium Ecclesiae alienae, nisi quando in ea vel celebratur Officium duplex aut duplici aequivalens cum diverso colore, vel fit de Festo cuius solemnitate populi concursus attrahitur?

Dubium XI. An regulae circa Missae celebrationem in Ecclesia aliena similiter obligent:

I. In Oratoriis saltem benedictis sive festum eorum Titulare celebretur cum Octava sive non?

II. In locis ad tempus, donec erigatur Ecclesia vel Oratorium, ab Ordinario deputatis ad Missae celebrationem, etc.?

III. In parvis Oratoriis extra principale Oratorium apud communitates Ecclesiasticas etc. cum licentia competenti institutis?

Dubium XII. Utrum Rubrica, qua praecipitur campanulam a ministro Missae lectae pulsari, spectet ad Oratoria huiusmodi, in quibus plerumque solus adest celebrans cum ministro?

Dubium XIII. Utrum Orationes coram Sanctissimo Sacramento exposito extra Missam et Horas Canonicas cantandae sint in sexto tono an vero cum duplici vocis a *Fa* ad *Re* inflexione?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, nempe:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Servetur methodus praescripta a Benedicto XIII pro Ecclesiis ruralibus.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Pro Oratoriis simpliciter benedictis Negative, et serventur Decreta.

Ad VI. Si sit consecratum Oratorium ius ei competit uti pro publica Ecclesia consecrata, si sit benedictum provisum in V.

Ad VII. Si Oratorium sit consecratum, sufficit sola consecratio.

Ad VIII. Si Oratorium sit consecratum, serventur eadem quae in Ecclesia; si benedictum provisum in V.

Ad IX. Si sit consecratum, Affirmative.

Ad X. et XI. Servanda regula generalis etiam in Oratoriis, exceptis mere privatis.

Ad XII. Campanula in Missa pulsanda est etiam in privatis Oratoriis.

Ad XIII. Orationes in casu cantandas esse sexto tono cum unica vocis inflexione in fine cuiusque orationis.

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit. Die 18 Iulii 1885.

URGELLEN.

Hodiernus Cathedralis Ecclesiae Urgellen. sacrarum Caeremoniarum

Magister, eiusdemque Dioeceseos Kalendarii Director de sui Rmi Episcopi consensu, insequentia Dubia S. Rituum Congregationi declaranda humiliter proposuit, nimirum:

Dubium I. S. R. C. sub die 10 Martii 1791 ad preces Rmi Archiepiscopi Tarraconen. indulsit, ut praefato anno et in posterum, quoties contigerit Festum S. Georgii M. Patroni principalis totius Principatus Cathalauniae incidere in Feriam V. vel VI. Maioris Hebdomadae vel in Sabbathum Sanctum, idem Festum cum Officio, Missa, Octava ac praeceptum audiendi sacrum transferatur ad Feriam secundam post Dominicam in Albis. Cum autem per Decretum diei 2 Maii 1867 non amplius detur obligatio audiendi Sacrum in memorato Festo, et cum per aliud decretum S. R. C. 6 Septembris 1881 SSmus Dnus Noster Leo Papa XIII Sanctam Mariam sub titulo de Monte Serrato eidem Cathalauniae Provinciae seu Principatui Patronam principalem dederit, eiusque festum celebrandum concesserit Dominica postrema Aprilis; quaeritur, utrum standum sit decreto supra memorato 16 Martii 1791, ac proinde anno sequenti 1886 transferendum sit Festum Inventionis Ssmae Crucis, siquidem Feria II post Dominicam in Albis occurrat die 3 Maii; an potius Festum s. Georgii deinceps transferendum sit in casu ad primam diem liberam iuxta Rubricas?

Dubium II. Quum diversimode sentiant Auctores circa aquae lustralis aspersionem faciendam in altari in quo expositum invenitur Sanctissimum Sacramentum; quaeritur utrum omittenda sit in casu aspersio aquae benedictae, an vero facienda? Et quatenus affirmative ad secundam partem, utrum omitti debeat in casu aspersio altaris?

Dubium III. Utrum continuari possit praxis immemorabilis faciendi inclinationem profundam non tantum capitis, sed et corporis ante et post Ssmi Sacramenti expositi incensationem; quamvis in Decreto S. R. Congregationis 26 Martii 1859 in una Tarnovien. ad 3 profunda capitis inclinatio tantum exigatur? Item an inclinatio Cruci facienda a Celebrante antequam ab altare discedat finita Missa, et iterum Cruci, seu imagini principali in sacristia, esse debeat profunda capitis et corporis, ut docent nonnulli graves auctores, an vero profunda capitis tantum?

Dubium IV. In nova Rubrica speciali Breviarii posita ante Festum Ssmi Nominis Iesu, Dominica II. post Epiph. legitur « Occurrente Dominica Septuagesimae reponitur hoc Festum in diem 28 Ianuarii tamquam in sedem propriam (translato quocumque alio Festo si alicubi occurrat et transferri valeat, nisi sit altioris ritus) ». Iam vero quum in tota Hispania die 28 Ianuarii celebretur festum s. Iuliani Episcopi et Conf. sub ritu duplici

secundae classis (et quidem cum Octava in plurimis Dioecesibus), quaeritur: utrum abrogata censenda sint decreta S. R. C. data sub die 11 Septembris 1790 in Barchinonen. ad I. et 11 Aug. 1877 in Oveten. ad VII. P. 2; ideoque transferendum Officium s. Iuliani quotiescumque Ssmi Nominis Iesu Festum a praefata Dominica II. post Epiph. quavis causa removeri debeat, an vero, translato Officio Sanctissimi Nominis Iesu ad primam diem liberam iuxta Rubricas, faciendum sit in casu de s. Iuliano memorata die 28 Ianuarii?

Dubium V. Quando Episcopus adstat non in sede presbyterii iuxta altare, sed in sede seu stallo Chori siti in medio Ecclesiae ab altari valde distantis, possunt ne tam Celebrans quam Ministri post altaris aspersionem simul procedere ad Chorum, ibique Ministri profunde inclinati aspersionem recipere ab Episcopo, vel potius debet ne ibidem aspergi a Celebrante postquam iste ab Episcopo fuerit aspersus?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis respondendum censuit, videlicet:

Ad I. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad II. Exposito SSmo Sacramento, omittitur tantum aspersio altaris.

Ad III. Consulat probatos auctores.

Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad V. Ministros, quatenus incedant cum Celebrante, aspergendos esse simul cum eo ab Episcopo.

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit. Die 18 Iulii 1885.

EUGUBIN.

Rmus Dnus Innocentius Sannibale hodiernus Episcopus Eugubinus Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit:

Pervetus mensa altaris, sub quo requiescunt exuviae s. Ubaldi Episcopi Conf. iam pridem consecrata per modum fixi, nuper immota altaris instaurandi causa iterumque apposita, constat ex lapide cuius longitudo est metrorum 2.27 et latitudo metr. 0,52 cui idcirco tamquam corona, zona marmorea deducitur per ferri laminas coniuncta ipsi lapidi; ita ut mensa non constet ex unico lapide uti praescriptum est pro altaribus fixis. Hinc quaeritur, quid in nova consecratione agendum sit?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit:

Si tamquam altare fixum consecrandum sit, rite construi debet cum tota mensa ex uno et integro lapide iuxta canonicas praescriptiones.

Atque ita rescripsit. Die 29 Augusti 1885.

FULDEN.

Rmus Dnus Georgius Kopp hodiernus Episcopus Fulden. Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit:

In Cathedrali Ecclesia Fuldensi Ssmo Salvatori dicata atque olim veteri Monasterio adnexa, nonnisi postremis temporibus tamquam Titulare Festum Transfigurationis Domini celebratum est sub ritu Duplicis primae classis cum Octava; quin tamen eius Commemoratio fieret in suffragiis Sanctorum: cuius loco non Patroni Loci, nempe s. Simplicii Mart., sed tantummodo Patronorum Dioeceseos, scilicet s. Bonifacii Mart. Archiepiscopi et s. Sturmii Abbatis, quorum corpora in ipsa Ecclesia nunc Cathedrali requiescunt, fit Commemoratio, eorumque nomina in Oratione *A cunctis* adduntur. Quaeritur num huiusmodi consuetudo ab immemorabili inducta servari possit; an in posterum Oratio Transfigurationis tamquam Titularis inter suffragia reponi, et in Oratione *A cunctis* nomen tituli omitti debeat?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribere rata est:

Addenda in Suffragiis Commemoratio tituli SSmi Salvatoris per memoratam Orationem. Quoad alteram vere Commemorationem tum in suffragiis tum in Oratione eorum *A cunctis* ponatur primo loco s. Simplicius Martyr ac dein, attenta consuetudine, retineantur s. Bonifacius Ep. Mart. et s. Sturmius Abb.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 29 Augusti 1885.

CARTHAGINEN.

In Dioecesi Carthaginen. ad maiorem solemnitatem et pompam in processionibus praesertim Maioris Hebdomadae, quando simulacra Deiparae Perdolentis per vias publicas circumferuntur, mos est gestandi baldachinum (hispanice *palio*) desuper extensum, quod est eiusdem formae ac illud quo Ssmum Eucharistiae Sacramentum solemniter defertur, sed diversi coloris, ut plurimum caerulei. Id etiam obtinet in civitate vulgo *Lumilla* nuncupata; ita tamen ut huiuscemodi pallium coloris caerulei veluti tentorium explicetur tantummodo si pluvia decidat, quo simulacra Virginis uti vocant de Doloribus et de Angustiis triumphali curru inaurato

vecta, ab imbre defendi valeant. Quum vero de usu eiusmodi baldachini dubium ortum sit, hoc de consensu Rmi Episcopi Carthaginen. S. Rituum Congregationi pro opportuna declaratione subiectum fuit.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita rescribendum censuit: In casu usum tolerari posse.

Atque ita rescripsit. Die 7 Septembris 1885.

FESULANA.

Rmus Dnus Ferdinandus Masoni Canonicus Theologus et Kalendarii Redactor Fesulanae Dioeceseos, de consensu sui Rmi Episcopi Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium proposuit eiusdem solutionem demisse efflagitans, nimirum:

An in festis s. Crucis quum in altari sit exposita eiusdem Reliquia, Celebrans in Missa cantata incensare debeat more solito imaginem Crucifixi in principe loco positam, et postea Reliquiam S. Crucis, vel incensare debeat tantum hanc Reliquiam omittendo incensationem Crucifixi?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit, nimirum: Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Atque ita rescripsit. Die 23 Septembris 1885.

RHEMEN.

A Rmo Ordinario Dioeceseos Rhemen. insequentia Dubia pro opportuna solutione S. R. C. subiecta sunt, nimirum:

Dubium I. An in Oratione Sancti Isidori Agricolae dicendum sit cognomen *Agricola?*

Dubium II. In Postcommunione Missae eiusdem num pars ultima *ut s. Isidori Confessoris tui cuius exequimur cultum sentiamus effectum* sit completa?

Dubium III. In Festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. conclusio Orationis fit ne per verba *Qui vivis* vel *Qui tecum vivit* an potius *Per eumdem Dominum?*

Dubium IV. In Ordinationis Missa facienda ne est Commemoratio Simplicis; an potius supprimi debeat sicut Commemoratio Duplicis?

Dubium V. In Oratione Missae de Requie pro Cardinale Presbytero, sed Episcopo, cuidam Ecclesiae consecrato et adscripto, num dicendum ut docet Castaldi (Praxim Caerem. lib. II. sect. VI. cap. V. n. 6) *Deus qui inter... famulum N. Presbyterum Cardinalem pontificali fecisti dignitate vigere* an vero *famulum tuum N. Episcopum Cardinalem pontificali fecisti dignitate vigere?*

Dubium VI. In Missis votivis per annum de Immaculata Conceptione an in Praefatione dicitur « *Et te in Commemoratione Conceptionis Immaculatae* vel ut in Festo » *Et te in Conceptione Immaculata?*

Dubium VII. In Lamentationibus Hieremiae in Officio Tridui Sancti pronuntiantur Litterae hebraicae *Aleph Beth* etc., an potius symphonia tantum per organum in Choro exprimitur?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. et II. Sic legitur in originali.

Ad III. Oratio allata concludi debet: *Per eumdem etc.*

Ad IV. Si in ordinatione dici debeat Missa de festo occurrente, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Si vero Missa sit ferialis ut in Sabbathis Quatuor Temporum et Sabbatho *Sitientes,* haec Missa nullam admittit Sanctorum occurrentium Commemorationem.

Ad V. Dicendum priori modo.

Ad VI. Dicendum ut in Festo.

Ad VII. Litterae hebraicae dicendae sunt.

Atque ita rescripsit. Die 23 Septembris 1885.

SENEN.

Paucis abhinc annis in Metropolitana Ecclesia Senen. quotannis die festo Assumptionis Deiparae cum ipsius principis Ecclesiae Canonicis Insignis Ecclesiae Collegiatae Canonici sub tit. B. M. V. Loci vulgo *Presenzano* Missae Pontificali solent interesse, licet diverso stallorum ordine adsideant. Quum vero dubitatio orta sit utrum supradictae Collegiatae Canonici vestes tantum chorales deferentes aeque ac Canonici Metropolitani, qui sacris paramentis induti in proprio stallo adsident, duplici ductu thurificandi sint; Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium de consensu Rmi D. Archiepiscopi Senen. pro opportuna declaratione propositum fuit, nimirum:

Quum Canonici praefatae Insignis Collegiatae Pontificalibus assistunt in Ecclesia Metropolitana, sunt ne thurificandi unico, prouti hucusque factum est, an duplici ductu?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita in casu rescribendum censuit: Nihil innovetur.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 23 Septembris 1885.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SPALATEN.

CONFRATERNITATIS

Die 14 Decembris 1889, et 25 Ianuarii 1890.

Sess. 22 cap. 8 De reform.

Compendium facti. In suburbio Magno Spalati, in ecclesia paroeciali s. Crucis, sub initium saeculi XV erecta est confraternitas quae a *s. Cruce* nomen obtinuit. Prima eius statuta, quae vulgo *Matricola* nuncupantur, anno 1439 confecta videntur: ea tamen, ait Ordinarius, decurrente tempore modificationem accipiebant, praevia auctoritate Ecclesiastica. Et sic anno 1715 antiqua statuta in opportuniorem formam redacta, ab Episcopo et a civili reipublicae Venetae magistratu confirmata, ad ultima usque haec tempora viguerunt.

Nisi quod nuperrime talia evenerunt, tum circa statuta, tum circa sodalitatis existentiam, magistratibus et tribunalibus civilibus, necnon Episcopo ac Metropolita, in diversas atque oppositas sententias abeuntibus, ut res ad supremum S. C. C. iudicium deduci debuerit.

Haud latet per ea loca populum in partes civiles miserrime scindi, praesertim ob aemulationem ac simultates quae inter diversas civium stirpes, in praesentiarum praesertim, inibi obtinent. Porro ante annum 1882 contigerat, ut pars quae *nationalis* dicitur in electionum municipalium comitiis contrariam partem, quae *civicae* nomine videtur venire, vinceret, et pulsis e municipalibus sedibus adversariis, suos in municipium induceret. Utraque autem pars proprio instrumentorum concentu utebatur, qui municipalis idest communalis fiebat, eo ipso ac sua uniuscuiusque pars municipalem

administrationem occuparet. Itaque post annum 1882 concentus nationalis municipalis evasit.

Iamvero mos erat ut in octava corporis Domini solemnis supplicatio ab ecclesia S. Crucis cum pii sodalitii interventu in suburbio Magno fieret. Anno itaque 1882, aut 1883, parochus S. Crucis et aeditui, ceu ipsis ius erat et iuxta receptum usum, utrumque concentum invitarunt, et concentui nationali, utpote eo anno municipali, primum locum ex curiae ordinatione assignarunt. At res non arrisit maioritati sodalium, qui contrariae factioni erant addicti, quique ideo vi adhibita conati sunt huiusmodi concentum aut in inferiorem locum reiicere aut prorsus excludere. Cum vero dissidium effervesceret, ne maiora mala evenirent, vis armata intervenit.

Hoc turbarum initium; sed cito alia plura mala subsequuta sunt. Siquidem sub finem uniuscuiusque anni sodalitatis praesides, una simul cum quibusdam ex senioribus *vecchiardi* iuxta statuta convenire debent ut officiales pro sequenti anno eligant. Anno itaque 1883 praesides senioresque complures convenerunt, et futuros sodalitatis moderatores elegerunt. Id contigit die 27 Octobris. At facta electio, qua de causa nescio, sed haud temerarium est supponere ex civilium factionum motivo, maioritati confratrum non arrisit. Convenerunt itaque 89 fratres, et officiales sibi benevisos constituerunt. Ordinarius rem improbavit, ipseque politicus urbis magistratus eidem subscribendum haud censuit: verumtamen electi sub die 3 Novembris, utpote a maioritate confratrum suffulti, in officio perstiterunt.

Interea sodales bis generalia comitia habuerunt, diebus nempe 15 Novembris 1883 et 15 Iunii 1884, quin tamen politicum urbis magistratum, *capitano distrettuale,* iuxta civilem legem admonerent.

His de causis die 19 Iunii 1884 urbis praefectus ad Episcopum scripsit ab eoque quaesivit, utrum expediret, publici ordinis gratia, ut dictum Sodalitium supprimeretur. Episcopus die 2 Iulii respondit hoc expedire, quatenus quis

consideret causas adductas a regia auctoritate, nempe turbas a sodalitate promotas, officialium electionem contra statuta factam, necnon comitia sine venia habita; quibus addere oportet, eiusmodi sodalitium a fine proprio in dies discedere, et fieri turbolentum, potius quam fovere sensus pietatis et charitatis. His habitis magistratus Spalatensis ab I. Locumtenente Iadrensi sodalitii dissolutionem impetravit, eamque obtinuit decreto diei 8 Augusti 1884. Et in eo decreto inter alia decernebatur etiam, ut bona suppressi sodalitii ad ecclesiam paroecialem transirent.

Verumtamen casus revera singularis tunc contigit. Siquidem cum eo ipso anno die 24 Iulii nonnulli confratres a S. Cruce, iuxta civilis Imperii legis praeceptum, Locumtenenti exhibuissent statuta, ut a politica auctoritate confirmarentur, et sodalitas recognosceretur, factum est, ut ea ipsa die 8 Augusti, qua suppressio sodalitatis a S. Cruce decernebatur, eâdem precise die signaretur a Locumtenente approbatio statutorum in recognitionem sodalitatis a S. Cruce. Hinc magna confusio. Nam Ordinarius retinuit antiquam sodalitatem a S. Cruce cum suis iuribus et privilegiis esse vi prioris decreti Locumtenentis suppressam: vi vero alterius decreti quo statuta approbabantur, censuit novam aliamque omnino laicam sodalitatem a S. Cruce fuisse erectam, eo vel magis quod approbata statuta, licet substantialiter cum antiquis convenirent, tamen in nonnullis ac praesertim quoad formam diversa erant. At Metropolita Iadrensis et sodalitas, saltem pro maiori parte imo et politica auctoritas, ceu sequentia evincere videntur, aliud senserunt. Interim prosequenda historia.

Sodales a S. Cruce statim ac de suppressionis decreto edocti sunt, ad Ministerium pro internis status negotiis appellarunt: id constat ex litteris 24 Septembris et 27 Decembris 1884 ab Episcopo ipso relatis, quibus magistratus civilis Drepanensis monebat Episcopum, decretum Locumtenentis et inter alia adscriptionem bonorum sodalitii ad ecclesiam, suspensa vi huiusmodi appellationis manere.

Attamen Episcopus forte innixus opinioni quod antiqua ecclesiastica sodalitas a S. Cruce esset suppressa, et quod ea quae sub hoc nomine veniebat, utpote novis statutis instructa et ab Ordinario non approbata ecclesiastica societas non erat, nec ullo pollens iure in ecclesia S. Crucis, ideo vetuit, quominus haec sodalitas ut morale corpus ecclesiasticum in loco antiquae confraternitatis admitteretur: sodales e contra id praesumebant: hinc complura et gravia scandala evenerunt quae non deplorari non possunt. Mitto tumultum semel a sodalitate vix concitatum in novi parochi ingressu, mitto loqui de scamnis sodalitatis, quae parochus e loco suo moverat, et sodales in locum suum contra parochi voluntatem restituerunt; et recolam dumtaxat, quod cum defuncta esset Decembri mense 1884 quaedam sodalis, Catarina Covacich, et confratres sacco induti et cum vexillo eam comitari vellent, parochus se abstinuit ab interventu, et funera sine sacerdotis praesentia a sola confraternitate peracta sunt. Quod quidem cum admiratione et dolore omnium bonorum iterum iterumque in similibus circumstantiis accidit. Episcopus etiam recolit, se in die commemorationis omnium fidelium defunctorum a coemeterii benedictione abstinere debuisse, ne sociam in itinere hanc sodalitatem haberet.

Interim vero dum tanta animi firmitate contra sodalitium S. Crucis ecclesiastica auctoritas dimicabat, cogitatum est novam confraternitatem in paroeciali ecclesia S. Crucis institui. Idque factum est die 5 Ianuarii 1885. Nova sodalitas *a SSmo Crucifixo* nomen habuit, eiusque statuta ab Episcopo et a civili potestate approbata illico fuere, et plures ex sodalibus a S. Cruce, ii forte qui a maioritate dissenserant, huic novo sodalitio se adscripserunt.

At cum veteres confratres a S. Cruce id, quod putabant in sui aemulationem factum, aegrius ferrent, maiora dissidia parabantur. Quapropter Episcopus civiles magistratus rogavit, ut sodalitatem, quam laicam appellabat, in officio continerent. Et I. Locumtenens Iadrensis, novo lato decreto sub die 5 Martii 1885, sodalitatem a S. Cruce existentem iuxta

statutum diei 27 Iulii 1884 iterum suppressit eiusque bona iterum ecclesiae parochiali adscripsit.

Sodalitas ad Ministerium negotiorum internorum Status denuo et ipsa appellavit; sed reiecta, ad supremum tribunal Imperii provocavit, a quo sub die 19 Ianuarii 1887 formali sententia obtinuit, ut, decreto locumtenentis et rescripto Ministerii Status cassatis, in integrum restitueretur.

At Episcopus statim ac rem cognovit, potius quam sodalitatem in foro ecclesiastico restituere, eam gravius magisque explicite compescuit; siquidem die 20 Februarii 1887, iterumque die 24 Maii 1887 ad parochum S. Crucis literas dedit: quibus significavit omnino non posse eandem admittere confraternitatem, non obstante auctoritate civili, quae recursum admisit, ad explendas in ista Ecclesia quasvis functiones ecclesiasticas; idque eo magis quia in eadem Ecclesia paroeciali erecta est, praevia ecclesiastica et politica auctoritate Confraternitas ssmi. Crucifixi, et superfluum sit alia inibi existere sodalitia; dum licitum sit unicuique dare nomen novae Sodalitati a SSmo Crucifixo.

Incassum sodales Episcopum adierunt et rogarunt ut a data sententia recederet: unde tandem die 9 Iunii 1887 ad Metropolitanum recursum habuerunt: qui, excepto libello, auditoque in scriptis suffraganeo Episcopo, die 8 Augusti eiusdem anni 1887 sententiam tulit, quae, pluribus perpensis, ita explicit: Forum metropolitanum propriâ auctoritate, irritat decreta curialia dierum 16 Februarii 1884, et 24 Maii 1887, et habet ceu adhuc existentem confraternitatem s. Crucis Spalati, eamque reddit ad suum statum anteriorem.

At Episcopus statim ac notitiam huius sententiae accepit ad S. Sedem provocavit, et litteris, quae seorsim typis mandantur, ac documentis litteras comprobantibus nisus est se suaque acta tueri. Vicissim ad sententiae propugnationem Archiepiscopus longam epistolam exaravit. Sodalitatis autem praeses Mladinich S. Sedem coram adivit peculiaremque patronum sibi elegit qui ante S. C. C. suam causam peroraret.

Datum itaque fuit die 11 Augusti 1888 decretum *ponatur*

in folio. Interim tamen Ordinario Spalatensi scribi placuit, ut indicaret et proponeret, si quam haberet, compositionis et concordiae viam. Defuncto medio hoc tempore Episcopo, respondit Vicarius capitularis, ad concordiam id dumtaxat conducere posse, quod nempe utraque sodalitas, SSmi Crucifixi et S. Crucis, in unum iterum conveniret, utriusque sodalitatis moderatores munere suo se abdicarent, novique praesidentes speciali aliqua ratione praeter statuta eligerentur.

Concordia tamen, nescio qua de causa, ad exitum perduci non valuit, unde decretum est, causam hac die proponi, licet Vicarius capitularis novis litteris exoravisse ut causae pertractatio differretur usque dum novus Episcopus crearetur, qui forte aut rem novo consilio componere, aut saltem per peculiarem patronum curiae episcopalis causam coram S. C. C. tueri posset, eo vel magis quod sibi, aiebat Vicarius, media id facendi deerant. Sacra Cong. Concilii sub die 14 Decembris 1889 respondit: *Dilata et audiatur novus Episcopus*. Verum novus Episcopus, datis litteris, exoravit S. Congregationem Concilii, ut quaestio haec dirimeretur antequam possessionem Sedis episcopalis caperet, ad vitandas plurium fratrum oppositorum hostilitates; idque eo plus quod nihil haberet addendum iam relatis.

Disceptatio Synoptica.

Defensio sodalitii. Patronus qui sodalitium sibi adlegit in primis studet evincere, metropolitanam Curiam in edenda sententia, qua sodalitas in integrum restituebatur, suo iure usam fuisse, et potestate legitima haud caruisse. Siquidem iuxta *tit. De sup. neg. prael.* negligentia inferioris iudicis, ex qua ius tertii laeditur, corrigi ac suppleri a superiore iudice debet. Citasse ad rem sufficiat Barbosam *De off. et pot. Ep. 13 alleg. 26 n. 10:* « Ad eum, Archiepiscopum, ex capite praedictae negligentiae appellari poterit, proindeque ad eum causa devolvetur, sicque parti per negligentiam Episcopi laesae, iustitia per Archiepiscopum diligenter ministrabitur. » Concinit et Engel *lib. 1 tit. 10 n. 4.*

Porro confratres nedum die 23 Novembris 1884 Episcopum requisiverunt, ut ad iustitiae tramitem res cum parocho s. Crucis componeret, sed etiam die 1 Iunii 1887, post nempe sententiam tribunalis imperii, Episcopum rogarunt, ut sodalitati primaeva iura restitueret. Cum vero hae sodalium preces in irritum cessissent, sponte sua sequitur, appellationem ad Metropolitam iure meritoque interpositam fuisse, ob denegatam ab Episcopo iustitiam. Hoc posito, in altero orationis capite patronus argumenta profert, quibus sententiam sustineat, utpote iuri, aequitati, ac civili iuri in Austriaca ditione vigenti conformem, et in spirituale fidelium bonum et ecclesiae paroecialis commodum redundans.

Ad ostendendum autem, sententiam esse iuri consonam, praemittit sodalitium fuisse canonice erectum in ecclesia parochiali vulgo *Borgo grande* civitatis spalatensis, idque constare tum quia pia sodalitas erecta fuerit anno 1439 eiusque statuta reformata anno 1715 iam tum approbata fuerint ab Episcopo spalatensi.

Quo posito, ad iuris tramitem procedendum fuisset, praemittendo nempe trinas monitiones, ac deinde, si opus fuisset, canonicam inquisitionem instituendo, ut de admissis criminibus constaret, pro sodalitii suppressione a legitima auctoritate peragenda. Verum Metropolita ait: in suppressione sodalitii s. Crucis defuit forma processus a sacris canonibus praestituta; nullus processus institutus fuit, nulla legitima causa allata, nullumque crimen impactum. Age vero quae contra ius fiunt pro infectis haberi debent iuxta *reg. 64 de reg. iuris*.

Quod eo vel magis tenendum sustinet, cum Innocentius XI plures spirituales gratias sodalitio concesserit, ideoque in obsequium supremae potestatis non quaelibet causa, sed gravissima, et concludenter probata requirebatur, ut inferior potestas pro suo arbitrio deleret, quod Princeps indulserat. Cum autem in casu sufficiens causa minime adfuisset, sponte sequi illegitimam fuisse suppressionem, et hoc ipso iustam restitutionem quam Metropolitana sententia sanxit.

Causas vero relatas in civili suppressionis decreto diei 22 Augusti 1885, *seu 1884*, legitimas non fuisse, imo futiles prorsus, uno oculi ictu ac sola lectione evinci.

In decreto autem Locumtenentis Iadrensis uti suppressionis causae habentur nonnulla facta, quae cum minoris momenti videantur, rationabilem causam suppressioni praebere haud poterant.

Accedit quod sodalitas a primaevo suo instituto numquam deflexerit, nullamque innovationem in suo statuto induxerit. Dum vicissim parochus iniuriâ prorsus obstacula interposuit, quominus sodales pia religionis exercitia peragerent, sacris functionibus interessent, et propria bona administrarent.

Verumtamen dato parumper et non concesso quod facinora superius recensita, et ex quibus sodalitas fuit suppressa, gravia in se sint, nihilominus alienum omnino esse ab ecclesiastica aequitate, universam societatem supprimere eo quod nonnulli socii male se gesserunt, et dissidia excitarunt. Hos itaque, quatenus reapse indigna patrassent, canonicis poenis prosequi Ordinarius debuisset, non autem sodalitium, cuius maior pars, iuxta Metropolitam, statuta religiosissime observabat: iniquum enim est alterius culpa damnum insonti inferri, quia « non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri » *l. 74 ff. De reg. iuris.*

Nec praetereundum est spirituale bonum quod sodalitium sibi proponit; quapropter sodalitatis suppressio utpote huius boni impeditiva reprobanda videtur, ac vicissim restitutio, quam Metropolitanus forus sanxit, commendanda.

Eo vel magis quod sodalitatis existentia vergat in utilitatem quoque paroecialis ecclesiae, cum sodalitium, praeter alia, sibi etiam praestiterit debitum maiori consulendi decori Ecclesiae, interessendi sacris functionibus et processionibus. Quin dubitare liceat, Sodalitium a proposito defecturum, eo quod etiam in recenti statuto eadem sibi onera imposuerit.

Demum orator sententiae confirmationem sustinet cum illa sit omnino conformis sententiae tribunalis imperii, et legi civili ibi vigenti.

In postremo capite difficultates disiiciens, patronus ait, veritati et iuri consonum non esse quod antiqua sodalitas S. Crucis de facto amplius non existat; utpote quae suppressa fuerit per decretum Locumtenentis diei 8 Augusti 1884. Etenim de facto nunc extat cum omnibus suis iuribus vi sententiae tribunalis supremi imperii diei 19 Ianuarii 1887, quae sodalitatem in primaevis suis iuribus restituit.

Ac insuper dicit semper extitisse, cum contra suppressionis decretum appellaverit, et notum sit appellationem ligare manus iudicis a quo, et executionem latae sententiae suspendere; nam *L. unic. ff. Nihil innovari,* expresse habet: « Appellatione interposita medio tempore nihil innovari oportet. » Consonat *cap. Dilectis* §§ *55 De appell.*

Observat demum quod licet sodalitas violentiâ a paroeciali ecclesia fuerit eiecta, nihilominus ut reverentiam Episcopo exhiberet, ab exercendis piis operibus a statuto designatis, abstinuit.

Quin demum dicatur, recentia statuta Ordinarii approbatione indigere; siquidem recentia statuta non alia ab antiquis sunt, sed eadem ex consilio ipsius Antistitis civili auctoritati exhibita, ut iuxta imperii leges iuridicum civilem valorem consequerentur.

Quae contra sodalitium facere videntur. Ex altera parte vero animadversum fuit quod licet perturbationes et scandala, quorum sodalitas arguitur, gravia adeo in se non putentur, ut suppressioni sodalitii legitimam causam praebere valuerint, eo vel magis quod maior damnatorum facinorum numerus evenerit, subsequenter ad civilem confraternitatis suppressionem et hac una de causa, quia nempe sodalitas a quibusdam actibus prohibebatur, ad quos ius habere ut antea haud temerarie putabat; nihilo tamen secius colligi etiam debet, dissidia et perturbationes non tamen in se, quam in adiunctis esse iudicanda et ex realibus loci circumstantiis metienda. In facto vero esse videtur, sodalitatem instrumentum unius ex politicis factionibus spalatensibus factam fuisse nec potuisse corrigi, quia maior pars contra minorem,

parochum ecclesiae rectorem ipsumque municipale consilium, nova dissidiorum consilia in dies moliebatur. Unde cum sodalitas a primaevo suo scopo mutuae charitatis fovendae defecisse, ad finem suum haud amplius posse restitui, sed contrariis prorsus studere videretur, hinc non immerito de medio esse tollendam iudicatum est.

Et quamvis causae contra confratres vel confraternitates vel eiusdem bona ad iudicem ecclesiasticum spectent iuxta decreta S. C. Immunitatis ecclesiasticae, quae refert Pignatelli *tom. 2 cons. 47 num. 7,* et ideo, re in se considerata, non possit non reprobari interventus potestatis civilis in hac re, eo vel magis quod magistratus civiles contradictionibus suis oppositisque decretis maioris confusionis causa fuerunt; nihilominus perpendi etiam debet, quod periculosa res erat Episcopo, ni forte impossibilis, sua auctoritate suoque unico nutu societatem, quae adeo turbolenta videbatur, dissolvere: ideo brachii saecularis ministerio utendum censuit, quod non videtur prohibitum.

De cetero neque ad haec argumenta recurrendum est ut suppressio sodalitatis sustineatur. Quandoquidem ipsi sodales e censu ecclesiasticarum congregationum excessisse, et suis actibus suoque arbitrio in album laicalium societatum se reduxisse videntur. Siquidem 1. sodalium maioritas, reiectis moderatoribus legitima forma statutis, quosdam sibi pro anno 1874 constituit contra statutorum formam electos, quos Episcopus nedum non admisit, sed reprobavit, ut ex eius litteris apparet, quosque tamen maioritas sodalium Episcopi voluntatem non curando sequuta est. Notum est autem ad Episcopum pertinere ius confirmandi, et ideo etiam reprobandi, datâ legitimâ causa, officiales ac ministros a sodalitate nominatos: quod ius fluit ex *cap. 8 et 9 sess. 22 de reform.* C. Tridentini, et confirmatum saepenumero a S. C. C. invenitur, ceu constat ex *Aliphana* 8 Maii 1706, *Balneoregien.* 14 Ianuarii 1769 aliisque. Porro in themate legitima causa, abs dubio, aderat, imo strictum Ordinarii officium erat, ut reprobarentur officiales, qui quasi ex rebellione

contra sodalitatis moderatores tunc vigentes, cum iniuria eorum qui praecedenter legali forma fuerant constituti, et contra clara statutorum praescripta die 3 Novembris 1883 eligebatur.

Nihilominus sic electi, a maioritate sodalium suffulti, nedum in officio perstiterunt, sed insuper die 24 Iulii 1884 nova statuta civili magistratui exhibuerunt, ut probarentur. Haec statuta tum quoad formam, tum quoad substantiam saltem in pluribus e. g. in electionibus officialium forma diversa sunt ab iis quae ab ecclesiastica auctoritate recognita, usque tum fuerant in usum recepta. Attamen nova statuta a Locumtenente Iadrensi die 8 Augusti eiusdem anni 1884 approbata et correcta, exinde regulam sodalitatis esse coeperunt.

Porro cum in aliqua congregatione pars sodalium suos pro lubitu et contra antiqua statuta moderatores creaverit, vetera sodalitii statuta reiecerit, novaque sibi efformaverit et assumpserit, in novum corpus ab antiquo diversum propriisque iuribus instructum coaluisse videtur, licet vetus nomen sibi adscribat. Quo sub respectu non immerito forte defunctus Episcopus Spalaten. censuit hodiernam sodalitatem a S. Cruce diversam esse ab antiqua, et omnino laicam, utpote quae recognita dumtaxat a civili potestate fuit. Ex const. enim *Quaecumque* Clementis VIII, sodalitates ut ecclesiasticae habeantur, saccum induere et ad sacras functiones participare possint, sunt erigendae de consensu Ordinarii, a quo etiam debent eorum statuta examinari et approbari.

Et quin dicatur, Episcopus debuisse saltem ad maiora mala vitanda et quia nova statuta parum ab antiquis diversa erant, sodalitium a S. Cruce cum suis novis statutis recognoscere et approbare. Ad id enim plura obstabant. Siquidem 1. Sodalitas iis constabat qui civilium factionum causa parocho, aedituis ecclesiae S. Crucis, nec non aliis pluribus e paroeciae primaribus adversabantur: unde periculum erat ne hoc corpus in ecclesiam inducendo maiorum dissidiorum fomes crearetur. Insuper 2. paulo post, nempe die 5 Ianua-

rii 1885, nova Confraternitas cum Episcopi assensu in ecclesia S. Crucis erigebatur. Porro ex cit. const. *Quaecumque* Clementis VIII praescribitur, quod unica tantum confraternitas eiusdem instituti et generis possit in ecclesiis, tam saecularium quam regularium institui et aggregari.

His perpensis, aliisque etiam consideratis quae in defuncti Episcopi spalatensis epistola, seorsim distribuenda, continentur, EE. PP. definire rogati sunt

Dubium

An sententia metropolitanae Curiae Iadrensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re disceptata, sub die 25 Ianuarii 1890 censuit respondere: *Sententiam esse infirmandam et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Non immerito ab Episcopo e medio tolli aut supprimi Sodalitium, cuius finis, qui, ut plurimum, est mutua charitas et pietas in Deum, defecisse videtur.

II. Sodalitia quae vitâ legitimâ frui volunt inhaerere stricte debent propriis statutis, ceu normae directivae et Episcopo subiici; cui spectat approbatio statutorum, confirmatio aut reprobatio officialium a sodalibus electorum.

III. Omnia haec in themate defecisse, liquidum esse, nam sodalitium factum fuerat fomes dissidiorum, potius quam centrum mutuae charitatis, rebellio contra auctoritatem Episcopi, potius quam exemplar subiectionis eidem auctoritati; a qua sodalitia legitimam existentiam repetunt.

SALERNITANA

ELECTIONIS DEPUTATI PRO SEMINARIO

Die 25 Ianuarii 1890.

Sess. 23 cap. 18 De reform.

Compendium facti. Vacante per obitum parochi Iosephi Grimaldi officio deputati pro administratione temporali seminarii salernitani, et convocatis omnibus de clero in civitate morantibus, undequadraginta sacerdotes ad electionem novi deputati die 27 Augusti 1887 convenerunt. Negotium tamen haud tranquille processit; siquidem, cum praesentes essent nonnulli ex canonicis, sacerdos quidam, Filippone nomine, contra hoc factum protestationem emisit. Eo tamen non attento, praeside Pro-vicario generali, peractum est scrutinium; ex quo constitit septemdecim suffragia retulisse sacerdotem Franciscum Filippone, sexdecim parochum Franciscum Salerno, sex reliqua inter diversos dispersa esse.

Comitiorum praeses sui muneris tunc esse duxit declarare, electionem sacerdotis Filippone, suffragiis relative maioribus factam, nullam in se esse: imo eo usque progressus in dicendo est, ut ipsam Comitiorum legitimitatem in dubium revocaret, eo quod ruralis clerus dioecesis convocatus non fuerat, nec aderat. At surgens sacerdos Filippone huic propositioni sese vehementer opposuit, imo et quaedam contumeliosa verba in episcopalem curiam direxit, ceu Ordinarius refert. Haec audiens, unus ex electoribus, canonicus Ricciardi, protestatus est, Filipponem se aperte prodiisse indignum ut inter seminarii deputatos annumerari posset, ideoque retinendum esse ut electum Franciscum Salerno, utpote qui, si non maioris, sanioris saltem electorum partis suffragia obtinuerit. Hisce in adiunctis, electio fuit suspensa et Archiepiscopus, de totius controversiae statu edoctus. Qui, rebus perpensis, statim sacerdoti Filippone, in poenam contumeliarum quae protulerat, tres dies suspensionis a divinis irrogavit.

Disceptatio Synoptica.

Quae militant favore sac. Filippone. Ex hucusque relatis patet duo esse dubia quae disceptari hac in re possunt, an scilicet et cuius favore constet de electione in casu; et quatenus negative, an sacerdos Filippone adhuc sit eligibilis. His enim universa lis continetur. Age vero pro validitate electionis sacerdotis Filippone in primis militat quod ipse fuerit a maiori parte electus. Quin obsit maioritatem fuisse dumtaxat relativam. Etenim licet ex *cap. Quia propter de elect.* ad validitatem et effectum electionis requiratur ut suffragia absolute maiora in unum concurrant; nihilominus ea, quae in dicto capite sub poena nullitatis sunt praescripta, in electionibus Praesulum, quorum obitu ecclesia viduata dicitur, videntur servanda; in ceteris vero minoribus electionibus sufficere ut ius naturae observetur. De Luca *De canon. disc. 28;* Pitonius *Discept. eccl. 140, 56, 61.* Reiffenstuel, *L. 1, 16, n. 100.*

Iamvero nullatenus constat, quod ius naturae violetur in casu quo ille electus habeatur, cui pars eligentium relative maior suffragetur. Et revera non desunt auctores qui docent in eiusmodi electionibus passim non requiri nisi pluralitatem relativam votorum. *Cfr. Zipaeus, analytica iur. Pont. l. 3 in tit. De his quae fiunt a maior.*

Imo in patronatus materia scimus electionem per vota relative maiora admitti. Ait namque Fagnanus in explanatione *cap. Quoniam 3 De iurepatr.* « Praesentationem factam a maiori parte patronorum respectu minoris, validam esse, licet non sit facta a maiore parte omnium. »

Quin obiiciatur maiorem partem non fuisse simul et saniorem. Etenim licet olim, iuxta ea quae habet Fagnanus ad *cap. Quia propter,* in electionum scrutinio collatio fieret, nedum *numeri ad numerum,* ut cognosceretur is in quem maior capituli pars consenserit, sed etiam *meriti ad meritum et zeli ad zelum,* ut constaret utrum pars maior, sa-

niori quoque consilio usa, digniorem elegisset; nihilominus hodie haec praxis obsoleta est, et unica fit collatio, numeri nempe ad numerum. Gonzalez in *cap. Ecclesia vestra 58 De elect.*, cum Barbosa et Garcia ab eo citatis; Giraldi *tit. 6 De elect. sect. 46 cap. Quia propter;* Maschat *Inst. can. lib. 1 De elect. n. 13.* Et rationem praebet cum aliis DD. Leurenius *For. eccl. l. 3, tit. 9, q. 130* his verbis, quia nempe « maior pars numero... censetur etiam sanior, nisi manifeste appareat, aut legitime probetur maiorem partem numero corruptam fuisse, aut alio sinistro affectu in transversum agi. »

Quamobrem hodie ad legitimam electionem sufficit pars maior suffragiorum. Et merito quidem, tum quia cum in praesentiarum electio fere semper fiat per vota secreta, quae sit pars sanior facile cognosci non potest; tum quia exclusio et reprobatio partis maioris in favorem minoris per scrutatores in ipso electionis actu nedum odiosa est, sed etiam difficilis ac magnarum contentionum causa.

Quod confirmatur ex iis ipsis quae in nostro casu evenerunt. Etenim sacerdos Filippone, qui ab initio ut indignus undique renunciabatur, ex nuperrimo documento ab ipso Ordinario relato alius apparet, et undequaque forte purgatur. Imo quae ipsi imputabantur vaga undequaque erant, imo ex parte levia, et ex parte praepostera. Levia siquidem videntur quae de eius indole dicebantur, et de seminarii periculo si inter quatuor deputatos unus accenseretur qui turbidi ingenii et paullo ardentioris animi erat: praeposterum vero est ut culpae electoribus vertatur et electio nulla vocetur ob crimen quod subsequenter ad electionem contigit. Imo si paullo acrius in Curiam invehere visus est sacerdos Filippone, et quaedam probrosa evomere, male quidem egit; at eius animo non sine causa offenso, eo quod electionem quam putabat de se factam impugnari videbat, parcendum paululum erat. Aliunde, si peccavit, poenam quoque humiliter luit; et si dioecesanam auctoritatem in aestu animi offendit, nuper datis obsequentibus litteris veniam petiit et se

purgavit adeo ut ipse Archiepiscopus, mutata sententia, eum quem antea reprobaverat, mox commendaverit. Quapropter tot ea quae de indignitate sacerdotis Filippone, et de saniori iudicio minoris partis electorum contra maiorem congeruntur, pondere suo ruere videntur.

Ea quae militant favore parochi salerno. Vicissim in favorem parochi Salerno unum hoc argumentum militat, quod nempe ipse electus dicatur a saniore electorum parte et ab Archiepiscopo in prioribus suis litteris commendetur et postuletur. Quin obsit suffragatio plurium electorum in favorem sacerdotis Filippone; nam si deputatus iam electus, licet munus habeat perpetuum, nihilominus iuste removeri potest ab officio, quoties imprudentis sit naturae, ceu monet S. C. C. in *Tudertina Elect. deput. Sem. 15 Septemb. 1792* cum Zamboni *f. 4 conclus. v. Semin.* § *1*, a fortiori posse videtur a suscipiendo hoc munere impediri eum qui turbidi huiusmodi ingenii iamdiu se prodiit. Et ideo hac de causa electio sacerdotis Filippone nulla et invalida dicenda foret, et ius in minori parte solidatum. Quae tamen omnia quanti facienda sint, prudens EE. PP. iudicium definiet.

At vero e contra dicendum verius videtur cuiuslibet electionem invalidam, ipsaque forte electionis comitia nulla in casu fuisse.

Etenim electio per suffragia relative maiora nonnisi in quibusdam exceptionalibus casibus admittitur, ut est in patronatu, quando praesertim electores, quin simul conveniant, degentes in loco ubi habitant, ad Curiam candidati nomen per schedas mittunt, aut forte etiam in ceteris electionibus si manifeste appareat, scienter a maiori parte electum fuisse indignum, iuxta ea quae habet *cap. Scriptum 40 De elect.* cum Layman *Quaestio cum De praeb. eccles. q. 65*. De cetero essentiale electioni esse videtur ut ex congregatis pars absolute maior in unum consentiat. Eo vel magis quia si relativa dumtaxat maioritas valeret, ex votorum dispersione contingere non raro posset ut duobus vel tribus suffragiis aliquis nuncupatus subsisteret, quod est absurdum abusuum

inductivum, et insuper a canonica iurisprudentia alienum. Nullibi enim haec cauta vel admissa in canonico iure leguntur. Itaque nullus electus videtur in controverso scrutinio diei 27 Augusti 1887, eo quod nullus maioritatem absolutam votorum consequutus est.

Quae conclusio firmatur si forma et natura comitiorum examinetur. Plura namque dici possent quoad defectum convocationis cleri ruralis, seu, ut dicunt, forensis, et quoad praesentiam canonicorum. Nam iuxta ea quae habet Corradus *Prax. benef. lib. 4 tit. 4 c. 8 n. 28*, Monacellus *p. 1 t. 12 form. 2 n. 2*, Zamboni *l. cit.* § *2* cum *Tudertina cit.* diei 15 Septembris 1792, deputati seminarii eligi deberent in dioecesana Synodo in qua totus congregatur clerus, vel, si mos sit eligendi extra synodum, universo dioecesis clero legitime convocato. Nihilominus sive quia eatenus aliquorum electorum contemptus electionem vitiat quatenus hi de ea excipiant ex *cap. cum sicut 28 de elect.* cum Glossa *v. Consentire*, Fagnan. *in cap. Quia propter De elect. n. 38. seq.* Piton. *De controv. patr. alleg. 70 n. 8;* sive quia sensim ex difficultate universum clerum convocandi et synodi dioecesanae celebrandae, alia inoleverit disciplina, usus hodie vigere videtur ut seminarii deputati a solo clero civitatis eligantur. Imo Barbosa *collect. ad cap. 18 sess. 23 Conc. Trid. n. 7* aperte hoc ponit principium: « Seminarii deputati electio sufficit fieri a clero civitatis. » Ideoque in themate defectus cleri forensis comitiorum legitimitati proprie ac per se forte non obest.

Gravius vero videtur quod canonici interfuerint. Sane Tridentinum *cit. cap. 18 sess. 23* cavet ut curae et administrationi seminariorum Episcopi vacent « cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat. » Age vero ex oppositione capituli ad clerum civitatis videtur distinctio facta et separatio iurium, adeo ut hinc seorsim capitulum ex suis aliquem nuncupet,

illinc seorsim reliquus clerus ex suo gremio, exclusis canonicis, suum deputatum eligat. Si enim in conventu cleri etiam canonici cathedralis convenirent, ipsi duplici iure fruerentur, imo quandoque, si nempe canonici plures numero essent, ceteri vero de civitate pauci, contingere posset ut utriusque deputati electio in potestate capituli maneret: quod Tridentini dispositioni consentaneum non appareret. Demum S. C. C. in *Aquen. dep. sem. p. s. p.* diei 25 Ianuarii 1873 taxative definit: « per assecutionem canonicatus in cathedrali officium deputati e clero civitatis cessare. » Atqui si canonicus hac in re de clero civitatis non censetur esse ad effectum officii, a pari de clero civitatis non debet censeri ad effectum electionis. Non enim est distinctio in allegato capite. Et si sub nomine cleri non veniant, imo excludendi sint canonici, quando sermo est de officio deputati *cleri nomine* exercendo; eodem iure sub nomine cleri non venire, imo excludendi videntur canonici, quando de electione *a clero* facienda disseritur. Qua de causa nedum ex defectu maioritatis absolutae suffragantium, sed etiam ex comitiorum vitio, electio iuxta modo dicta, nullius videtur valoris.

Ceterum quae in hoc puncto rite constabilienda sint, pariterque in casu renovandae electionis, utrum dignus necne passiva voce sacerdos Filippone habendus sit, discretio et sapientia EE. PP. definiet. Post ea enim quae tum in specie causae, tum in priori disputationis parte de hoc dicta sunt, aliquid de merito aut indignitate sacerdotis Filippone iterum addere supervacaneum videtur.

Quibus praemissis, proposita fuerunt enucleanda sequentia

Dubia

I. *An et cuius favore constet de electione in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An in nova electione sacerdos Filippone voce passiva privandus sit in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 25 Ianuarii 1890 censuit respondere: *Negative ad utrumque.*

Ex quibus colliges. In electione deputati pro seminario facienda a Clero civitatis adesse non posse canonicos, quia iidem ex consecutione canonicatus in cathedrali cessant esse pars de clero civitatis quoad hoc ius.

II. Tridentinum enim privilegium eligendi deputatum unum dedit canonicis seorsim a clero civitatis, qui alterum e suo gremio eligere valet.

III. Idcoque ceu invalidaretur electio peragenda a canonicis quatenus clerus civitatis interesset eidem electioni, sic censendum contra ius esse quod canonici suffragia ferant in electione deputati Seminarii a clero explenda. (1)

S. IACOBI DE CUBA

QUOAD AETATEM POENITENTIARII

Die 25 Ianuarii 1890.

Sess. 24 cap. 8 De reform.

Compendium facti. Sacra tridentina Synodus *cap. 8 sess. 24* statuit ut « in omnibus cathedralibus ecclesiis... Poenitentiarius aliquis... ab Episcopo instituatur, qui magister sit, vel doctor aut licentiatus in theologia, vel iure canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur. » Tam saluberrimam institutionem successores ss. Pontifices confirmarunt, ac praesertim Benedictus XIII, qui in constitutione *Pastoralis officii*, nedum Episcopos excitavit ut praebendas poenitentiarii et theologi, ubi non erant, instituerent; sed insuper mandavit, ut in Italia et adiacentibus insulis electio tum poenitentiarii tum theologi fieret « in formali concursu... eo plane modo quo parochiales ecclesiae conferuntur ».

(1) Recole Vol. I, pag. 657 et 691; quo refertur Appendix de vario genere deputatorum, et de eorumdem consilio et officio quoad Seminaria et Episcopos. Vol. XII, 492 et 497; ubi agitur de personis quae eligere et eligi possint, et de aliqua consuetudine quae inolere coepit quoad electores Deputati, de clero civitatis.

In relatione status ecclesiae S. Iacobi de Cuba ad S. C. C. transmissa, ad *cap. 9 De postulat.* haec Archiepiscopus enarrat et definiri postulat:

« In his Cathedralibus provinciae ecclesiasticae S. Iacobi de Cuba fit concursus ad provisionem Poenitentiariae. Episcopus cum Capitulo examinat concurrentes sub forma praescripta, et ex approbatis proponit tres Regio Patrono. Iste vero praesentat Ordinario quem voluerit ex *propositis, vel ex aliis.* Ordinarius *instituit praesentatum,* si idoneum repererit, eidem confert canonicatum, et dat Capitulo mandatum de *immittendo in possessionem.* – Quaerit igitur infrascriptus Archiepiscopus: 1. Anni quadraginta debent esse incoepti, vel adimpleti? 2. Casu quo debeant esse *adimpleti,* intelligenda sunt verba Tridentini de tempore quo fit examen concurrentium; vel de tempore, quo fit propositio ternaria ab Archiepiscopo et Capitulo; vel de tempore, quo Ordinarius instituit praesentatum a regio Patrono? Potest proponi ad regium Patronum concurrens approbatus, qui nondum expleverit quadraginta annos, dummodo, eos *adimpleat ante institutionem?* 4. Potest institui Canonicus poenitentiarius ab Ordinario, si intra annum adimpleturus est quadraginta annos? »

Disceptatio Synoptica.

Animadversum ex officio fuit nullibi quoad hanc rem, neque in thesauro, neque penes DD., datum fuisse invenire aliquam a S. C. C. latam authenticam declarationem, quae in terminis propositum controversiae punctum definiat.

Quoad DD. vero non una est eorum sententia. Nam Garcia *De benef. p. 1 cap. 4 n. 35;* Barbosa *De off. et pot. Episcopi pag. 2 all. 55 n. 9,* aliique tradunt « huiusmodi quadraginta annos debere esse completos » Azorius e contra *Inst. moral. p. 2 lib. 6 c. 5 q. 6 in fine* cum aliis minoris notae DD. existimat sufficere inchoatos. Ferraris *v. Canonicat. art. 9 n. 50* utramque opinionem refert, sed a

quolibet iudicio ferendo abstinet. Alii demum tridentinam legem sine ulla adiecta speciali explicatione proponunt.

Quapropter DD. auctoritate seposita, inquirendum superest utrum ex aliis argumentis aliquid certi quoad aetatem ad poenitentiariam obtinendam requisitam valeat concludi. Porro in primis ad rem invocari posset principium illud notissimum ex *reg. 57 iur. in VI* nempe: « Contra eum qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda. » Cum itaque in themate legislator aperte non definierit an quadraginta anni incoepti sufficiant, vel completi exigantur, iam « in obscuris quod minimum est, sequendum » iuxta aliam iuris *reg. 30 in VI et 9 ff. De reg. iur.*

At his generalibus principiis etiam missis, res proximius attingere videtur axioma illud, nempe quod « annus incoeptus habetur pro completo », quod principium si proposito casui applicetur lis dirempta undequaque foret, quod tamen utrum casui applicari possit non undequaque certum videtur.

In contrarium namque militat ipsa in primis littera legis, quae dum exigit 40 annos, eos completos magis quam inchoatos iubere videtur. Nam 40 annos nati dicimur, cum hi exacti iam sint. Suffragatur et ratio legis. Nam pro gravi et multae prudentiae et consilii munere, quale est poenitentiarii officium, matura prorsus aetas merito exigitur, quam exactis quadraginta annis magis quam dumtaxat incoeptis assequimur.

At vicissim, si analogiae argumento uti liceret, concludi oporteret ad poenitentiariam assequendam quadragesimum annum sufficere incoeptum. Cuius analogiae duo potissimum exempla habentur, alterum quoad aetatem ad sacram ordinationem requisitam, alterum pro Episcoporum electione. Relate ad primum cum concilium Tridentinum *sess. 23 cap. 12* praescripsisset ut « nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante 22., ad diaconatus ante 23., ad presbyteratus ante 25. aetatis suae annum promovetur » retentum communiter est, et adhuc incontroverse retinetur annum incoeptum haberi pro completo. Ita sane ad rem Reif-

fenstuel ad *lib. 1 Decret. t. II De semp. ord. n. 63:* « Sufficit autem annus huiusmodi saltem inchoatus, etsi tantum per medium diem aut unicam horam sit inchoatus... Idque patet ex praxi Ecclesiae quae sic c tatum decretum Tridentinum semper intellexit. » Item ad rem docent Barbosa in *Collect. ad C. Trid. ad cit. cap. num. 2,* Ferraris *v. Ordo art. 2 n. 78,* ac passim omnes.

Pariter quoad aetatem pro Episcopatu requisita idem Tridentinum *cap. 1 sess. 7* statuit ut ad « cathedralium ecclesiarum regimen nullus nisi... aetate matura, gravitate morum etc. iuxta const. Alexandri III quae incipit *Cum in cunctis...* assumatur. » Citata autem constitutio praescribit, « ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum aetatis exegerit. »

Cum autem textus hac in re dicat *exegerit,* videretur pro Episcoporum ordinatione requiri triginta annos iam completos, idest iam exactos. Et revera Ferraris *l. c. n. 79* haec tradit: « Pro Episcopatu requiruntur 30 anni com- » pleti... *Communis* cum Barbosa *sess. 7 cap. 1 n. 5.* » At vero Barbosa *cit. l.* non huius amussim videtur, sed potius contrariae. Ait namque *in collect. ad cit. loc.* Iuxta textum capitis « *Cum in cunctis,* nullus ad Episcopatus culmen promoveri potest, nisi qui iam trigesimum aetatis suae annum exegerit, idest *ingressus fuerit;* sed per dictam constitutionem Gregorii XIV, quae incipit *Onus apostolicum,* expletum desiderari tenent Gutier » aliique plures quos ille recenset. Quapropter etiam in duriori casu quando nempe legislator hac loquutione usus est « *nullus eligatur.... nisi qui iam trigesimum annum aetatis exegerit* » non censetur undequaque certum requiri annum completum, sed vel incoeptum sufficere traditur.

Unde tandem sic posset ratiocinari: si in casu s. Ordinationis et in ipsa Episcopi electione, quando sermo est de aetate, annus incoeptus habetur pro completo; iam non videtur ratio, curnam idem principium applicari non debeat etiam in casu poenitentiarii.

Non enim haec diversitas potest provenire ex nobilitate et difficultate officii; nam non minus sacrum ac formidandum est Episcopi et sacerdotis ministerium. Aliunde vero in quadragenaria aetate paucorum mensium differentia parum scientiae aut prudentiae aut virtutis potest tribuere.

Nec ex sensu et diversitate substantiali verborum in ipso legis textu potest differentia desumi; imo e contra. Sane ad poenitentiariam iubetur eligi qui *annorum quadraginta* sit? in sacra vero ordinatione nullum promoveri *ante*, vel 22., vel 23., vel 25. *aetatis suae annum:* demum quoad Episcopatum neminem in Episcopum constitui, *nisi qui iam trigesimum annum aetatis exegerit.* Qui loquutionis modi aut substantialiter aequivalere videntur, nec sufficientem rationem praebere, ut hic dumtaxat incoeptus, illic completus annus intelligatur; aut forte mitiores esse in casu poenitentiarii, quam in duobus aliis.

Sane si intrinseca verborum vis hic et illic spectetur, in utroque casu tum sacrae ordinationis tum electionis Episcoporum, praeceptum negativa idest prohibitiva forma est redactum nempe ita: nemo promoveatur *ante annum* etc.: vel *nullus eligatur, nisi exegerit annum* etc. E contra in casu poenitentiarii loquutio est positiva, idest ita concepta; *eligatur qui annorum quadraginta sit.* Atqui praeceptum sub forma positiva redactum minus rigidum ac praecisum videtur quam aliud sub forma negativa et prohibitiva exaratum. Si itaque, hoc non obstante, potuit legitime concludi in sacra ordinatione, et forte etiam, saltem iuxta nonnullos, in Episcoporum electione inchoatum annum sufficere, nec obstare legis praescriptionem, a fortiori sufficere inchoatum, nec obesse lex videtur in casu poenitentiarii, ubi legislator vel mitiori loquutione est usus.

Quae conclusio firmari videtur si contextus cap. 8 sess. 24 inspiciatur. Nam tridentini Patres postquam dixerint ut « *poenitentiarius eligatur, qui magister sit vel doctor... et annorum quadraginta;* signanter addiderunt: « *seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur.* » Quapropter ex-

presse manifestarunt, se absolute non insistere in doctoratus, et quadragenariae aetatis conditionibus exigendis. Atqui si quadragenaria aetas non est absolute requisita, sed etiam minor videtur a Tridentino admissa, vel a fortiori deficit ratio exigendi ut anni quadraginta sint completi. Illogicum enim foret contendere, tridentinos Patres intellexisse 40 annos, nedum incoeptos sed completos, dum ad hoc officium obeundum vel minorem admittunt aetatem. Quapropter etiam ex contextu legis mitiori sententiae faveri videtur.

Suppetit et S. C. C. auctoritas. Nam haec non semel declaravit ad poenitentiariam posse admitti qui infra quadragesimum aetatis annum sit, dummodo alias aptior pro loci qualitate sit. Sane praecl. Pallottini in sua *Collect. om. concl. et resol. S. C. C. tom. 4 v. canonicatus* § 7 *p. 315* haec refert ad rem: « In *Leodien.* mense Iulii 1857 proposito dubio - an subsistat provisio de Canonicatu officio poenitentiarii incorporato facta minori quadraginta annis, seu ei, qui non complevit annum aetatis triginta septem, est tamen, et ante annos novem fuit sacrae Theologiae licentiatus et electus et praesentatus tanquam alias idoneus Episcopo leodiensi per quondam bo. me. Episcopum vercellensem, nuntium apostolicum Leodii tunc praesentatum, et qualitatibus provisi informatum. S. C. censuit subsistere, et non obstare illi Concilium *sess. 24 cap. 8 de ref.* »

« Idcirco defectus aetatis quadraginta annorum non obstat electioni poenitentiarii, si alius aptior pro loci qualitate non reperiatur in *Hispalen. anno 1585 lib. 4 decretorum p. 95.* »

« Siquidem S. C. in *Sarnen. die 23 Septembris 1596* ad tertium respondit - Posse ab Episcopo eligi etiam non attingentem quadragesimum annum, ubi alius aptior pro loci qualitate non reperiatur. - »

« Nullum hinc dubium, quin possit eligi Poenitentiarius minor quadraginta annis, ubi alius aptior pro loci qualitate non reperiatur in *Volaterrana die 15 Ianuarii 1593.* Item in *Cremensis 12 Novembris 1644.* »

« Siquidem Poenitentiarius omnino instituendus est cum

unione praebendae vacaturae, et non sufficit Archidiaconum esse pro Poenitentiario deputatum, sed debet omnino institui: et licet nullus existeret, qui esset quadragenarius et doctor, tamen S. C. censuit, posse alium eligi, qui alias aptior sit in *Volaterrana diei 15 Ianuarii 1593.* »

« Imo eadem S. C. et SSmus electum sacerdotem in aetate viginti novem annorum constitutum approbavit, attenta praesertim necessitate Ecclesiae et penuria sacerdotum in *Grossetana 6 Septembris 1687*. Immo in habentem solum annos vigintiquinque electionem pariter probavit propter eadem motiva in *Pacen. die 6 Sept. 1687.* »

« Siquidem Conc. trid. *sess. 25 cap. 8 De ref.* disponit quod Poenitentiarius eligendus sit annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur. Anno vero 1622 Gregorium XV indulsisse asseritur Cathedralibus Hispaniarum, quod si inter concurrentes ad praebendam Poenitentiarii aliquis adesset, qui doctrina ceteros concurrentes arbitrio Ordinarii et Capituli longe antecelleret et aetatem quadraginta annorum non attingeret, ille non obstante defectu aetatis huiusmodi dummodo triginta annis maior sit, per Ordinarium et Capitulum praedictum eligi valeret. »

Imo idem praecl. auctor *cit. loc.* refert quod in *Pacen. 6 Septembris 1687* vacata praebenda Poenitentiarii Cathedralis, et cum pluries affixis edictis nemo comparuerit, praeter quemdam clericum annorum vigintiquinque, s. Theologiae doctorem et Collegialem s. Mariae de Iesu Universitatis Hispalensis, qui in concursu ad id habito ab Ordinario et Capitulo nedum idoneus et aptior pro loci qualitate repertus fuerit, sed et unicus; S. C. non obstante defectu quinque annorum ad formam praecitatae Const. Gregorii XV censuit, posse per Litteras apostolicas remitti arbitrio eiusdem Episcopi, ut, veris existentibus narratis, cum dicto concurrente approbato, super aetate ad Poenitentiariae praebendam requisita benigne dispenset.

His relatis, EE. PP. rogati sunt definire huiusmodi duo in quibus et cetera continentur ab Archiepiscopo proposita

Dubia.

I. *An ad poenitentiariam obtinendam anni quadraginta debeant esse incoepti vel adimpleti in casu.*

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. *An verba Tridentini debeant intelligi de tempore quo fit examen, vel de tempore, quo fit propositio ternaria ab Archiepiscopo et capitulo, vel de tempore quo Ordinarius praesentatum a Regio patrono instituit in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 25 Ianuarii 1890, censuit respondere: *Ad I Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad II. Prorisum in primo.*

Ex quibus colliges. I. Sufficere ut quadragesimus annus sit incoeptus ad consequendam Poenitentiarii praebendam; et non requiri quod concurrens ad dictam praebendam exegerit aut omnino expleverit quadraginta annos (1).

II. Praxim Ecclesiae romanae taliter interpretasse Tridentinum *Sess. 23 cap. 12* quoad aetatem promovendorum ad sacros ordines; ita ut satis sit ut anni requisiti pro quolibet ordine recipiendo sint tantum inchoati etiam per mediam diem aut unicam horam.

PARISIEN.

MATRIMONII

Die 25 Ianuarii 1890.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

Compendium facti. Die 11 Augusti 1882 in parochiali ecclesia S. Germani *l'Auxerrois* civitatis Parisiensis Marcellus Guillet uxorem ducebat Aemilianam Chedeville. Sed

(1) Recole Vol. IX, 339; ibi agitur de aetate admittendorum in Seminario, ut gratis alantur. Pro istis in *Utinen. diei 10 Iunii 1876,* declaratur sufficere ut sit incoeptus annus duodecimus a Tridentino iussus ut recipi valeant. Recole etiam Vol. XIV, 382.

matrimonium, licet faustis auspiciis initum, prosperum non fuit. Cito namque discordia inter sponsos subrepsit et hac illâve de causa domesticos lares turbavit: usquedum, acriori enata controversia die 31 Ianuarii 1884, sponsus sponsae domum, ubi habitabat, deseruit, et ad suos se recepit, quin induci amplius posset ad redintegrandum coniugale consortium, licet ad id non semel invitatus fuisse dicatur. Imo ob eius propositum non amplius se immiscendi iis quae ad uxorem eiusque bona spectabant, quod propositum adeo processit ut subscriptionem quamdam ob dotis gestionem necessariam quandoque recusaret, Aemiliana Chedeville eiusque mater civile divortium petere debuerunt, quod et obtinuerunt.

Rebus sic coram civili potestate compositis, mulier SSmum adiit, gratiam postulatura dispensationis a matrimonio quod ratum mansisse declarabat. Commissa de mandato SSmi processus confectione ad parisiensem Curiam, haec accersivit primum actricem quae inter alia sub iuramento deposuit, virum suum ab initio tentavisse quidem, sed maritalem unionem numquam perficere valuisse; quod utrum impotentiae defectui tribuendum sit, an non, ipsa non audet asserere. Addit se exinde duriter agi a viro coeptam, contumelias et improperia expertam esse, et idcirco his omnibus attentis ad instaurandum cum eo coniugium numquam esse deventuram.

Vir pariter professus est se per aliquot dies matrimonium perficere tentavisse, sed numquam valuisse: cuius rei causam dicit, in hoc esse quod uxor non opposuerit quidem resistentiam, sed nihil fecisse ut rem facilitaret. Quoad vero restituendum consortium cum uxore se paratum quidem esse quatenus exposceret conscientia, minime vero ob amorem.

Uxor septimae manus testes indicavit, qui et in ius venerunt, et pro actrice optima quaeque retulerunt. Marcellus autem neminem se proponere posse ait, his verbis: ego nemini quidquam de quaestione matrimonii patefeci, quod mihi est aerumnis plenum. Rogati autem ex officio nonnulli ex Marcelli consanguineis, per epistolas a comparendo se excusarunt. Unde septima viri manus in processu deest.

Interim duo medici Ferrand et Bucquoy a iudice delegati ut corporalem inspectionem peragerent, mulierem in domo salutis, post regulare balneum, coram moniali examinarunt. Prior autem scriptam attestationem confecit, quam dein coram iudice iuramento firmavit, quaeque ita explicit: integritatem mulieris esse certam; ex quo deducere licere integrum esse hymenem, et actum matrimoniale non fuisse expletum.

Alter vero pariter professus est: statum partium genitalium, signaque certae integritatis quoad hymenem, sinunt arguere numquam matrimonium fuisse consummatum.

Disceptatio Synoptica

Defensio mulieris. Porro patronus, quem sibi elegit actrix evincere primum studet non consummationem matrimonii, eamque deducit tum ex confessione viri dicentis irritum fuisse quodlibet conatum; tum ex explicita affirmatione actricis et ex iurata et ingenua descriptione de inutilibus viri conatibus, quam actrix agit, cui de cetero eo maior fides est adiungenda, quo cautior apparet in affirmatione et iudicio factorum. Siquidem licet frustranea Marcelli conamina referat, ex quibus impotentia aliunde suadetur, tamen ab hoc asserendo ipsa abstinet. Porro iuratam coniugum assertionem magni esse faciendam, docet *cap. Laudabilem de frig. et malef.* et ex ea sola, si coniuges sint fide digni, indulgeri posse matrimonii dispensationem, tradit Spondenus *annal. eccles. a. 1599* S. C. C. in *Frisingen. a. 1817* et *Gandaven. a. 1820* cum Clericato *De sacr. matr. dec. 15 n. 36,* Pyrro Corrado *Prax. disp. l. 8 c. 7 n. 36* et Text. in *cap. Mulier De iureiur.*

In themate autem coniuges, ac potissimum actricem, plenam mereri fidem, valide adstruitur ex septimae manus testimonio. Sane parochus Legrand, proprius actricis, qui Vicarii generalis honore et officio honestatur, ait sese maximi existimare animi candorem mulieris Guillet quum asserit suum matrimonium haud consummatum. Similia, ni

dicam maiora, habent et ceteri testes, quorum verba brevitatis studio heic referre omittam. Atqui plurima auctoritate pollet concors huiusmodi septimae manus testimonium ceu Consci *De sep. tor. lib. 3 c. 2 n. 138* et Turrecremata in *can. Requisivisti 2 c. 33 q. 1 n. 4* fuse comprobant.

Quin obsit defectus testium ex parte viri; quandoquidem cum vir eos proponere renuerit, et citati ex officio comparere recusaverint, testium defectus imputandus non videtur mulieri. Aliunde S. C. C. non semel ad gratiam dispensationis consulendam processit, licet septima viri manus deesset, quoties nempe ex aliis argumentis inconsummatio matrimonii constaret, ut videre est in *Neapolitana* 31 Martii 1710, *Ianuen.* 27 Aprilis 1814, *Parisien.* 28 Martii 1857 aliisque sexcentis.

In themate autem, praeter huc usque adducta de inconsummatione matrimonii et integritate mulieris, adest testimonium obstetricis Angelicae Alliot, quae ante causae initium Aemilianae corpus exploravit, et tum Aemilianae, tum eius matri, tum demum coram iudice professa est perspicuum sibi esse eandem permansisse omnino virginem. Adest confessio viri, nedum coram ecclesiastico iudice, sed etiam coram laico tribunali in causa divortii emissa, de qua plura habent testes. Sed quod magis est adest demum iudicium peritorum, qui de curiae mandato Aemilianae corpus inspexerunt, quique, iuxta superius relata in specie causae, uno ore et absque ulla haesitatione proclamarunt mulierem esse omnino integram, hymenem intactum, et sive ex hoc sive ex aliis indiciis, quae ipsi fuse describunt, plene constare de virginitate actricis et de inconsummatione coniugii.

Porro ex hymenis praesentia virginitatis et inconsummationis existentiam esse inducendam docet Zacchia *Quaest. med. leg. lib. 4 t. 2 q. 1 n. 1 seq.* Teikmeyer *Inst. med. leg. c. 4 q. 3* aliique passim, imo et S. C. C. in *Instr.* ad eum edita a. 1840. Et quamvis existentia hymenis infallibile signum non sit, attamen « infallibiles probationes in rerum natura non habemus, ait Cosci *De sep. tor. l. 3*

c. 2, ne publica quidem instrumenta, dum falsa esse possunt, et uti falsa quandoque evincuntur. Sed quae in iure legitimae probationes renuntiantur in iudicio pro veritate haberi debent. » Cui consonat Fodere, redarguens eos qui « vacillando in una sterile incertezza » reiicere queunt « infino i mezzi più costanti che la natura ci offre per illuminarci » *Medic. leg. p. 2 c. 4 n. 987*. De cetero in themate periti non solummodo in hymenis praesentia, sed ex complexu indiciorum integritatem mulieris asseruerunt; quae quidem est norma regia ad certum efformandum hac in re iudicium, ut DD. mox citati observant.

Quae cum ita sint, et cum periti iuxta communem iurisconsultorum sententiam C. De Luca *De iudiciis dis. 27 n. 20*, C. Tuscus *Discep. forens. c. 572 n. 48*, potius uti iudices quam uti testes in re sua habeantur, putat patronus de inconsummatione matrimonii nullum superesse posse dubium.

Quin obiiciatur, inspectionem directe per medicos fuisse peractam. Respondet namque orator inspectionem per obstetrices modestiae causa fuisse praescriptam: iudices tamen medicos esse; qui cum hodie feminarum assertis obsequi et ex earum relatione sententiam ferre plerumque dedignentur; hinc factum est ut pluribus in locis consuetudo invaluerit explorationis directae per ipsos medicos; quam consuetudinem S. C. C. non improbavit, ceu constat ex *Olinden. matrimonii 1 Septembris 1883* § *Hoc sancta*. (1)

Ad causas deinde dispensationis enucleandas patronus accedens imprimis proponit probabilem viri impotentiam, quae undique adstruitur, atque primum ex facto condormitionis per duodeviginti ferme menses, et tentata saepius consummatione absque ullo effectu; ex quo viri ineptitudinem comprobari docet Pignatelli *cons. 148 n. 14 t. 1*, praesertim si constet mulierem ex medicorum et obstetricis iudicio esse bene formatam et aptam ad maritale commercium. Accedit publica fama de qua plura referunt Iosephus His aliique ab

(1) Habes hanc quaestionem Vol. XVI, pag. 215.

actrice inducti. Imo factum ipsius Marcelli, qui confitetur se tentasse quidem consummationem, sed ad nil valuisse; cuius rei causam non in reluctantia aut ineptitudine mulieris, sed in sympathiae defectu collocat; itemque propositio ab eo usque ab initio ad uxorem facta seorsim dormiendi; ac demum ipsa eius repugnantia loquendi et disserendi de iis quae ad matrimonii consummationem pertinent, quam repugnantiam iudici aperte professus est odiosum mihi est loqui de hoc, aperte confirmant ipsum viribus genitalibus prorsus carere.

Porro cum impotentia viri sit adeo probabilis ut certa ferme videatur, dispensatio a matrimonio magis quam proprie et rigorose gratia « est potius prudentialis administratio iustitiae » iuxta ea quae tradit Ursaya *Dissert. eccles. t. 3 p. 2 dis. 25 n. 104* et De Luca *Discep. 9 matr. n. 8.*

Huic causae principi alia accedit, quae concomitans semper in his conditionibus est, nempe dissociatio animorum: frustrato enim ex viri imbecillitate praecipuo matrimonii fine, semper inter sponsos discordiae, simultates, aversatio succedunt; quae in themate non defuisse actrix cum septima universa manu asseverat. Imo ne vir quidem id negat. Quin spes affulgeat reconciliationis, sicut constat ex absoluta actricis responsione, quae alias nuptias, sed cum viro potente inhiat, et ad inepti viri amplexus redire, sicut in praesentiarum, sic etiam ab initio, licet a matre compulsa, constanter recusavit.

Adest insuper consensus utriusque partis; quo intercedente « posse Papam de absoluta potestate etiam sine ulla causa hanc dispensationem concedere » tradit Cosci *l. c. l. 3 n. 95 c. 2.*

Demum praestat etiam, incontinentiae et perversionis periculis quae iuveni florentique mulieri his praesertim temporibus non possunt deesse, salutare remedium, quod in Ecclesia praesto est, paterne parari, ne tarde et post scandala exhibeatur, quod cito et opportune poterat provideri, ceu habet C. Cosci *l. c. n. 107.*

Animadversiones defensoris s. vinculi. Ex altera parte vinculi defensor in primis recolit, utroque coniuge fatente et septima uxoris manu confirmante constare, ex mutuo consensu nuptias initas esse, quemadmodum certum exploratumque est, novos coniuges duodeviginti menses thalami communione esse usos: et pacem ac concordiam quae initio floruit, nonnisi pecuniae quaestionibus turbatam esse, ex quo etiam motivo ultimum efferbuit contentionis diverbium quod ad divisionem conduxit ceu testes innuunt. Ergo iuxta defensorem, ex hac una causa, vel ex alia quam ipsamet actrix proponit, nempe quia parum amabilis erat, separatio contigit, minime vero ex impotentiae aut consummationis defectu, prout adversa pars contendit.

Quae imo ne plene quidem evincitur. Siquidem in primis uniformis non apparet mulieris depositio, utpote quia dum alicubi profitetur, haud cognovisse quid evenerit dum rei maritali vacabat; simul alibi affirmat: certe declaro, absque ullo dubio, matrimonium non esse consummatum. Et quamvis vir consentiat et inconsummationem admittat, nihilominus ne hoc quidem valet. Imo cum uterque coniux in eumdem finem dissolutionis coniugii conveniat collusionem contigisse verendum est, ceu ipsa elementaris prudentiae ratio dictat, et confirmant Sanchez *De Matr. l. 2 disp. 45 n. 33*, Menochius *De art. iudic. l. 2 cen. 2 cas. 103 n. 8*, Schmalzgrueber ad *tit. 15 l. 4 n. 69*. Quin aliquid praestet iuramentum a partibus emissum, nam quando magnum libertatis argumentum in causa est, ipsum partium periurium timeri merito potest, prout *cap. 24 De iureiur.* edocet.

Nec refert partium depositionem septimae manus suffragio firmari. Etenim septima huiusmodi manus ab ipsa actrice inducta est, et idcirco in inducentis sensum abundare mirum non est. Deest autem septima viri manus, quae pariter audiri debebat iuxta Inst. S. C. C. anni 1840, et Sanchezii doctrinam in opere *De Matr. lib. 7 disp. 108* Pariterque deplorat, matrem Marcelli citatam et excussam non fuisse, licet saepe ex altera parte inducatur ut de filii sui inepti-

tudine ad nuptias plenissime conscia et edocta. Nec minus conqueritur omissam fuisse excussionem domini Dommage qui, ex assertis per Petrum His, renunciabatur ut unus ex pluribus qui nuptias cuiusdam suae filiae cum Marcello Guillet iam depactas, vetuerat. Qui defectus graviores esse videntur si consideretur, *cit. Instr.* anni 1840 haec iubere: « Si alios etiam, praeter septimam utriusque partis manum, defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos hos etiam citabit ut examini subiiciantur. »

Nec supervacaneum dicatur citari testes ex parte rei, cum hi in actricis sententiam concedant et inconsummationem admittant. Etenim defensor cum Sanchez *l. c. lib. 7 n. 109* observat septimam utriusque manus semper, ac potissimum in eo casu quando uterque coniux fateatur impedimentum, induci et excuti debere, ut veritas plene edoceatur, et collusio, si quae sit, appareat. Quapropter in themate testibus ex parte mulieris venientibus, utpote unilateralibus nimium non esse fidendum defensor concludit: eo vel magis quod in actricis partes undequaque proclives videantur, adeo ut ipsam Marcelli impotentiam quasi certam traducant, dum ipsa actrix id asserere non est ausa.

Nec praesidium sumi potest ex civilis divortii actis, ad quae tum actrix tum eius testes saepius appellant, quippe quia haec ad S. C. C. examen delata non sunt.

Nec demum undequaque fidendum videtur in peritiali medicorum examine. De obstetrice enim, quae ante causae initium et in actricis beneplacitum eius corpus inspexit, loqui, supervacaneum putat defensor. Quoad medicos vero in primis notat cum Zachia *Quaest. med. leg. Dec. 32 n. 26* indignum esse viros ad exploranda pudenda muliebria delegari. Observat praemissum fuisse balneum *d'eau pure*, sub quo verbo putat venire aquam frigidam, contra S. C. C. legem, quae aquam tepentem exigit ad fraudes quaslibet si quae sunt, in mulieris corpore detegendas. Recolit, praescriptum esse singulos peritos seorsim mulierem inspectare ac seorsim statimque scriptam sententiam proferre antequam

iudicem adeant. At in themate uterque medicus simul haec omnia peregit; sicut deinde simul uterque a iudice excussus videtur.

Accedit medicos potissimum ceterisque ferme omissis attendisse ad hymenis integritatem, et exinde praecipue iudicium de virginitate et de matrimonii inconsummatione efformasse. Atqui notum est ex Zacchia *l. c. l. 4 tit. 2 q. 1 n. 28*, ex Mahon *Medic. leg. Milano 1804 t. 1 p. 102* et maxime ex Petro Budin *obstetr. ginec. Parigi 1866*, saepenumero mulierem, etiam existente hymene, concipere posse, et ideo ex sola hymenis existentia ad virginitatem concludi tuto non posse.

Exulante vero certitudine inconsummationis, de causis dispensationis loqui inutile defensor autumat, nec dispensationem donari ullatenus posse, concludit.

His relatis et animadversis, enucleandum propositum fuit

Dubium

An consulendum sit SS^mo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 25 Ianuarii censuit respondere: *Affirmative.*

SCEPUSIEN.

MATRIMONII

Die 25 Ianuarii 1890.

Sess. 24 Cap. 1 de Ref. Matr.

Compendium facti. Stephanus Montskò, qui quintum aetatis lustrum excesserat, die 11 Iulii 1887 in parochiali ecclesia Leutschoviae nuptias legitimâ formâ et praevia apostolica dispensatione inivit cum Maria Répàssy, quadrilustri puella sibi consanguinea.

Exinde usque ad exitum mensis Octobris vel ad medium Novembrem, nam discors est hac in re sponsorum depositio,

uxor cum viro cohabitavit: sed ab initio uterque in separato cubiculo dormivit, dein vero simul quidem in eodem cubiculo et lecto fuerunt; attamen, ait vir, « uxor mea vesperi vestibus induta vigilavit tamdiu usquedum obdormiveram: mane vero me e somno evigilante uxor iam extra cubile fuit: » et ita viri desiderium frustravit. Maria autem haec fecisse non diffitetur, sed prorsus admittit.

Ad finem mensis Octobris vel Novembris mulier ad paternos lares revertebatur, ut a quadam infirmitate commodius apud parentes curaretur: et vir, qui ab uxore sua abalienatus adhuc plene non erat, illuc quotidie pergebat, et apud uxorem coenabat. Frustra tamen apud eam manere se tentavisse et debiti coniugalis redditionem ab ea expostulavisse affirmat. Quapropter ad eius patrem recursum tandem habuit. At Maria die sequenti eum de hac re paullo acrius exprobravit. Unde vir fastidio iam affectus, hac de re indignatione insuper commotus, uxori significavit se dissolutionem coniugii expostulaturum, et, quin tempus medium interponeret, eadem die, quae erat 1. Decembris, muliere relicta, ad curiam episcopalem hac de causa accessit. Ita sane habet vir.

Porro Episcopus curavit quidem et omni nisu studuit sponsos ad concordiam et mutua charitatis et iustitiae officia restituere. « Verum, ait Praesul, cum maximo cordis mei dolore fateri cogor, cunctam ea pro exposito scopo ac fine suscepta et adhibita conamina usque in praesens tempus omni caruisse effectu, adeo ut nulla effulgeat mihi spes fore ut coniuges memorati seu ad invicem concilientur animis seu ad pacifice cohabitandum inducantur unquam. » Imo « Stephanus Montskò.... extrema se quaeque potius laturum declaravit quam ut modo uxorem in suam recipiat domum. » Aliunde vero cum Stephanus « sit nobilis familiae catholicae ultimus surculus et parentum suorum unicus filius; et multum teneant in voto et parentes et alii cognati ne familia et nomine et nobilitatis charactere extinguatur ac cesset »; et cum insuper verendum sit « ne iuvenis Religioni, quam

huc dum toto corde amplectitur ac tenet, catholicae, casu denegatae... dispensationis... infidelis evadat, et licentiam novas ineundi nuptias extra castra filiorum Dei quaerat cum manifesto animae suo naufragio et hostium ecclesiae de tanta acquisitione gaudentium triumpho, » hinc Episcopus, his aliisque relatis, die 1 Iulii 1889 Stephani nomine a SSmo gratiam expostulabat dispensationis a matrimonio quod ratum dumtaxat mansisse affirmabat.

His stantibus de mandato SSmi ad eumdem Episcopum commissum fuit ut processum iuxta canonicam formam instrueret. Quae iussa faciens Scepusiensis Ordinarius tribunal constituit, et duabus ferme hebdomadibus omnia processus acta complevit. Stephanus et Maria primi excussi sunt, et hi ea quae superius retuli narraverunt. Successerunt septem ex utraque parte testes, qui favorabili prorsus suffragio auctores suos tum quoad honestatem, tum quoad famam inconsummationis prosequuti sunt. Demum ventum est ad corporalem mulieris inspectionem; quae a duabus obstetricibus coram honesta matrona peracta est iuxta legum praescripta. Porro tum obstetrices, tum duo medici ex obstetricum relatis iudicantes, uno ore censuerunt Mariam adhuc plena integritate pollere, et ideo matrimonium non esse consummatum. Post quae Episcopus dum omnia acta ad S. C. C. remittebat, iterum Stephani causam precesque enixe commendabat.

Disceptatio Synoptica

Defensio viri. Stephanus patronum elegit qui in sua allegatione summatim haec observat. Ex *cap. Laudabilem de frig. et malef.* scimus quod, « si autem, quod numquam se invicem cognoverint, ambo sponsi fatentur cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint, tactis ss. Evangeliis uterque iureiurando dicat, quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent: tunc videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare. » Consonat c. *Litterae vestrae e. t.* et S. C. C. *Burdigalen.*

dispens. matrim. 26 Februarii 1825. Atqui uterque sponsus cum septima manu iurat nullum maritale commercium inter se intercessisse. Qua de causa moralis certitudo de inconsummatione ex hoc ipso haberi videtur. Vir namque, enarratis iis quae in specie causae relata sunt, ita concludit: « In fundamento isthic narratorum determinative declaro matrimonium non esse consummatum. » Uxor vero, iisdem factorum et eventuum circumstantiis relatis, ac speciatim, adnotata sua repugnantia a debito coniugali reddendo ac pervicacia in suo proposito, ita explicit: « In fundamento igitur dictorum solemniter declaro matrimonium meum cum Stephano Montskò per copulam carnalem numquam consummatum esse. »

Nec refert quod in una circumstantia attestatio viri contradicat attestationi uxoris; ille enim dixit, uxorem suam paternos lares repetiisse sub exitum mensis Octobris; haec vero asseruit id contigisse post medium Novembrem. Quandoquidem in primis discrepantia circa accidentalia vertit; et qua talis non nocet, ceu tradit De Luca *De testam. dis. 5, n. 10.* Insuper vir iterum hac de causa a iudice conquisitus et excussus respondit, « habita illius circumstantiae attentione quod uxor sua actu apud proprios moretur parentes, ibique plures simul constituti de causa huius matrimonii ad invicem loquentes, praeallatum discessionis tempus facilius scire possunt; se quoad praememorata puncta factas uxoris declarationes sua ex parte acceptare:... se non mala fide, nec perversa voluntate ita, prout in protocollo suarum passionum notatum habetur, determinasse; verum exclusive et unice ideo quia praecise non recordatur. » Quapropter haec attestationum discrepantia magis quam nocere, evincere potius videtur quamcumque inter sponsos collusionem defuisse.

De cetero religionem et honestatem utriusque sponsi uno ore laudant testes septimae manus, qui affirmant eorum dictis plenam fidem se adiungere et esse adiungendam. Imo nonnulli eorum, ac potissime parochus, factum de reluctantia uxoris a carnali cum viro commercio iam antea novisse

affirmant. In re incontroversa singulorum verba referre abstineo, ne nimium scriptura protrahatur, praesertim quum ad inconsummationem evincendam aliud suppetat argumentum, nempe peritorum sententia.

Praemisso enim ex Barzellotti *Quest. di medic. leg. t. I. c. 5 n. 75, 76, 77.* Duges *Manual. di ostet. p. 1 sez. 2 art. 3 §. 1,* Sedillot *Manuel. de Medicin. leg. c. 9* signa virginitatis exhiberi ex praesentia hymenis aliisque indiciis quae expertos medici et obstetricum oculos latere haud possunt, actoris patronus recolit, in themate tum obstetrices a tribunali electas, tum medicos, ex obstetricum relatione, uno ore et absque haesitatione affirmasse sive in scriptis documentis, sive coram iudice integram adhuc esse mulierem et matrimonium non consummatum. Siquidem in scriptis duo iudiciales periti professi sunt, « D. Mariam Montskò natam Répàssy defloratam non esse, idest coitum cum viro non habuisse, adeoque matrimonium consummatum non esse. » Dein vero coram iudice unus ipsorum Doctor Alexi haec addidit: « Obstetrices secundum refertum processerunt, prout instructionem a nobis datam acceperunt. Maria Montskò nata Répàssy virgo est. Concluditur ex integritate inviolata hymenis. Maxima cum verosimilitudine ad statum virginem concludo ex anatomico visus puncto. » Alter vero, Doctor Paudex, ita habuit: « Obstetrices processerunt omnino secundum instructiones: Maria Montskò nata Répàssy est adhuc virgo. Ex lato habitu genitalium, praecipue vero ex praesentia hymenis concluditur. « Ex obstetricibus vero Maria Malz edixit « omnes partes genitales Dominae Mariae Montskò natae Répàssy inviolatas esse, et concludo cum certitudine quod ipsa coitum virilem adhuc nullum habuerit. » Itemque conclusit Emma Kracreveszki, nempe « Dominam Mariam Montskò natam Répàssy adhuc virginem esse, et matrimonialem concubitum necdum habuisse, quia nulla videri possunt apud illam corruptionis indicia... hymen perfecte inviolatum adest. »

Causas subinde dispensationis allaturus patronus, in pri-

mis recolit matrimonium nullum verosimiliter esse, 1. quia iuxta testimonium Iosephi Supkovis nuptiae initae sunt « non ex mutua inclinatione, sed per matris uxoris impulsum, » quippe quae optabat virum catholicum divitem et aeque nobilem filiae donari; 2. quia sponsa quandoque delirio afficiebatur, nervis dissoluta erat, et spinae dorsalis debilitate laborabat, unde haud integra mente instructa videbatur, sicut eius sponsus, et parochus innuunt, nec ipsa denegat; 3. demum quia errore substantiali ducta matrimonium mulier iniisse videtur: ipsa enim tam marito suo usque ab initio, quam deinde in processu ecclesiastico iudici fassa est debitum coniugalem nec reddidisse, neque reddere velle, et maritum abs se constanter abiecisse: atqui hoc propositum contra bonum prolis esse videtur et substantiam matrimonialis contractus impetere, et idcirco vinculi nullitatem secum ferre.

Huic non aspernabili dubio de validitate nuptiarum iuxta patronum aliae accedunt dispensationis causae, nempe impossibilitas reconciliationis, de qua tum Episcopus in sua epistola ad SSmum, tum testes septimae manus plura proferunt; praeterea inimicitiarum et odii discrimen inter duas familias catholicas, cum magno rei christianae damno; periculum incontinentiae potissimum ex parte viri, qui et nuptias concupiscit, et prolem desiderat, etiam ne familiae nomen extinguatur ac demum periculum apostasiae viri, ad hoc ut possit in castris inimicorum invenire quod in Ecclesia Dei prohibitum est, et valde consequi optat; quae omnia fuse in suis litteris Ordinarius describit, ceu superius in specie causae relatum iam est. Atqui haec motiva legitimam dispensationis causam praebere posse edocet ipsa S. C. C. in *Ianuen. Dispensationis* die 22 Augusti 1884 cum Conscio *l. 3 c. I n. 390:* hinc orator sperat et clientis nomine dispensationis gratiam consequi deprecatur.

Animadversiones adsertoris s. vinculi. Ex altera vero parte vinculi defensor relate ad valorem argumenti moralis, quo adversa pars inconsummationem tueri nititur, animadvertit, Mariam licet ream in causa, nihilominus mariti actioni

acquiescere et consentire. Ait namque: « Iisdem subversantibus adiunctis vita coniugalis non potest reassumi et continuari. » Quapropter cum periculum collusionis adsit, nihili facienda videtur uniformis coniugum confessio. Eo vel magis quod in circumstantia gravissima temporis unus alteri contradicat. Vir namque asseruit uxorem secum fuisse usque ad medium mensem Octobrem: sponsa vero edixit ad parentes suos reversam non esse nisi post medium Novembrem.

Nec validius subsistit septimae manus testimonium. Etenim septima manus iurare debet nedum de religione et honestate sponsorum, sed insuper utrum vera aut verisimilia credat sponsorum asserta, et cohaereant cum iis quae iidem sponsi alias « tempore non suspecto » loquuti sunt. Atqui testes in themate vel affirmant in cognitionem inconsummationis venisse post sponsorum divisionem, idest, « paulo antequam Stephanus Montskò S. Sedi consistoriali Scepusiensi ad solvendum suum vinculum matrimoniale scripto supplex factus fuisset » ut ait Coelestinus Kompanik; « vel eo iam tempore dum coniuges amplius non convixere, » ceu habet Nicolaus Marezinfalva; idest inconsummationem deprehendisse tempore suspecto: aut fatentur se ea de re nihil accepisse, aut vagum rumorem in vulgus post sponsorum disiunctionem diffusum audiisse, quemadmodum Andreas Roth et Stephanus Gallik expresse referunt. Quapropter morale inconsummationis argumentum, cui de cetero ex malitia temporum parum fidendum hodie est, in semet insuper nutare defensor iudicat.

Unde causae confugium non esset nisi in argumento physico ex peritiali examine desumpto. At vero ipse adversus patronus secundarie et accessorie ad illud se confugere dicit, veluti si in eo haud valde confideret. Nec immerito. Nam balneum, quod ante inspectionem per tria horae quadrantia debet protrahi, ut cadant et detegantur, si quae sunt, fraudes et pharmaca ad fucum integritati faciendum, omissum omnino est contra praescriptum Instr. S. C. C. anni 1840. Insuper matrona cui commissum est inspectioni assistere eamque in-

vigilare, quaeque oportebat a partis studio esse omnino immunem, non alia fuit quam ipsa Mariae mater et Stephani matertera, ideoque ex rerum natura omnino suspecta. Nec satis; nam obstetrices licet in his haud aequis conditionibus inspectionem peregerint, nihilominus nonnulla retulerunt quae cum integritatis et virginitatis existentia non amussim cohaerent: qua in re inter alia defensor id subsignat quod mammae dicantur *elasticae* et labia vulvae *hiantia;* quae iuxta Zacchia *Quaest. med. leg. lib. 4 t. 2 q. 2 n. 16* corruptionis indicia esse possunt. Nec refert quod hymen intactum dicatur; nam eo non obstante virginitatem exulasse et mulierem aliquando utero gestasse testis est Barzellotti in opere *Quest. di med. leg. t. 1 cap. 5 n. 32* cum Duges, Sedillot aliisque in alia causa citatis. Eapropter non immerito, imo omnino prudenter unus ex peritis iudicialibus certam haud dicere voluit in themate virginitatem; sed satius duxit ita respondere: « Maxima cum verisimilitudine ad statum virgineum concludo ex anatomico visus puncto. »

His in puncto inconsummationis observatis et cum iuxta dicta undequaque certa inconsummatio non videatur, putat defensor ad gratiam dispensationis deveniri tute non posse: eo vel magis etiam quia causae, quae semper ad hanc gratiam concedendam et sacramentum resolvendum, nedum ad liceitatem, « sed etiam ad valorem talis dispensationis, » iuxta *Mediolanen. 18 Martii 1732* et Leurenium *for. eccl. lib. 4 quaest. 277*, exiguntur, omnino exulant. Sane causa princeps quae affertur, ad quam unam ceterae omnes reducuntur, haec est, quia uxor debitum reddere recusat. Porro licet recusatio uxoris praebeat marito iustam causam dispensationis petendae, nihilominus ad id requiritur: 1. ut nulla prorsus spes affulgeat quod uxor sit consilium mutatura; 2. ut per virum, qui ad S. Sedem provocat, non steterit quominus uxor maritalia obsequia non praestiterit. Atqui neutrum verificatur in themate: non primum; nam ipso viro fatente scimus, eadem separationis die illum literas accepisse a suae uxoris matre, quibus significabatur « quod

uxor... modo iam ad omnia parata sit: » cui tamen ipse respondit, se « matrimonii solutionem oraturum et huic proposito inhaesurum. » Imo uxor fatetur eum discedentem rogasse ne indignans abiret; at ille vicissim declaravit uxori morem gerere amplius se nolle. Sed nec alterum verificatur; imo resistentia et reluctantia uxoris magis viro eiusque familiae culpae vertenda est, quam mulieri. Ait namque Maria: « causam denegandae copulae in genere nullam habui: ab initio forsitan inconsiderantia mea tantum... ultimo tempore iam et adverso ferebar animo contra maritum meum; sed ideo unice, quia et ille et cognati eius animum durum, immitem testati sunt in me. » Quae mulieris dicta amussim confirmat testis Coelestinus Kompanyik. Et idcirco quae invocatur potissima dispensationis causa frustrata corruere videtur.

Relate vero ad eas plures, quas adversus orator proponit, atque in primis ad dubium de validitate nuptiarum, respondet defensor nullitatem sacramenti repeti non posse ex incusso metu; nam ipsa Maria iterato asseverat se *ex affectione* cum Stephano contraxisse. Sed neque ex defectu sanae mentis, nam hoc vitium suppositum est magis quam verum; et ex eo quod Maria nervis paululum laboraret nullomodo sequitur ipsam amentem evasisse. Neque demum nullitatem contractus repeti valet ex errore aut proposito contra substantiam matrimonii suscepto; nam ipsamet Maria fatetur nullam se habuisse causam denegandae copulae carnalis, sed ab initio inconsiderantiâ, dein vero pervicaciâ et insolentiâ suâ id contigisse, praesertim quia a marito vexabatur.

Relate vero ad impossibilitatem reconciliationis notat defensor eam ex parte mariti potissimum subsistere; et ideo huic quippe dispensationem petenti allegatum titulum haudquaquam prodesse. Uxor enim ex parte sua reconciliationem absolute non excludit, sed dumtaxat edixit, « eisdem subversantibus adiunctis vitam coniugalem non posse reassumi et continuari. » Imo si audiatur testis Laczko cum aliis nonnullis, reconciliatio impossibilis absolute non est. De ce-

tero, etsi reconciliationis nulla affulgeret spes, nihilominus cum non deceat, neque expediat pacta resolvi, et sacramenta dispensari in favorem illius, qui pactum et sacramentum ex sola obstinatione et pervicacia recusat, dispensatio non videretur concedenda.

Aliae vero quae proponuntur causae, nempe inimicitiae et odia inter duas familias, periculum incontinentiae, scandali et apostasiae a fide ex parte mariti, licet vera essent, cum iuxta dicta non pendeant nisi ex malo ac pervicaci Stephani animo, ipsi dumtaxat culpae vertenda sunt. Si namque prolem desiderat ne familiae nomen extinguatur, praesto iam est remedium, nempe ad legitimam uxorem is redeat, nec dissolvere quaerat quae coram Deo sunt unita.

His relatis propositum fuit enucleandum sequens

Dubium

An consulendum sit SS^no super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 25 Ianuarii 1890 censuit respondere: *Affirmative.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Die 6 Augusti 1860.

Sacra Poenitentiaria numquam censuit, dispensato ob legitimam causam patrefamilias ab abstinentia carnium in diebus esurialibus, dispensatos hoc ipso esse filios sub eius potestate positos: sed declarationem tantummodo, per instructionem dare intendit confessariis, posse iis permitti, iustis concurrentibus causis, a vera necessitate petitis, quando aliter se sustentare non possunt, uti cibis patrifamilias indultis, firma semper obligatione de non permiscendis licitis atque illicitis epulis; et de unica comestione in die pro iis qui ieiunare tenentur. (1)

(1) Etsi haec declaratio s. Poenitentiariae, et alia quae sequuntur decretum, instructio, responsum ad dubia etc. ex s. Cong. Inquisition s sero ad nos pervenerint, tamen ea in lucem edimus, quum nobis videantur magni momenti.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM

Emanatum in Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita Feria V, die 21 Augusti 1670 in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente Divina providentia Papa X ac Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum alias per Sacram Congregationem S. Officii, iteratis instructionibus ab eadem emanatis de anno 1658, et 1665, locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit, ut praescriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero coniuge, aut alias impediti ad secunda illicita vota transire satagebant: videns nihilominus Sanctissimus D. N. quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, et Deputatos ad excipiendas testium depositiones, nec non parochos, et notarios in casibus expressis aut omittere, aut non observare earumdem instructionum tenorem; et licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus:

Ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerata cum Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesenti Decreto, perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum iniungit omnibus Vicariis, seu Deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, nec non parochis, notariis, et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio Sac. Congreg. ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Ut autem praesens Decretum, et Instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit, illa ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ac Palatio S. Officii eiusdem Urbis per aliquem ex cursoribus Sanctitatis Suae publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes, et singulos, quos concernunt, post duos menses a die publicationis in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere, ac arctare ac si illorum unicuique personaliter notificata, et intimata fuissent.

INSTRUCTIO

Pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi D. Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum.

In primis *testis moneatur de gravitate iuramenti in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul, et Humana Maiestas laeditur ob rei, de qua tractatur, importantiam, et gravitatem; et quod imminet poena triremium, et fustigationis deponenti falsum.*

Secundo, *interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio, et habitatione.*

Tertio, *an sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.*

Quarto, *an ad examen accesserit sponte, vel requisitus:* si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax. Si vero dixerit accessisse requisitum, *interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.*

Quinto, *interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.*

Sexto, *interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cuius qualitatis, vel conditionis existant.*

Septimo, *interrogetur, an contrahere volentes sint cives vel exteri:* si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu de eo tempore, quo permanserunt in sua civitate, vel dioecesi.

Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo, quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit, contrahere volentes esse cives:

Octavo, *interrogetur, sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitaverint, vel habitent de praesenti.*

Item, an ipse testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum,

vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

Si vero testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra:

Nono, *interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, et quod ipse testis nesciat.*

Si responderint affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc.

Decimo, *interrogetur de causa scientiae,* ex qua deinde iudex colligere poterit, an testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos:

Undecimo, *interrogetur de loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, et nunc esse mortuos.* Et si respondeat, mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles.

Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae, et sufficientes.

Duodecimo, *interrogetur, an post mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.*

Si responderit negative,

Decimotertio, *interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo, quod ipse testis sciat.*

Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative,

Decimoquarto, *interrogetur de causa scientiae,* qua perpensa iudex poterit iudicare an sit concedenda licentia, vel non.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis servata forma Concilii Tridentini *in cap. Multi, Sess. 24.*

Fides, aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum, et attente consideretur, quod fides, seu testimonia bene, et concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis, quam exteri; nec admittantur homines vagi, et milites, nisi data causa, et maturo consilio; et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula: *Mihi bene cognitus.* Sin minus examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine, et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum.

Et huiusmodi examinibus debet interesse in Urbe ultra notarium officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario, et extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea ab Episcopo specialiter deputanda; alias puniatur notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus, et singulis parochis in eorum Dioecesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel eius Generali Vicario, prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium etc.

Contravenientes autem severe punientur.

Anno a Nativitate D. N. I. C. millesimo sexcentesimo septuagesimo, indictione octava, die vero 30 mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, et D. N. D. Clementis Divina Providentia Papae X anno primo, supradictum Decretum affixum, et publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae de Urbe, ac Palatio S. Officii eiusdem Urbis per me Petrum Paulum Desiderium eiusdem Sanctiss. D. N. Papae, et Sacrae Inquisitionis cursorem.

DUBBI promossi sul senso del Decreto riportato qui sopra.

Dubbio I.

Nel quarto ultimo § del suddetto Decreto si dice: « Fides, » aliaque documenta, quae pro» ducuntur de partibus, non ad» mittantur, nisi sint munita si» gillo, ac legalitate Episcopi

DUBIA exhibita quoad sensum praeallati decreti.

Dubium I.

(Versio latina)

In quarto ultimo § dicti Decreti praescribitur: « Fides, » aliaque documenta, quae pro» ducuntur de partibus, non » admittantur, nisi sint munita » sigillo, ac legalitate Episcopi

» Ordinarii, et recognita saltem » per testes, qui habeant notam » manum, et sigillum. » Se non sono esse fedi, e documenti muniti del sigillo dell'Ordinario, ma del sigillo, e firma del solo parroco, e tal firma, e tal sigillo, sia di parroco della Diocesi, sia di parroco estraneo, e ben conosciuta da uno, o più ufficiali della Curia, come dal cancelliere, o sostituto, possono ammettersi? Ed in caso negativo, a conoscersi se il sigillo, e firma sia del parroco scrivente, basta la testimonianza del padre, o madre dello sposo, o sposa, o di altri della di lui, o di lei famiglia?

» *Ordinarii, et recognita sal-* » *tem per testes, qui habeant* » *notam manum, et sigillum.* » *Quatenus ipsae fides et documenta munita non sint sigillo Ordinarii, sed sigillo et subscriptione parochi solius, et talis subscriptio taleque sigillum, sive parochi Dioecesis, sive extranei, nota tamen uni aut pluribus e Curiae officialibus, v. g. cancellario aut substituto, possunt ne admitti? Et quatenus negative, ad cognoscendum utrum sigillum et subscriptio sint parochi scribentis, satis ne est testimonium patris aut matris sponsi vel sponsae vel aliorum ex familia alterutrius?*

Dubbio II.

Nel terzo ultimo § del Decreto si prescrive: « Pro testibus » in hac materia recipiantur » magis consanguinei, quam ex- » teri, qui praesumuntur melius » informati ». Sotto la parola *Consanguinei* possono intendersi i propri genitori, abbenchè si scorgano talvolta interessati al disbrigo del matrimonio, per cui si esibiscono essi stessi, o si fanno indicare dagli sposi medesimi ad attestare sulla loro libertà di stato? E se in mancanza de'genitori facessero le loro parti o fratelli, o zii, potranno questi nella conoscenza, o supposto di tale interessamento sentirsi in qualità di testimoni?

Dubium II.

In tertio ultimo § Decreti praescribitur: « Pro testibus » in hac materia recipiantur » magis consanguinei, quam » exteri, quia praesumuntur » melius informati ». Sub nomine consanguineorum intelligi ne possunt proprii genitores, etsi aliquando interesse habere videantur de matrimonii conclusione, et ideo iidem sese exhibent, aut curant ut indicentur a sponsis iisdem ad fidem faciendam de istorum status libertate? Et deficientibus genitoribus, si vices istorum agant fratres aut patrui, poterunt ne iidem, quorum interesse cognitum aut suppositum sit, audiri ceu testes?

Dubbio III.

Nel predetto § verso la metà si aggiunge: « Et notarius exa- » cte describat personam testis,

Dubium III.

Circa dicti § dimidium adiicitur: « Et notarius exacte de- » scribat personam testis, quem

» quem si cognoscat, utatur » clausula: *mihi bene cognitus:* » sin minus examen non reci- » piat, nisi una cum persona » testis aliqua alia compareat » cognita notario, et quae atte- » stetur de nomine, et cogno- » mine ipsius testis » Avvenendo, che in una Diocesi siano diversi, e lontani paesi, e siavi l'uso, che gli sposi mandino, o portino seco loro due testimonii per lo più incogniti al cancelliere, ed anche incogniti spessissime volte nella città di vescovile residenza, non ritrovandosi persona, che li conosca, a scanso di gravi incommodi per le popolazioni per la perdita del tempo, e del danaro, che vi spendono inutilmente se dovessero rimandarsi indietro, ed a scanso anche di forti lagnanze, che ne nascerebbero, possono prendersi le loro testimonianze sul legale assioma che « *Nemo praesumitur malus, nisi probetur?* »

Dubbio IV.

Succedendo anche bene spesso il caso, che in seguito del fatto stato libero per qualche contraria circostanza datasi agli sposi non ha più luogo per allora il matrimonio, passato uno, due, o tre mesi senza effetto, dovranno essi tornare a fare lo stato libero per detti uno, due, o tre mesi trattandosi specialmente di basso ceto, e di persone non cognite alla Curia per essere di diversi paesi?

Dubbio V.

Essendo in molte Diocesi in-

» *si cognoscat, utatur clausu-* » *la: mihi bene cognitus; sin* » *minus examen non recipiat* » *nisi una cum persona testis,* » *aliqua alia compareat cogni-* » *ta notario, et quae attestetur* » *de nomine et cognomine ipsius* » *testis.* » *Quatenus in aliqua Dioecesi sint plures, et remoti pagi, et consuetudo vigeat quod sponsi aut mittant, aut secum ducant duos testes, cancellario et in civitate episcopalis residentiae plerumque haud notos; et non reperiatur persona quae eosdem agnoscat; ad vitanda gravia incommoda populis, qui tempus et pecuniam frustra tererent, quatenus remitti deberent; et ad vitandas querimonias, enasci faciles, possunt ne excipi istorum testimonia, innitendo legali axiomati «quod* nemo praesumitur malus nisi probetur? »

Dubium IV.

Quum saepe etiam casus contingat quod, peracto statu libero, aliqua superveniat sponsis circumstantia, ob quam tunc matrimonium amplius locum non habet, uno, duobus vel tribus mensibus transactis, debebunt iidem iterum peragere statum liberum pro dictis uno, duobus aut tribus mensibus, si praecipue agatur de personis humilis conditionis, et quae curiae haud notae sint, eoquod ad diversos pagos pertineant?

Dubium V.

Quum in Dioecesibus quam-

valso l'uso, che nell'esame degli stati liberi si ricevano le deposizioni de'soli uomini, e dicendosi nel sullodato Decreto « *Testes* » senza eccepirne le donne, possono sentirsi anche le donne?

plurimis usus inoleverit recipiendi in examine pro statu libero depositiones hominum solummodo, ex eo quod in praefato decreto edicitur « Testes » *quin mulieres excipiat; possunt ne audiri etiam mulieres?*

Dubbio VI.

Non rare volte suol pur avvenire, che un uomo, o donna si trovi domiciliata in altro paese da quello d'origine perfino a dieci, e più anni, tuttochè partita dalla sua patria, o altra città, o paese, già adulta. Basterà che provi la libertà di detti dieci, e più anni passati nel paese del suo ultimo domicilio, o converrà pure (null'ostante un sì lungo tempo d'assenza dalla sua patria, o suo primo paese) avere anche le fedi di stato libero di questa, o questo per maritarsi?

Dubium VI.

Haud raro evenit quod homo aut mulier domicilium posuerit in loco ab originis diverso per decem aut plures annos, etsi patriam aut aliam civitatem, aut pagum reliquerit cum iam adoleverit. Satis ne erit probare libertatem pro dictis decem aut pluribus annis, transactis in loco sui ultimi domicilii, aut oportebit etiam, non obstante eiusmodi perlongo absentiae tempore a patria sua, vel suo primo pago, exposcere fidem status liberi viri aut mulieris ad ineundum matrimonium?

Dubbio VII.

Finalmente nel penultimo § del suddetto Decreto si prescrive « Et huiusmodi exami» nibus debet interesse... extra » Urbem vel Vicarius Episcopi, » vel aliqua alia persona insi» gnis, et idonea ab Episcopo » specialiter deputanda » Per le parole « *persona insignis, et* » *idonea* » possono intendersi i Vicarii Foranei con i loro Cancellieri benchè questi non abbiano la facoltà di rogare, accordata solo al Cancelliere Vescovile? Ed in caso negativo può attendersi la consuetudine in contrario?

Dubium VII.

Tandem in penultimo § *dicti decreti praescribitur:* « *Et hu*» *iusmodi examinibus debet* » *interesse..... extra Urbem* » *vel Vicarius Episcopi, vel* » *aliqua alia persona insignis,* » *et idonea ab Episcopo specia*» *liter deputanda* ». *Sub verbis* persona insignis et idonea *intelligi ne possunt Vicarii foranei cum eorum cancellariis, etsi isti facultate rogandi careant, quae conceditur tantum Cancellario episcopali? Et quatenus negative, utrum liceat sequi contrariam consuetudinem?*

Feria IV, die 24 Februarii 1847.

In Congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. M. supra Minervam coram Eminentissimis et RR. DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, propositis supradictis septem dubiis, iidem Eminentissimi et Reverendissimi ad singula responderunt, ut sequitur:

Ad primum: Quoad primam partem: Affirmative, quo tamen in casu apponatur legalitas a Curia Episcopali. Quoad secundam partem: Provisum in prima.

Ad secundum: Affirmative.

Ad tertium: Servetur Instructio.

Ad quartum: Generatim affirmative: in casibus vero particularibus prudenti arbitrio Episcopi.

Ad quintum: Affirmative.

Ad sextum: Quoad primam partem: Negative. Quoad secundam partem: Affirmative.

Ad septimum: Quoad primam partem: Affirmative: Vicarii tamen Foranei transmittant acta ad Curiam Episcopalem, cuius est expedire fidem status liberi. Quoad secundam partem: Provisum in prima.

Ita est: Angelus Argenti S. R. et Universalis Inquisitionis Notarius.

DECRETUM

A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et Univ. Inquisitioni proposita sunt: « In Epistola S. R. et U. I. » 25 Iunii 1885 ad omnes in Gallica Ditione Ordinarios circa » civilis divortii legem ita decernitur: *Attentis gravissimis re-* » *rum, temporum ac locorum adiunctis, tolerari posse ut qui* » *magistratus obtinent et advocati causas matrimoniales in* » *Gallia agant quin officio cedere teneantur* », conditiones adiecit, quarum secunda haec est: « *Dummodo ita animo comparati* » *sint tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa se-* » *parationem corporum, de quibus causis iudicare coguntur,* » *ut numquam proferant sententiam, neque ad proferendam* » *defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ec-* » *clesiastico iuri repugnantem* ». Quaeritur:

I. « An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam » typis data, iuxta quam satisfacit conditioni praecitatae iudex » qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, » ab illo matrimonio vero et constanti omnino abstrahit, et ap- » plicans legem civilem pronuntiat locum esse divortio, modo » solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere

» mente intendat, eaque sola respiciant termini prolatae sen-
» tentiae? Aliis terminis, an sententia sic lata dici possit divino
» aut ecclesiastico iuri non repugnans?

II. « Postquam iudex pronuntiavit locum esse divortio, an
» possit Syndicus (gallice, le maire) et ipse solos effectus civiles
» solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur,
» divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit
» coram Ecclesia?

III. « Pronuntiato divortio, an possit idem Syndicus coniu-
» gem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio
» iungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ec-
» clesia vivatque altera pars? »

Feria V, loco IV, die 27 Maii 1886.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Eminentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus generalibus inquisitoribus propositis suprascriptis dubiis, ac prachabito voto DD. Consultorum, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi DD. rescribi mandarunt. - Ad primum, secundum et tertium dubium Negative.

Eadem feria ac die facta de his Sanctissimo Dno Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum PP. approbavit et confirmavit.

Ios. Mancini S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

INSTRUCTIO super Matrimoniis mixtis ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos rituum orientalium.

Cum Christianorum coniugium unionem inter Christum et Ecclesiam exprimat, monente Apostolo Paulo - *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* - (1), aperte patet sanctum prorsus esse vinculum maritale, quo inter se ipsi copulantur. Cum autem fides sit omnis sanctitatis radix atque fundamentum, pariter nemo non videt, coniuges ut mutua sese unione sanctificent, sicut in reliquis, ita et potissimum fide cohaerere debere. Mirum proinde non est, si inter cetera quae matrimonium impediunt, etiam illud accensetur quod *mixtae communionis* impedimentum proprio nomine appellatur.

Iam vero, cum in Orientalibus quibusdam regionibus nonnullae hac super re difficultates ortae sint, atque anxietatibus non paucis viam aperuerint, Sanctissimus Dominus Noster Leo divina providentia PP. XIII pro eo quo erga Orientales gentes zelo inflammatur, supremae Congregationi S. Romanae et Universalis Inquisitionis mandavit, ut ad huiusmodi difficultates et

(1) Ad Eph. V, 32.

anxietates amoliendas opportunam Instructionem elaboraret. Quibus iussionibus obsecundans S. Congregatio, ea quae sequuntur statuenda censuit.

1. Huius impedimenti natura, quemadmodum omnes norunt, ea est, ut matrimonii foedus inter eos qui baptizati sunt, iniri nequeat, quando altera eorum pars haeretica vel schismatica sit. At catholicorum cum haereticis, et contra, nuptiae illicitae sunt quidem, sed nihilominus valent. Ingens propterea discrimen intercedit inter impedimentum mixtae communionis seu religionis et alterum quod propria appellatione dicitur *disparitatis cultus*. Primum enim locum habet inter Christianos; secundum afficit matrimonia Christianorum cum non baptizatis, sive iudaei sint sive infideles cuiuscumque sectae, sive etiam catechumeni. Coniugia itaque inter personas cultu dispares sunt prorsus irrita; mixta vero valida, sed graviter illicita.

2. Facili porro negotio perspicitur cur connubia catholicorum cum heterodoxis antiquissimi canones, quemadmodum recentiores Conciliorum ac Summorum Pontificum sanctiones, omnino reprobarunt ac reprobant, damnarunt ac damnant. Reprobanda enim sunt sive ob vetitam, quam secumferunt, in divinis rebus communionem, et exinde derivans scandalum, sive ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, sive ob pravam sobolis institutionem. Accedit etiam huiusmodi coniunctionibus facile promoveri funestissimum in religionis negotio, uti vocant, indifferentismum. Sed alia etiam perniciosa consectaria ex huiusmodi coniunctionibus dimanant, cum catholicos inter et acatholicos vix ac ne vix quidem ea inveniatur animorum concordia, quae inter coniuges necessaria prorsus est. « Quomodo enim, ait S. Ambrosius (1), potest congruere charitas, ubi discrepat fides? » Hinc vel ipse Zonaras iure animadvertit (2) matrimonialem societatem catholicos inter et acatholicos eo etiam ex capite esse reprobandam, quod miscenda non sunt quae naturam, ut inter se misceri possint, non habent: « Nam qui simul ita vivunt, ut eorum animi in iis, quae » ad fidem pertinent, contrario modo affecti sunt, quo pacto » eos in aliis rebus convenire posse quispiam arbitrabitur? quo» rumque sensus in iis quae sunt fidei, quorum prima est » atque praecipua ratio, minime congruunt, quo pacto inter se » aequis animis in reliqua vitae societate communicabunt? »

3. Quare mirum non est, si antiqua Concilia vetant catholicis, ne nuptias cum haereticis, sicut et cum infidelibus, concilient, nisi hi orthodoxam fidem amplectantur. Sic. Conc. Laodicenum (3) de haereticis, praescribit: *Quod non oportet cum omni haeretico matrimonium contrahere vel dare filios aut filias: sed magis accipere, si se christianos futuros profiteun-*

(1) L. II, cap. 9 de Abrah.
(2) In not. Ad Can. 14 Conc. Chalc. apud Bevereg.
(3) Can. XXXI.

tur. Consonat Agatiense (1): *Quoniam non oportet cum omnibus haereticis miscere connubia et filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profitentur christianos futuros esse se et catholicos*. Et Chalcedonense in superius memorato canone: *Sed neque haeretico vel pagano vel iudaeo matrimonio coniungere, nisi utique persona, quae orthodoxae coniungitur, se ad orthodoxam fidem convertendam spondeat.*

4. Ex iis, ut alia silentio praetereamus, satis quidem apparet matrimonia mixta esse prorsus illicita: qua de caussa S. Mater Ecclesia merito ea semper detestata est, ac fideles ab illis contrahendis absterrere studuit. Ad amovenda tamen pericula quae ex mixtis nuptiis provenire possunt, concurrere debent circumstantiae ceu scribit s. m. Bened. XIV (2), quae cum ab eo, qui facultatem dispensandi habet, expensae fuerint, aditum aperiant concessioni legitimae dispensationis, cuius vi matrimonium inter partes, haereticam unam alteramque catholicam, licitum reddatur. Hae circumstantiae, cuiusmodi est Ecclesiae utilitas, bonum publicum, gravissimum malum vitandum, et aliae, quae canonicas caussas ad elargiendas matrimoniales dispensationes generatim necessariam constituunt, praerequiruntur ad impedimentum mixtae communionis aliquo in casu relaxandum; sed, quod sedulo est animadvertendum, minime sufficiunt.

5. Exigendae enim praeterea sunt opportunae a contrahentibus cautiones de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, de conversione coniugis acatholici ab illo pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda. Has autem cautiones ius naturale ac divinum cum postulet, nulla unquam humana auctoritate mixtae nuptiae sine ipsis permitti possunt.

6. Positis igitur canonicis caussis, ac praehabitis memoratis cautionibus, quibus arcentur quae legi naturali aut divinae adversantur, ab ecclesiastica competente auctoritate dispensatio in lege mixta connubia prohibente impetranda est, ut absque piaculo celebrari possint, ea deficiente, numquam gravi culpa vacant.

7. Illicitum porro ac sacrilegum est se sistere coram haeretico seu schismatico ministro ante vel post contractas mixtas nuptias, quoties ipse ut minister sacris addictus adsistat, et quasi parochi munere fungens; nam pars catholica ritui haeretico aut schismatico se consociaret, ex quo vetita omnibus haberetur cum haereticis in eorum sacris communicatio. Quare ita contrahentes mortaliter peccarent ac monendi sunt. Si vero, ut in nonnullis locis evenit, haereticus seu schismaticus personam agat magistratus mere civilis, et quidquid ipse praestat, civilis dumtaxat et politicus actus sit, ac civiles effectus respiciat,

(1) Can. LXVII.
(2) De Syn. Dioec. Lib. VI. Cap. V. a. IV.

et nulla prorsus acatholici ritus professio habeatur, aut inde colligi possit, non improbatur quod pars catholica urgentibus schismaticis seu haereticis, aut civili lege imperante, eumdem ante vel post initum matrimonium adeat.

8. Sciant insuper animarum pastores, si interrogetur a contrahentibus vel si certe noverint eos adituros fore ministrum haereticum sacris addictum ad nuptialem consensum praestandum, silere se non posse, sed monere debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant. Verumtamen, ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu sacerdos seu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nec ne adire ministrum haereticum vel schismaticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de eodem adeundo, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem praestandum vel renovandum consensum, atque insuper ex adiunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo haud esse profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum; tunc sileat, remoto tamen scandalo et dummodo aliae ab Ecclesiae requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, nec non de universa prole in religione catholica educanda. Quod si sponsi ad parochum, seu sacerdotem catholicum pro benedicendis nuptiis accedant postquam eas coram ministro haeretico seu schismatico celebraverint, idque publice notum sit vel ipsis sponsis notificetur, catholicus sacerdos huic matrimonio non intererit, nisi servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens praeviis salutaribus poenitentiis a patrata culpa absolutionem rite prius obtinuerit.

9. Pauca de *sponsalibus* addenda supersunt. Sponsalia inter unam partem catholicam et alteram schismaticam seu haereticam illicita sunt atque adeo invalida nisi praevia legitima dispensatione celebrantur.

10. Itaque pro ea sollicitudine qua erga commissas sibi oves gerunt, enixe curabunt locorum Antistites, ut eas a mixtis nuptiis quoad fieri possit, deterreant, aut saltem nonnisi observatis adamussim debitis cautelis, legitimeque impetrata dispensatione illas permittant, eisdem impense inculcantes catholicum dogma, quod nempe, extra catholicam Ecclesiam salus obtineri non possit. Insistant celebris Apostolorum discipuli S. Ignatii M. verbis (1): *Ne erretis, fratres mei: si quis schisma facientem sectatur, regni Dei haereditatem non consequitur*. Excitandus tum a Vobis ipsis, tum a reliquis animarum pastoribus, christianus populus ad catholicam fidem et unitatem ardentiori usque studio custodiendam, atque ideo ad omne illius deserendae periculum vitandum, ut praefixus finis circa matrimonia mixta obtineatur.

(1) Epist. ad Philadelph.

11. Erit pariter eorundem Praesulum efficere, ut et fidelium memoria nunquam excidat notissimum naturalis divinaeque legis praeceptum, quo non solum peccata, sed et pericula ad peccatum proxime inducentia fugere iubemur; uti etiam aliud praeceptum, quo parentibus iniungitur filios educare in disciplina et correptione Domini, ac propterea ipsos erudire ad verum cultum, qui Deo unice in catholica Ecclesia exhibetur. Hinc oportet, animarum Curatores monere, ut gregi suo solerti invigilando, simul ac compererint adesse iuvenes vel virgines coniugale foedus cum heterodoxis inire volentes, ipsos eorumque parentes salutaribus imbuant doctrinis, nihilque omittant, quo eos a transgrediendis Dei et Ecclesiae mandatis avertant. Edocendi denique fideles, qua publicis catechesibus, qua privatis instructionibus circa constantem hac in re Ecclesiae doctrinam, ne unquam eos capiat oblivio canonum mixta connubia detestantium.

12. Et quoniam in gravissimo hoc negotio solius presbyteri arbitrio nil est relinquendum, ipsis iniungendum erit, ut de quolibet mixto matrimonio contrahendo quantocius Episcopum certiorem reddant, accuratissime delatis omnibus rerum, locorum, et personarum circumstantiis. Tam Episcopi quam parochi sedulo invigilent ut coniuges datas cautiones fideliter adimpleant.

Haec ut Summi Pontificis iussa faceret Sacra Congregatio Vobis significanda duxit, atque interim fausta omnia ac felicia adprecatur. (1)

Datum Romae ex Cancellaria S. Officii die 12 Decembris 1888.

Iosephus Mancini S. R. et U. I. Notarius.

Feria IV. Die 9 Ianuarii 1889.

Proposito dubio: « Utrum Ordinarii in casibus extremae necessitatis facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo, literis supremae Congregationis S. Officii sub die 20 Februarii 1888 concessam (1) Parochis et universim Confessariis approbatis modo generali antea subdelegare valeant, an non? »

Eminentissimi et reverendissimi DD. Cardinales, contra haereticam pravitatem Inquisitores Generales, decreverunt: « Supplicandum Sanctissimo, ut decernere et declarare dignetur, eos, quibus potestas huiusmodi supracitatis huius Supremae Congregationis literis diei 20 Februarii 1888, data fuit, posse illam delegare habitualiter Parochis tantum, sed pro casibus dumtaxat, in quibus deest tempus ad ipsos recurrendi, et periculum est in mora. »

Eadem vero die ac feria Sanctissimus D. N. in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita benigne annuere dignatus est iuxta eminentissimorum et reverendissimorum Patrum suffragia.

Ios. Mancini S. R. et Univ. Inq. Notar.

(1) Alia instructio pro clero latini ritus relata iam fuit Vol. VI, 456.
(2) Hae litterae relatae fuerunt Vol. XX, 543.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DREPANEN.

IURISPATRONATUS

Die 14 Decembris 1889.

Sess. 25 cap. 9 De reform.

Compendium facti. Vertente anno 1736 sacerdos Salvator Morello canonicatum in ecclesia Drepanensi s. Laurentii, tunc collegiata dioecesis Mazarien. nunc vero cathedrali Drepanensis dioecesis, adsignata dote fundavit.

Expresse tamen in tabulis dotationis ac fundationis, a notario die 14 Augusti 1763 rogatis, sibi suisque haeredibus et successoribus in perpetuum iuspatronatus his verbis reservatum voluit: « Tamquam fundator huiusmodi canonicatus, sibi praeservavit iuspatronatus et potestatem eligendi canonicos praesentis praebendae pro se et suis haeredibus et successoribus in perpetuum. »

Quia vero in ipsis fundationis tabulis sacerdos Morello se in primum canonicum « *annuente gratia Sanctitatis Suae* » voluerat; et quia insuper caverat « quod ipse donans possit tam in vita, quam in articulo mortis per actum publicum eligere et nominare secundum canonicum, successorem suum; et si absque nominatione a vita migrare contigerit, electio talis secundi sit suorum haeredum et successorum » hinc in executoriali apostolicae bullae, de electione a fundatore de se facta, delegatus apostolicus haec habebat: Nos igitur volentes in hac parte mandatum apostolicum exequi, teque de supradicto canonicatu providere .... eum tibi confirmus cum speciali servatione et respective concessione, privilegio et indulto iurispatronatus, et praesentandi personas idoneas ecclesiasticas coram loci Ordinario in dicto canonicatu et praebenda pro futuris vacationibus favore tui ipsius tuorumque haeredum et successorum, et pariformiter cum potestate

et facultate, tibi auctoritate praedicta apostolica concessa, ut semel tantum in vita, seu mortis articulo, possis liciteque valeas coram eodem loci Ordinario personam idoneam ecclesiasticam, quae in isto tuo canonicatu et praebenda succedat nominare. Si autem huiusmodi nominationem non feceris, statim ius antedictum patronatus favore illorum, quibus tunc de iure spectabit, locum habeat iuxta tenorem earumdem bullarum. »

Paulo post, ac praecise die 18 Iulii 1740, supremis testamenti tabulis, quibus decessit, sacerdos Morello in omnibus suis bonis temporalibus haeredem quasi fideicommissariam elegit matrem, eique substituit capitulum: in iure autem patronatu haeredem et successorem constituit sororem suam, Francisco Luparello nuptam, et filios ab ea natos, eisque defunctis, capitulum nominavit.

Re sane vera; et primum quoad bona patrimonialia haec testator cavit:

« In et super omnibus, et singulis bonis suis mobilibus, et stabilibus... nominat haeredem universalem Mariam Greco... eius *(sic)* dilectam genitricem, salvis legatis, et dispositionibus in praesenti contentis. Et voluit ac ordinavit et ordinat ipse testator quod dicta mater sua de bonis suis haereditariis sit administratrix bonorum ipsorum, cum facultate sibi, et pro eius mantenimento non solum usum et fructus, verum etiam si necessitas ita postulaverit, illorum capitale applicandi. Ea tamen mortua, et per horas tres ante eius mortem in dictis bonis haereditariis succedat, et succedere habeat, et debeat rñum capitulum dictae eius collegiatae parochialis ecclesiae s. Laurentii, quod vulgariter compendiose per fideicommissum in dictis bonis suis haereditariis remanentibus post mortem dictae eius matris substituit. Et hoc ad opus et effectum ut fructus totius residuae haereditariae sortis applicetur in missarum celebrationem ad sui suorumque suffragium. »

Relate vero ad iuspatronatu haec praescripsit:

Et quia testator ipse canonicatus sui in collegiata prae-

dicta s. Laurentii fundator est, in vim ac iuxta formam fundationis contractus celebrati in actis meis die quarta Augusti 1736, sub reservatione iuris eligendi canonicos successores ab haeredibus suis, ita quod ipsemet testator tam in vita quam in articulo mortis possit eligere secundum canonicum sui ipsius, qui primus est, immediatum successorem; ideo testator idem dixit, et declaravit, ac dicit, et declarat velle nominationem huius sui successoris in enunciata schedula testamentaria facere. Ius vero eligendi futuros canonicos in perpetuum in dicto suo canonicatu voluit ac vult, quod, durante vita Annae Mariae Morello eius sororis uxorisque Francisci Luparello, et suorum filiorum tam marium, quam feminarum natorum et nascendorum sit dictae eius sororis et filiorum suorum, qui, eorum et cuiuslibet eorum vita durante, intelligantur et sint haeredes iuris praedicti sub ordine sequenti, videlicet, vivente ipsa sorore sua, quoties occurrerit electio, et nominatio canonicorum, fiat electio et nominatio ipsa ab eadem sorore sua, ea vero mortua, fiat ab eius primo filio masculo, et in defectu a secundo, et sic successive usque ad extinctionem omnium filiorum masculorum, et eis deficientibus fiat electio et nominatio a filia femina maior nata, et in defectu a secunda, et sic successive ut supra usque ad eorum extinctionem; quibus omnibus extinctis, tam maribus quam feminis filiis dictae Annae Mariae eius sororis, ius praedictum eligendi, et nominandi canonicos successores in dicto canonicatu vadat ad rm̃um capitulum, tamquam eius haeredem universalem, a quo semper et usque ad infinitum, et in perpetuum fieri debeat huiusmodi electio, et nominatio, - cum expressa tamen conditione, quod existentibus tempore electionis, et nominationis, personis consanguineis ipsius testatoris clericis vel presbyteris, et capacibus talis canonicatus, eligi et praeferri omnibus aliis debeant dicti sui consanguinei, dummodo quod sint adscripti, seu ab illo tunc adscribantur in numero clericorum et presbyterorum dictae eius parochialis et collegiatae ecclesiae s. Laurentii et non aliter, nec alio modo. »

Fundatoris successor in canonicatu fuit sacerdos Gonzalez, in testamentaria schedula ab ipso fundatore, iuxta facultatem in erectionis bullis sibi attributam, electus. Eum excepit Dominicus Luparello, ac dein Ioannes Adragna, ille fundatori nepos, hic pronepos ex femina, uterque a fundatoris sorore eiusque filiis electus.

Mortuo Ioanne Adragna, et tum Anna Maria Morello-Luparello, tum eius filiis pariter extinctis, capitulum censuit ad iuspatronatum exercendum in vim testamenti superius relati se esse vocatum; ideoque die 11 Septembris 1808 canonicum elegit Franciscum Adragna, fundatoris pronepotem, quem Episcopus, nemine in contrarium reclamante, confirmavit.

At anno 1834, mortuo canonico Francisco Adragna, non ita res cessit. Nam capitulum elegit quidem ex parte sua sacerdotem Roasi; at Rosaria Adragna, de cognatione Annae Mariae Morello-Luparello sibi potius hoc ius spectare contendens, sacerdotem Siracusa nominavit. Controversia ad civile tribunal Drepanense delata, hoc sententia dici 13 Septembris 1834 rem definiit, decernens iuspatronatum activum ad capitulum spectare. Ab hac sententia mulier appellavit ad superiorem curiam Panormitanam, a qua obtinuit ut sententia inferioris iudicis infirmaretur, et iuspatronatus sibi concrederetur. Capitulo haud reclamante, post decendium in vim huius sententiae institutio canonica data est sacerdoti Siracusa a domina Adragna praesentato.

Anno sed vero 1845 Rosaria Adragna vita functa, quae, ex Panormitanae curiae sententia, absoluta et universalis canonicatus patrona recognita fuerat; in suo testamento disposuerat, ut huiusmodi ius ad cantorem et decanum eiusdem capituli cathedralis cederet. Hinc implicatior controversia parabatur, eaque, defuncto anno 1885 canonico Siracusa, statim efferbuit.

Siquidem cantor et decanus utpote liberi et absoluti patroni a Rosaria Adragna constituti ad canonicatum nuncuparunt sacerdotem Paulum La Via, a fundatoris cognatione

extraneum : capitulum vero contendens, ex sacerdotis Morello testamento activum patronatus ius sibi competere irritamque esse Panormitanam sententiam, ideo Ioannem Sanmartano elegit, fundatoris consanguineum et hac etiam de causa ceteris praeferendum. Rebus sic stantibus Episcopus ad S. C. C. rem detulit, ut controversiam dirimeret.

Disceptatio Synoptica

Defensio capituli. Procurator, qui partes tuetur capituli, ut ius patronatum activum clienti suo vindicet, colligit in primis, fundatorem testamentariis tabulis voluisse, ut exercitium iurispatronatus pertineret ad sororem suam Annam Mariam Morello-Luparello, et, ea mortua, ad eius filios successive iuxta aetatis gradum, et dein pariter ad filias, ac demum, his omnibus vita functis, ad capitulum. Quod ut probet, testamenti verba refert, quae sic sonant : « Quibus omnibus extinctis tam maribus, quam feminis filiis dictae Annae Mariae sororis, ius praedictum eligendi, et nominandi canonicos successores in dicto canonicatu vadat ad rm̃um capitulum, tamquam eius haeredem universalem, a quo semper, et usque ad infinitum, et in perpetuum fieri debeat huiusmodi electio, et nominatio. »

Quod autem iuspatronatus possit converti in ecclesiasticum, quamvis antea fuerit gentilitium, haereditarium vel mixtum nullatenus dubitari posse ait. Hoc siquidem tradunt Schmalzgrueber ad tit. *De iurepatr. p. 4 n. 6*, Ferraris *v. Iuspatr. a. 1 n. 12*, S. C. C. in *Civitatis Plebis canonicatus die 23 Decembr. 1826* § *Iuspatr.* In themate autem, ut ex relatis testamenti verbis luculenter evincitur, iuspatronatus non fuit nisi temporanee gentilitium ac haereditarium, usque dum nempe fundatoris soror eiusque filii vivebant; dein vero ad capitulum ex ipsa fundatoris voluntate cedere debebat et sic fieri ecclesiasticum.

Quin valeat obiicere, capitulum ad iurispatronatus exercitium vocatum fuisse, utpote universalem fundatoris haere-

dem, iuxta ea verba « ius praedictum eligendi et nominandi... vadat ad revñum capitulum, tanquam eius haeredem universalem: » capitulum vero fundatoris haeredem non evasisse. Respondet namque procurator, quod fundatoris mater, licet quasi fideicommissaria, iure tamen sibi a filio concesso usa, omnia filii bona divendidit: qua de causa capitulum iure fuit reapse haeres, facto vero non ita, ob passam a prima fideicommissaria iniuriam.

Nec ulterius excipi licet, quod capitulum haereditatem non adierit. Quandoquidem si non adiit expresse, tacite saltem eam certissime adiit et acceptavit, cum, Anna Maria Morello-Luparello eiusque filiis extinctis, die 11 Septembris 1808 ad canonicatum Morello, tunc vacantem, sacerdotem Ioannem Adragna elegit, et hanc nominationem a capitulo factam ratam habuit Episcopus et firmavit. Quod quidem fieri non potuisset, nisi capitulum implicite haereditatem acceptasset. Porro implicita ac tacita haereditatis aditio, quae habetur cum quis se gerit pro haerede, a lege permittitur, ac valida habetur. *L. 20 ff. De acquir. vel omitt. haered. et L. 21 et 88 ib.*

De cetero, prosequitur orator, cum verba clara nulla indigeant interpretatione, et testamentariae dispositiones nullam praeseferentes ambiguitatem ad unguem religioseque sint servandae, sequitur, in themate ius nominandi ad canonicatum Morello abstractum fuisse a descendentia Annae Mariae Morello-Luparello, et capitulo cessisse. Verba enim testamenti praecisis verbis iubent post mortem fundatoris sororis eiusque filiorum ac filiarum huiusmodi ius transferri in capitulum. Quapropter illegitime prorsus Rosaria Adragna, proneptis testatoris, ac neptis eius sororis, ad patronatum exercendum ius praesumpsit habere. Et eo minus, idem ius ex testamento in cantorem et decanum capituli, idest in extraneos transferre valebat. Nam dato parumper quod, praeter fundatoris sororem eiusque filios ac filias, ad patronatum vocati essent ceteri quoque descendentes, adeoque etiam neptis Rosaria Adragna; patronatus factus fuisset

familiaris et gentilitius, et ideo in extrancos transferri haud poterat.

Nec quidem valere subdit civilis curiae Panormitanae sententiam, quae Rosariae Adragna liberum patronatum recognovit. Quandoquidem in primis iudex laicus de causis iurispatronatus cognoscere non potest, quia obiectum iudicii intime cum iure spirituali est connexum, et ordinatur ad beneficii collationem, ideoque licet iudicium directe et immediate materiam temporalem afficeret, tamen cum materia temporalis spirituali sit adnexa, cognitio ad ecclesiam pertinet, quia « magis dignum trahit ad se minus dignum,.... et res temporalis desinit esse talis quamprimum spirituali adnexa sit. » Schmalzgrueber *tit. 1 De iudic.* § *3, n. 50, 51.* Unde Alexander III *cap. 3 De iudic.* ita cavit: « Causa... iurispatronatus ita connexa est et adnexa spiritualibus causis, quod nonnisi ecclesiastico iudicio valeat definiri. »

Praeter haec addit, quod in regno Siciliae tunc temporis iurisdictio ecclesiastica in materia beneficiaria erat prorsus recognita et ecclesiae attributa, ceu apparet, ceteris missis, ex regio rescripto edito die 22 Augusti 1772 in causa *Aversanen. iurispatronatus,* in quo Rex declaravit, cum ageretur de beneficio ecclesiastico, licet de patronatu laicali, causae cognitionem ad ecclesiasticum forum pertinere. Quod cohaerens erat praecedenti generali regio decreto diei 9 Iunii 1770, et iterum in posterum invenitur confirmatum ex regia resolutione Consilii status diei 9 Novembris 1819.

Hinc haud mirum esse inquit, quod ipse Episcopus sentiat civilis curiae Panormitanae sententiam ex competentiae defectu nullam atque irritam fuisse.

Ex quibus omnibus capituli procurator confidit capituli ius, licet ex civilis iudicis sententia laesum, a S. C. C. restitutum iri.

Defensio presbyteri Sanmartano. Qui vero partes agit sacerdotis Sanmartano et ipse ad dotationis instrumentum et ad testamenti verba, quae peremptoria iudicat, confidenter appellat. Recolit namque sacerdotem Morello canonicatum

fundasse pro se et suis, idest patronatum passivum in sui suorumque favorem constituisse. Sane sic legitur in dotationis instrumento: « *sponte per se et suos* vi praesentis inter vivos actus libere, simpliciter et irrevocabiliter donavit et donat... et tanquam fundator huiusmodi canonicatus sibi praeservavit iuspatronatus et potestatem eligendi canonicos praesentis praebendae pro se et suis haeredibus et successoribus in perpetuum, prout vi praesentis eligit semetipsum in canonicum. »

Et vel clarius in testamenti tabulis haec fundator praescripsit: « Omnibus extinctis, tam maribus quam feminis filiis Annae Mariae sororis, ius eligendi... vadat ad revñum capitulum, tanquam eius haeredem universalem... cum expressa tamen conditione quod existentibus tempore electionis et nominationis personis consanguineis ipsius testatoris clericis vel presbyteris et capacibus talis canonicatus, eligi et praeferri omnibus aliis debeant dicti sui consanguinei. »

Quin dicatur sacerdotem Sanmartano a capitulo esse praesentatum: capitulum vero iure praesentandi destitui: ideoque praesentationem esse nullam, et sacerdotis instantiam repellendam. Quandoquidem etiam admisso defectu iuris in capitulo, nihilominus cum sacerdos Sanmartano de sanguine fundatoris sit, iam ab ipso fundatore vocatur, nec refert quod non fuerit, vel haud legitime fuerit praesentatus. Canon enim iurisprudentiae est, quod in casu iurispatronatus passivi, nominatio et institutio clerici a fundatore vocati sit necessaria: et vocatus licet a patrono in praesentatione omissus ab eomet Ordinario debeat, si sit idoneus, eligi et institui. Lambertini *l. 2 p. 1 q. 8 a. 4 n. 11,* Pitonius *alleg. 82 n. 10,* C. De Luca *Discept. 18 De iurep. n. 3.* Quae theoria adstruitur atque ampliatur ex generali principio a Glossa in *cap. Neminem dis. 70 v. Possess.* laudato, quod nempe « potius sunt illi clerici instituendi de quorum bonis fundata est ecclesia » et a S. Rota in *decis. 120 n. 40* et *decis. 122 n. 11 et 12 part. 11 Recent.* firmato his verbis, nempe « sacri canones quemadmodum ad alliciendos fideles

largiti sunt fundatoribus iuspatronatus in parte activa nominandi, ita multum inclinant ad praeferendum sanguinem et descendentes ab eisdem fundatoribus in altera parte passiva. »

Nec refert quod testator in fundationis tabulis de passivo patronatu explicite non sit loquutus; nam implicite saltem et aequivalenter, iuxta oratorem, illum sibi vindicavit, cum dixit se praebendam canonicalem fundare *per se et suos*.

Insuper perpendit, quod pius ille sacerdos in actu fundationis « praeservavit sibi iuspatronatus et potestatem eligendi canonicos praesentis praebendae pro se et suis haeredibus et successoribus. » In vim itaque huius generalis reservationis aequa erat fundatori facultas disponendi quandocumque de iure eligendi. Quod cum fecerit in testamenti tabulis, valida et efficax est dispositio aeque ac facta fuisset in fundationis limine.

Idque valere etiam ait, et si tale ius sibi non praeservavisset, innixus doctrinae Gagliardi qui in *com. De iure-patr. t. 2 c. 21 n. 12*, haec habet: « fundator cum consensu Ordinarii potest extra limen fundationis addere patronatum passivum in favorem familiae domusve suae vel concivium vel collegialium ecclesiae, quia talem conditionem non iuri contrariam, sed consonam pronunciavit Rota in *decis. 120 n. 10 p. 2 recent.* »

Imo S. Rota in *decis. 122 p. 11 Recent.* edocuit « cessante alterius praeiudicio suis fere legibus sive ante, sive post episcopalem assensum fundator haud adstringitur, qui valet ob id praesentare clericum, qualitates in fundatione praescriptas non habentem... aut patronatum haereditarium convertere in familiarem et gentilitium, vel ei superaddere patronatum passivum. »

Neque subsumere valeret, fundatorem in testamento suo, dicendo « ius eligendi... vadat ad rev. capitulum tamquam eius haeredem universalem cum expressa tamen conditione, quod... eligi et praeferri omnibus aliis debeant dicti sui consanguinei, » duo aperte voluisse, nempe 1. quod capitulum

non simpliciter et absolute in iuspatronatus succederet, sed dumtaxat tanquam haeredem universalem, et insuper 2. quod capitulum, in casu successionis, patronatus passivi obligatione obstringeretur; quae conditio quum capitulo quidem, minime vero ceteris successoribus, fuerit adiecta, capitulum utique obligat, at nequaquam ceteros. » Atqui capitulum numquam haeres Morello evasit. Ergo una simul ex his rationibus ius capituli ad praesentandum, et ius etiam sacerdotis Sanmartano praesentati ac passive in hypothesi vocati subvertuntur.

Quando quidem respondet patronus, in primis inverosimile prorsus esse, fundatorem, qui canonicatum fundavit *per se et suos*, in testamentariis tabulis ius patronatum passivum suorum limitavisse, et in peculiari dumtaxat hypothesi, si nempe capitulum activum patronatum exercuisset, praescripsisse ut sui praeferrentur.

Praeterea animadvertit assertionem, quod capitulum haeres Morello non extiterit, falsam esse tam in facto quam in iure. In facto quidem quia capitulum plura praestitit quae clare ac manifeste revelant, istud haereditatem, si non expresse, tacite saltem adiisse; ceu patet ex iis, quae egit annis 1808 et 1834, quando ad vacantem canonicatum Morello sacerdotem sibi benevisum elegit.

At in iure quoque obiecta ratio non procedit. Quandoquidem tempore quo fundator testamentum condidit romanum ius in Sicilia vigebat, quo cavebatur ad validitatem testamenti fideicommissum continentis satis esse, ut haeres fiduciarius haereditatem accepto haberet. *Tit. Ad Senat. Trebel.* § *7 et 8*. Porro in themate Rosaria Greco, haeres fiduciaria, abs dubio haereditatem acceptavit. Quapropter et capitulum. Et sic potissima ex difficultatibus, quae contra capitulum et sacerdotem Sanmartano movetur, iuxta patronum, subvertitur.

Defensio sacerdotis La Via. Qui partes agit favore sacerdotis La Via tuetur validitatem praesentationis a canonicis decano et cantore favore eiusdem editae, atque ad rem exhibet in actis documenta. Hoc praemisso, praeiudicialiter animadvertit quod quaestio quae nunc excitatur, eo

dirigitur ut sententia Panormitana diei 6 Dec. 1836 ad nihilum reducatur ab iis qui carent veste standi in iudicio et idcirco forent ab ipso limine expellendi. Capitulum siquidem nullam appellationem, aut recursum ad S. Sedem interiecit contra praefatam sententiam, hinc perempta omnis actio est habenda iuxta sacros canones ex Clementina *Sicut appellationem de appell.*, ne lites in aevum foveantur. Quod vero reapse capitulum non appellaverit, testimonio cancellarii Curiae episcopalis constare ait.

At nedum capitulum ob non ius actoris; sed et ipse Sanmartano, qui passivam suam vocationem extollere gestit, ab ipso iudicii limine repellendus videtur, siquidem ipse regularis est Minorum observantium s. Francisci. Porro qui huiusmodi est, nonnisi speciali indulto, quod concedi non solet, canonicatum in ecclesia cathedrali consequi potest, S. Congreg. in *Asten. 15 Decembris 1646*. Atqui, urget patronus, solummodo pendente lite, transactisque sex mensibus ad eligendum, indultum saecularizationis obtinuit. Accedit quod fundator eum eligi iusserit qui ecclesiae s. Laurentii clero sit adscriptus. Compertissimi enim iuris est quod si copulative plures conditiones adiectae sint in fundatione, omnes sint adimplendae Voet *ad ff. lib. XXVIII tit. VII, 29* § *pen. Institution. de haer. instituen.* Atqui sacerdos Sanmartano nec adscriptus est, nec adscribi iure potest ad cathedrale s. Laurentii capitulum. Quin dicatur civilem Panormitanae curiae sententiam esse nullam ex competentiae defectu, siquidem causae iurispatronatus ab ecclesiastico et non a laico iudice sunt dirimendae. At, respondet orator, non obstante hac regula generali, recognitam fuisse competentiam tribunalis civilis in iis casibus, in quibus ius patronatus *incidenter*, et *accessorie* tractatur, principaliter vero de feudis, legatis, et successionibus haereditatum agitur. Thesim auctoritate Canonistarum revincere satagit, ac praeprimis ex Reiffenstuel qui *lib. II, tit. I De iudiciis num. 76* haec habet: « Ceterum hactenus dicta, videlicet quod iudex laicus nequeat cognoscere de iurepatronatus et huiusmodi, intelli-

gere de per se, ac principaliter iudicando; nam accessorie, ac secundario potest, ut puta iudicando super castro cui adnexum est iuspatronatus. Sicut a pari licet iuspatronatus per se vendi non possit, *potest tamen vendi* per venditionem universitatis, cui inseparabiliter adhaeret cap. Cum saeculum 13 De iurepatr. » Praesertim quia, uti docent Canonistae, continentia causae facit, ut iudex, qui competens non esset, competens evadat, et in iudiciis omnis repugnantia evitetur. Devoti *Instit. lib. III tit. 4 § 18,* S. Rota in *Romana Pecuniaria 13 Ian. 1836 § 8.* Declarat porro Gallemart *adnot. ad Concil. Trident. Disc. XXIII n. 20* causas mere ecclesiasticas, eas esse in quibus clerici et personae ecclesiasticae a laicali foro *penitus exemptae sunt et ubi agatur principaliter de iurepatronatus.*

In facto porro esse, adnotat patronus, quod pius fundator substituerit capitulum eique accessorie iuspatronatum concesserit, si modo haeres *universalis* evaderet, quando germana soror decederet, et nulli extarent filii. *Vadat ad rēum capitulum tamquam eius haeredem universalem.* Ergo laicus forus competens ad iudicandum de iurepatronatu erat, utpote de re cum haereditate et universitate bonorum coniuncta. Atque eo vehementius inspectis concessionibus Romanorum Pontificum, quibus fruebatur monarchia Sicula ob *eliminatum Saracenorum tyrannidem, catholicam fidem restitutam, ecclesiasque Romanae iterum subiectas* iuxta bullam Urbani II. Porro locales consuetudines et mores in pretio habendas, nec de facili veterem eliminari praxim ecclesiastica prudentia docet, quae etiam tolerat acquiri posse simplici praescriptione *iurisdictionem, et fori competentiam ex cap. Cum contingat, De foro competenti:* nam communiter dicitur, consuetudo iurisdictionem dat, et aufert; Schmalzgrueber *tit. 32 De iudiciis.*

At, quod valde in themate prae oculis debet haberi, est conventio inita inter Benedictum XIV, et Carolum III Regem utriusque Siciliae anno 1741; in qua statutum est ut ad ecclesiasticam iurisdictionem pertineant: « Causae be-

neficiales, exceptis iurispatronatus regii vel feudalis, et illis causis quarum sententia *dependet ab examine utrum patronatus sit adnexus feudo, aut de universitate bonorum in aliis laicalibus patronatibus.* » Atqui in themate agebatur de qualitate haeredis universalis, quam fundator in capitulo expresse requisivit. Si ergo iudices legitima competentia ex ipso S. Sedis beneplacito fruebantur, concludit patronus legitimam fuisse sententiam, quae remiudicatam constituit. Rem confirmat patronus, allegando Salzano *Esercizio della giurisdizione della Chiesa nel foro esterno Ap. 16.* Quin dicatur in themate iuspatronatu laicale non fuisse sed ecclesiasticum. Quandoquidem iuspatronatus ad capitulum adhuc non transiverat, et ideo ex laicali ecclesiasticum adhuc non evaserat. Quo casu laicum adhuc censeri posse eruitur ex Fargna *De iurepatron. t. VI c. I n. 2.* Accedit quod competentia iudicis laicalis versabatur etiam in quaestione super interpretatione vocabuli - filiorum -, utrum nempe hoc sub vocabulo intelligerentur nepotes, ac descendentes. Licet enim alii in contrariam inclinent sententiam, tamen *leg. 22 ff. de verb. significatione* haec cauta leguntur: Filii *appellatione saepe, et nepotes accipi multifariam placere. Praeter haec omnia natura quoque nos docet parentes, qui liberorum procreandorum animo et voto uxores ducunt filiorum appellatione omnes qui descendunt contineri.* - Idcirco concludit ex ipsa literali Concordati dispositione competentiam tribunalis Panormitani absque dubio comprobari, et ideo stante re iudicata, nil aliud esse inquirendum *Lege 12, 13, 14 ff. De exception. rei iudicatae*, Pothier *De obligation. n. 930*, Duranton *tom. VII num. 637*, Merlin. *voc. Cosa giudicata.* Eadem siquidem petitio hodie reproducitur, quae iam a capitulo anno 1834 introducta est, contendendo sibi ius nominandi pertinere ad canonicatum Morello, quam tamen tribunal reiecit. Evitandum itaque est *ne bis in idem iudicetur.*

At vero semel constabilita efficacia et competentia sententiae Panormitanae, omnino excludendum est, ait patronus, ipsum iuspatronatu passivum, quippe quod fundator unice

in substitutione capitulo adiecit. Cum igitur capitulo non competat ius patronatus activum, subinfert nec consanguineos iuspatronatum passivum praetendere valere. Corruente siquidem supposito corruet dispositum, et compertissimum est, efficaciam reiiudicatae extendi ac tangere omnes, qui ab ea originem et actionem repetunt *Argum. l. 31 ff. De pignor. et hypot.* Schmalzgrueber *De sent. et reiudic. n. 83 etc.*

Quia dicatur conditionem de patronatu passivo capitulo adiectam omnes haeredes et successores afficere: respondet namque Iavolenus *De conditionibus et demostration.*, « *Si conditio ad certas personas accommodata fuerit eam referre debemus ad eum dumtaxat gradum, quo hae personae institutae fuerunt.* » Cui concordat Caius in *leg. 73 ff. De haered. instituen.* - ibi - « Sub conditione haerede instituto, si substituamus, nisi eamdem conditionem repetemus, pure eumdem haeredem substituere intelligimus. » Troplong *De donationibus n. 421, et seq.* Accedit insuper in facto, ab ipso fundatore extraneum sacerdotem fuisse nominatum, nec ullam in bullis, quibus Episcopi canonicam institutionem nominatis contulerunt, mentionem fieri de consanguineis, an reapse extiterint, quod necessario erat significandum.

Postremo, animadvertit orator, quod si contra remiudicatam, quae suo robore subsistit, aliter iudicetur, difficultates maximae suborirentur ex parte Gubernii, cui pro *regio placito* erit recurrendum.

Hisce utrinque perpensis, dirimenda proposita fuerunt, quae sequuntur

Dubia

I. *An et cui competat iuspatronatus activum in casu.*

II. *An et cui sit adiudicandus canonicatus in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 14 Decembris 1889 censuit respondere: *Ad I affirmative favore duarum dignitatum: Ad II affirmative favore Sacerdotis La Via.*

Ex quibus colliges I. Compertissimi iuris esse, quod si copulative plures conditiones adiectae sint in fundatione, omnes sint adimplendae.

II. Iudicem laicum de iurispatronatus causis cognoscere haud posse, licet iudicium directe et immediate rem temporalem afficeret, quia, cum res temporalis spirituali sit adnexa magis dignum trahit ad se minus dignum et res temporalis desinit esse talis quamprimum spirituali adnexa sit.

III. Posse tamen iudicem laicum de huiusmodi causis cognoscere, quando iuspatronatus *incidenter et accessorie* tractatur, *principaliter* vero de feudis et legatis ac successionibus haereditatum agitur, quibus iuspatronatus inseparabiliter adhaeret.

IV. In vim conventionis inter Benedictum XIV et Carolum III utriusque Siciliae regem initae, ecclesiasticae iurisdictioni causas beneficiales reservatas fuisse, exceptis iurispatronatus regii vel feudalis et illis causis, quarum sententia dependet ab examine utrum patronatus sit adnexus feudo, aut de universitate bonorum in aliis laicalibus patronatibus.

V. *Ex leg. 22 ff. de verb. significatione* filii appellatione saepe nepotes accipi et omnes qui descendunt contineri.

VI. Tacitam haereditatis aditionem, quae habetur cum quis se gerit pro haerede, a lege permitti ac validam haberi.

VII. Clericum a fundatore vocatum, ab ipso Ordinario eligendum et instituendum esse, etsi a patrono in praesentatione fuerit omissus, dummodo aliunde de ipsius idoneitate constet.

VIII. Quandoquidem ss. Canones, quemadmodum ad alliciendos fideles largiti sunt fundatoribus iuspatronatus in parte activa nominandi, ita multum inclinant ad praeferendum sanguinem et descendentes ab eisdem fundatoribus in altera parte passiva.

IX. Fundatorem cum consensu Ordinarii posse extra limen fundationis addere patronatum passivum in favorem familiae domusve suae, vel concivium vel collegialium ecclesiae, quia

talem conditionem non iuri contrariam sed consonam pronunciavit.

X. Cessante alterius praeiudicio suis fere legibus sive ante sive post episcopalem assensum, fundatorem haud adstringi, qui valet ob id praesentare clericum, qualitates in fundatione praescriptas non habentem, aliaque onera et requisita abrogare aut patronatum haereditarium convertere in familiarem et gentilitium vel ei superaddere patronatum passivum.

FERRARIEN.

MATRIMONII

Die 5 Maii et 1 Decembris 1883, et 7 Septembris 1889.

Sess. 24, Cap. 1 de ref. matr.

Compendium facti. Francisca, filia Thomae Larusso, ducis in militia italica, patrem secuta, dum Ianuae degebat, verbis matrimonii et artibus cuiusdam Gherardi Pietrafesa, medici militaris, sese nimium facilem praebuit. De hoc certior factus puellae pater, magno correptus furore, et filiae et Gherardo extrema minitatus est, nisi in matrimonium sese unirent, ea tamen lege, ut Francisca non traderetur viro nisi post constitutionem dotis, quam eo in momento ipse praestare non poterat. Atque Gherardo moras nectenti dixit, quod singulare certamen secum habere debuisset, si nuptiae quamprimum non fierent; filiaeque mandavit ne suum consensum auderet recusare.

Hinc factum est ut die 22 Aprilis 1864, dispensatis proclamationibus, in metropolitana ecclesia Ianuensi servato ritu catholico, matrimonium celebratum fuerit. Quo peracto, pater filiam statim secum in domum reduxit, et eodem die vel insequenti, Barium cum ea perrexit. Ibi Francisca apud aviam mansit, donec omnia pararet quae necessaria erant ut Institutum *Battifort* ingrederetur; quod revera ingressa est

duos fere post menses. Gherardus vero domum suam repetiit, in oppido *Rionero*, intra fines dioeceseos Melphictensis.

Per septennium Francisca in dicto Instituto commorata est, quo tempore nonnullas accepit epistolas a Pietrafesa, cui et responsum dedit. In huiusmodi litteris de dotis constitutione, ut plurimum, agebatur, Gherardus enim in id insistere visus est, asserens sese nullo modo posse eam sine dote secum habere. Ita res permanserunt usque ad annum 1871, quando, patris habito consensu, avia comite, Francisca, relicto Instituto Battifort, ad patrem reversa est. Sed pauco tempore paterna gavisa est societate, nam Thomas, Ferrariae, dum ibi praesidio erat, anno 1874 diem obiit supremum.

Infausta hac occasione quidam Ioannes Balboni humanissimum se praebuit; Franciscae et aviae, omni quo potuit subsidii genere, profuit; suum animum aperuit, Franciscae matrimonii propositum manifestando, eam cum avia Barium comitatus est; iterum iuvenem in Instituto *Battifort*, suis expensis, collocavit, a quo post tres menses Ferrariam reduxit. Eo ex tempore Ioannes et Francisca, ut vir et uxor vivendo prolem habuerunt.

Aliquot post annos huiusmodi consuetudo vitae innotuit Gherardo Pietrafesa, qui tunc, ceu ipse enarrat, se solutum ab omni obligatione reputans, habito liberi status testimonio, cum alia muliere, anno 1878, alterum matrimonium contraxit, ex quo tres filios habuit. Huiusmodi unionem anno 1880 Franciscae significavit.

Ita se res habebant, cum Francisca, eodem anno 1880, supplici libello petiit a Summo Pontifice, ut dispensaretur a matrimonio cum Gherardo contracto, tum ut suae conscientiae consuleret, cum ut rite Ioanni Balboni uniri posset, ac prolem legitimare.

A S. Congregatione Concilii, prout de more, Ordinario Ferrariensi commissa fuit confectio processus, super matrimonio rato et non consummato, nec non super causis dispensationis.

Curia Ferrariensis, mandato S. Congregationis obsequens,

processum confecit, atque quaestio, iuris ordine servato, proposita est, in comitiis generalibus die 5 Maii 1883, sub consueto dubio: *An consulendum sit SSmo super dispensatione matrimonii rati et non consummati;* et Emi Patres rescribendum censuerunt: *Dilata et compleantur acta processus, iuxta instructionem a defensore matrimonii ex officio conficiendam.* Hisce peractis, iterum proposita fuit, die 1 Decembris eiusdem anni 1883, et iterum dimissa fuit responsione: *Dilata et compleantur acta processus iuxta instructionem a matrimonii defensore iterum conficiendam et amussim servandam.* Tandem tertio causa oeconomice proposita est, cum voto utriusque consultoris et animadversionibus defensoris matrimonii ex officio.

Disceptatio Synoptica

Votum canonistae. Canonista totus in eo est ut ostendat, Gherardum et Franciscam matrimonium consummare minime potuisse. Et revera Gherardus minis adactus matrimonium iniit, et ea sub conditione quod puellam secum non duceret nisi post constitutam dotem; atque ita est factum. Francisca statim cum patre suam domum petiit; Gherardus ceu aliquis testis deponit *immediate ad suam* patriam profectus est. Eadem die vel ad summum die insequenti, pater ducit Barium suam filiam, quae per duos menses apud aviam commorata est, quo tempore, ceu testatur Nicolaus Fino, nunquam a Gherardo visa fuit. Duobus mensibus transactis, Institutum *Battifort* ingressa, ubi, ceu deponit Anna Wambacher « *nunquam visitata fuit a Pietrafesa.* » Ab Instituto, Avia comitante, ad patrem regressa est Francisca, et testes deponunt hac occasione maritum suum non vidisse. Mortuo patre in manus venit Ioannis Balboni, cuius soror Albina deposuit: « *se asserere posse cum absoluta* certitudine, *nunquam Pietrafesa Ferrariam venisse, neque Franciscam cum eo epistolare commercium habuisse, si excipias unam vel alteram epistolam, circa negotium de quo est quaestio.* »

Huiusmodi separationem quam testes adstruunt, tum Francisca, cum Gherardus confirmant, de quorum veracitate, cum spectatae famae testes, dubitari non posse, deponant, tenendum est coniuges, a momento celebrati matrimonii nunquam simul fuisse, atque matrimonium consummari non potuisse.

Hinc canonista concludit dispensationem esse concedendam.

Votum theologi. Idem sentit theologus, qui prius probat matrimonium validum hoc casu fuisse, eo quod metus, si quid metus interfuit, non abstulit voluntarium, et consensus fuit liber: « *valeret matrimonium, si pater ad ulciscendam iniuriam comminaretur mortem, et alter ad se liberandum iniret nuptias.* » Ita docet s. Alphonsus (*Lib. 3* 1049).

Ast omissa validitatis tractatione, theologus quoque matrimonium non consummatum fuisse sustinuit, accurato instituto examine, et facta collatione depositionum variorum testium et iuramenti coniugum.

Cuius iuramenti vim contra defensorem ex officio, sustinuit, quia non facile iudicare debemus proximos fuisse periuros, praesertim quando in coniugum depositione nulla appareat contradictio. Probata non consummatione, gravissimas caussas haberi pro dispensatione subiunxit theologus; atque esse: 1. Impossibilitatem reconciliationis inter Franciscam et Gherardum, quae impossibilitas clarissima ex factis exurgit; 2. Periculum tum in muliere cum in viro permanendi in adulterio. 3. Legitimationem prolis. 4. Amotionem publici scandali; quas causas centies admisit Sacra Congregatio ut dispensationem indulgeret - super matrimonio rato et non consummato. -

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Hisce quae a canonista et theologo disputata sunt, opponebatur defensor matrimonii ex officio, qui, posita validitate matrimonii, pervetustum iuris adagium - *Stuprator aut dotet, aut nubat, aut ad triremes* - in mentem Eminentissimorum Patrum revocavit, atque contendit certam non esse non consummationem matrimonii, quia minime ostenditur coniuges

post expletas nuptias, vel minimo temporis momento fuisse *solum cum sola;* eo vel magis quod nonnulli testes contrarium suadent.

Porro quidam Cavasci Ferrariae affirmavit: - *sese vidisse propriis oculis pluries supradictos* (Franciscam et Gherardum) *iam matrimonio ecclesiastico coniunctos, in eodem maeniano* - e contra in Curia Brixiensi deposuit, id potuisse accidere in iis diebus in quibus de matrimonio celebrando agebatur, sed *sese eos nunquam vidisse.* Quod secundum assertum admitti non posse aiebat defensor, quia est contradictorium primo, quod tempore non suspecto manifestaverat.

Insuper Francisca, amitae suae Philumenae Larusso edicere solebat, quod *tribus diebus tantum cum marito coniuncta fuerat,* quae declaratio maximi ponderis est, quia nullo interrogante et absque praeventione facta fuit atque relata a teste Franciscae benevola.

Ex quibus factis, atque aliis adminiculis, deducere conabatur defensor officiosus matrimonii consummationem, quae dispensationis impossibilitatem secum tulisset.

Hisce, aliisque disputatis traditionale propositum fuit

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra Concilii Congregatio, die 7 Septembris 1889, re tertio discussa, respondendum censuit: *Affirmative.*

CONCORDIEN.

DIVISIONIS PAROECIAE ET ERECTIONIS

Die 7 Septembris 1889.

Sess. 24. Cap. 15. de Ref.

Compendium facti. Huiusmodi quaestio proposita fuit die 8 mensis Iunii 1889, et Emi Patres rogati: *an et quo-*

modo annuendum sit precibus pro divisione ecclesiae parochialis S. Martini de Asio et erectione novarum paroeciarum, responderunt: *affirmative prudenti iudicio Episcopi, dummodo cautum sit de convenienti congrua pro singulis paroeciis erigendis.*

Hoc rescripto vix edito, quaestio orta est, utrum verbum *divisio* novarum paroeciarum erectionem una cum antiquae S. Martini ecclesiae suppressione indicaret, an potius per illud verbum simplex dismembratio intelligeretur firma remanente antiqua matrice s. Martini. Episcopus enim in sensu suppressionis ecclesiae paroecialis s. Martini et novarum paroeciarum erectionis usurpandum esse putabat: Municipes vero Clauzetti in sensu simplicis dismembrationis accipiendum esse sustinebant.

Hinc ad quodlibet dubium in themate amovendum, Episcopus S. C. C. adivit petens, ut declararetur, num sub hoc verbo veniret simplex dismembratio, ita ut ecclesia matrix cum parocho titulari s. Martini subsistere adhuc deberet, vel an ecclesia matrix suppressa intelligenda esset, ita ut praeter fractiones *Viti de Asio, canalis Viti et Anduini*, etiam *Clauzettum* in paroeciam erigendam esset, onere huic imposito sibi congruam constituendi, ceu memoratis aliis fractionibus praescriptum fuerat.

Et hanc declarationem Curia episcopalis exquirere ex re sua esse duxit, ex eo quod Municipes loci Clauzetti tum voce tum scriptis institerant, ut antiqua s. Martini paroecia non supprimeretur, sed ut eadem conservaretur qua parochialis pro Clauzetti et pro aliis locis et fractionibus, quae una simul cum Clauzetto ab antiqua Matrice s. Martini divelli haud patiebantur.

Disceptatio Synoptica.

Quae favent episcopi voto. Episcopi votum, quod suppressioni magis quam dismembrationi cohaeret, nedum praecedentis resolutionis ac rescripti suffragium, verum etiam ipsam aequitatis et prudentiae rationem pro se habere vi-

detur. Sane Episcopus recolit, in facto esse, antiquum s. Martini territorium ellipseos formam ferme habens 28 millia passuum in longitudinem; 15 millia in latitudinem; per circuitum vero 111 millia passuum extendi. In hoc tam amplo territorio assurgere montem Asium in cuius vertice adsunt parvi vici *Fratte*, *Parcon*, *Battaes Reugous* nuncupati. Insuper trans montem ad septemtrionem esse duo loca *Canal di Vito*, et *Canal d'Arzino* vel *s. Francesco* vulgo dicta. Cis montem vero, seu ad meridiem, se extendere districtum *Clauzetto* nec non duo minora loca *Vito d'Asio* et *Anduins*. At Clauzetti districtum ampliorem ceteris esse et municipium ex se constituere: quatuor vero alia loca nempe *Canal di Vito* et *Canal d'Arzino* trans montem, ac *Vito d'Asio* et *Anduins* cis montem insimul efformare aliud municipium, quod *Viti de Asio* nomine venit. Matricem autem ecclesiam s. Martini, licet districtui Clauzetti proximam, nihilominus inter fines loci et municipii Viti de Asio existere.

Hisce in facto praestitutis Episcopus proponit, ut in suis quibusque locis, iuxta fines naturales ac civiles, ecclesiae paroeciales constituantur. Cum igitur in loco *Clauzetto* ecclesia s. Iacobi habeatur, apud quam ab antiquis temporibus parochus s. Martini residere consuevit; hanc ecclesiam in parochiam erigendam esse ait. Idemque fieri subdit pro locis Viti de Asio, Anduini et Canalis Viti. Adeo ut ecclesiae s. Michaelis, s. Margaritae et s. Antonii, quae usque modo ecclesiae curatae fuerunt, ad ecclesias parochiales elevandae sint.

Neque iis contentus Episcopus in votis haberet, ut in loco *Canale d'Arzino*, sicut in aliis duobus, scilicet *Casiacco* et *Pradis*, quae sunt ad extremam totius territorii partem, totidem vicariae curatae constituerentur, uni vel alteri paroeciae adscribendae, aut etiam independentes constituendae, prout tempus et circumstantiae dictaverint. Demum ecclesiam s. Martini, quippe quae seorsim ab habitatoribus iacet et parochianos ab aliis ecclesiis distinctos haud habet, nulli prorsus loco nullique paroeciae adscribendam

Episcopus autumat, sed in custodiam tradendam tribus novis parochis cum concursu omnium dismembratae paroeciae sacerdotum.

Res cum ita se habeant, Episcopus subdit maxime congruere, ut spiritualis iurisdictionis divisio cum naturali ac civili territorii divisione coincidat. Praeterquam quod enim aequum est rationem habere de iis causis sive naturalibus sive civilibus, quae concurrerent ad uniendos vel dividendos cives et in distincta municipia constituendos, id insuper utile est, quandoquidem difficultates tollit et faciliorem ipsam administrationem spiritualem reddit. Hinc mirum non esse, quod omni tempore Ecclesia tam in paroeciarum quam in dioeceseon constitutione, quoad potuit et nisi speciales circumstantiae obstiterint, hoc quoque prae oculis habuerit, ne iustas populi propensiones et politicas naturalesque divisiones offenderet.

Quoad vero peculiarem conditionem in qua matrix s. Martini ecclesia collocaretur, observatum fuit ex ea antiquae paroeciae honori et conservationi satis superque provideri, simulque iustis municipii de Asio exigentiis satisfieri. Etenim, cum matrix s. Martini ecclesia in municipali Clauzetti territorio sita haud sit, sed intra fines municipii de Asio consistat, omnium consiliorum optimum videtur hanc ecclesiam nulli loco adscribere, eamque neutram et independentem relinquere. Siquidem quaelibet eius adscriptio alteram partem offenderet. Utrumque enim municipium titulos profert ad matricem sibi vindicandam. Vitus quidem de Asio, quia matricem suis finibus includit, et forte aegre ferret alterius municipii sacerdotem suos fines ingredi; Clauzettum vero, quia locus ceteris praestantior est et antiqui parochi sedes. Hisce et aliis pluribus perpensis, Episcopus concludit rescriptum ab H. S. C. prolatum non pro simplici dismembratione, sed pro suppressione ecclesiae s. Martini accipiendum esse.

Quae Clauzetti Municipio favent. Ex altera vero parte municipes Clauzetti pro aris et focis dimicant, n ab antiquo

hoc titulo parochiali divellantur: id namque sine gravi sive temporali sive morali suo detrimento contingeret. Siquidem exinde necessarium fieret ut : 1. Onus Clauzetti oppido imponeretur novam congruam parocho et novis capellanis constituendi. Cessante enim antiqua congrua in vim abolitionis parocciae, ipsa decima, seu quartesium constitui haud posset, ex eo quod lex civilis id prohibet. Hinc Clauzettum ingentem pecuniae summam pro parochi congrua et pro capellanorum substentatione efformare deberet, quod efficere haud posset, quia aere alieno gravatum est; et dato quod posset, tamen nollet, quia decimas seu quartesium persolvere intendit. 2. Ex suppressione derivaret, quod ecclesia parochialis s. Martini derelinqui deberet, quam tamen conservandam esse monumenta et opera aestimatione digna suadent, quae in dicta ecclesia reperiuntur. Idque eo vel magis, quia, uti eruitur ex visitatione pastorali ab Episcopo mense Septembri anni 1886 peracta, dicta ecclesia necessaria suppellectili, indumentis sacrisque vasibus haud caret, neque instaurationibus indiget. Quibus accederet 3. quod gravi iniuria fere tria millia parochianorum afficerentur, si iniuste, permagno ipsorum damno et absque filialium ecclesiarum utilitate ab ecclesia matrice divellerentur et Clauzettum a dignitatis statu decideret, quae ab undecim saeculis gaudet. 4. Tandem, quia parochialis ecclesia cui honor et reverentia debetur, et quae iure conservanda est, inutiliter destrueretur, ex eo quod deinde magnis expensis atque molestiis reaedificanda esset.

Animadvertunt insuper legem civilem adesse, quae praecipit, ut duo municipia uni parocho subiecta, quando separari volunt, concorditer procedere debeant, aliter rem inutilem agerent. Ex quo sequi aiunt, quod, nisi votis municipii Clauzetti satisfieret, paroeciae divisio ad exitum perduci haud valeret; Clauzettum enim numquam, nisi sub expositis conditionibus, divisioni acquiesceret.

Ultimo denique loco recolunt in praesentiarum aliam etiam quaestionem in ea paroecia agitari, num scilicet decimae *(quartese)* quibus maxima ex parte s. Martini benc-

ficium constituitur, sacramentales, an potius dominicales, vel mixtae censendae sint. Quomodocumque vero res se habeat, ex nuperrima civilis potestatis lege eas esse abolendas et manuali pensione subrogandas, hoc tantummodo discrimine, quod si decimae sacramentales sunt, ipsa politica auctoritas pensionem pro parocho constituet, si vero dominicales, a singulis per contributum et pro rata iuxta decimarum vim pecuniarius census efformabitur. Age vero, aiunt, si in hisce adiunctis parochialis titulus s. Martini aboleatur, iura quoque eius cessabunt et mirandum non esset, si, antiquo beneficio cum suis iuribus sublato, sive regius fiscus sive privati contenderent obligationes quoque suas cessavisse, et neminem amplius adigi posse ad contribuendum pro novis paroeciis proprioque iure venientibus, id quod abolitae s. Martini ecclesiae proprium unice erat.

Hisce itaque Eñorum Patrum examini subiectis, diluendum propositum fuit sequens

Dubium

An et quomodo rescriptum diei 8 Iunii 1889 quoad divisionem s. Martini de Asio et novarum paroeciarum divisionem interpretandum sit in casu.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii re discussa sub die 7 Septembris 1889 respondere censuit: *Affirmative in sensu divisionis etiam reddituum, firma manente antiqua matrice s. Martini.*

MAGNO-VARADINEN.

MATRIMONII

Die 25 Ianuarii 1890.

Sess. 4 cap. 1 De reform

Compendium facti. Henrica Wurmbrand Stuppach, 16 annos nata, convenienti dote destituta, post parentum arbi-

trarium divortium, non amori, sed imperio subiacens matris, haud tale nomen merentis, ut tandem molestiis finem imponeret, et spe allecta, ut plurimum accidit, statum in meliorem commutandi, die 9 Octobris 1881, Libero Baroni Friderico Bors ritu catholico nupsit, et cum ipso vitam matrimonialem inivit.

Sacro ritu completo, et, ut nobilium moris est, itinere arrepto, dum a prima nuptiarum nocte, mutuo consensu, matrimonialibus officiis operam dare non renuunt, infelix mulier se nunquam matrem evasuram evidentissime agnoscit. Mulieris pudor, viri reputatio, familiarum honor silentium imponunt: et licet ab illa nocte impossibilis evasisset animorum societas; tamen oeconomicae et familiares mulieris conditiones tales erant, ut nullum ipsi esset effugium, et vellet, nollet, hoc unum dabatur refugium, vel cum viro manere, vel a suis et a patria exulare.

Res ita se habuerunt usque ad ann. 1888, quando Baronissa Vay, Henricae matertera, misericordiâ mota, infelicem mulierem in suam domum, et sub sui tutela recepit. Hinc factum est, ut libertate recuperata, quae mulier per septem annos sub vinculis miserrime iacuerat, ipsa vincula poenitus dissolvenda cogitaret. Ad hunc effectum, a civili lege coacta, civile adiit tribunal; quod quidem reum Fridericum a matrimonii vinculo dissolvit, Henrica tamen, uti catholica, ad forum sibi competens remissa, scilicet ad Episcopale Magno-Varadinense Consistorium. Interim civilis sententia lata sub die 13 Aprilis 1889, in foro Budapestiensi appellationis confirmata fuit et die 6 insequentis Iunii ratihabita a regia Curia Hungarica uti a Tribunali supremo.

Post haec omnia, catholica mulier recursum habuit ad R. P. D. Episcopum Magno-Varadinen., qui, non praehabita apostolica delegatione, processum instituit super non consummatione matrimonii, et super causis ad dispensandum, servata quidem in substantialibus Constitutione Benedictina « *Dei miseratione* » sed omissa auditione testium, quos vocant, septimae manus. Tres medici a Tribunali electi, praevio

iuramento coram iudice emisso, Henricae corpus examinarunt, et pro integritate retulerunt.

Sententia in favorem mulieris prolata, et re omni ad S. C. C. remissa, primo quidem ex audientia SSmi, habita sub die 18 huius, obtentum fuit Decretum *sanationis super defectu Delegationis Apostolicae*, deinde implorata fuit *facultas proponendi causam cum voto utriusque Consultoris, et animadversionibus Defensoris matrimonialis ex officio.*

Disceptatio Synoptica

Votum Theologi. Duo sibi inquirenda esse, ait iste, nempe: 1. *An constet de non consummatione matrimonii in casu?* 2. *An constet de causis ad dispensandum in casu?*

Et ad 1. quod attinet, notum est generatim non consummationem matrimonii tribus probationibus demonstrari, scilicet iuramento partium, corporali mulieris inspectione, et depositione testium septimae manus. Quibus positis inquirit an et quomodo haec omnia in casu verificentur.

Et primo iuramentum de non habita consummatione a partibus iuridice emissum fuisse, acta demonstrant. Et non solum constat iuramentum emissum fuisse; sed insuper talia haberi adiuncta, ex quibus partium veracitas in hoc iuramento emittendo luce clarior evadat. Ambo enim fassi sunt se matrimoniali actui operam dedisse et quidem libenter, sed frustra et inutiliter. Nemini autem dubium quod si partes, et praesertim vir, mentiri voluissent, inutile nisum in matrimonialem actum siluissent, et potius se nunquam convenisse simpliciter asseruissent. Dixi: *praesertim vir;* licet enim vir catholicus non sit, eius tamen depositio magni facienda est, eo vel quia de re agatur, quae in eius dedecus redundat. Si igitur vir 1. non catholicus, 2. iam a matrimonii vinculo, civili lege, solutus, 3. in iudicium ecclesiasticum vocatus, rem contra seipsum manifestat, is certe verum dicere censendus est et omnem fidem meretur. Et si omnem fidem meretur dum asserit se ad mulierem accessisse,

fide etiam dignus est dum subiungit hoc inutiliter accidisse, quin mulierem in quaestionem vocet.

Et haec quidem ex parte viri: ex parte vero mulieris, adesse R. P. D. Episcopum, qui mulieris religionem sinceram et omni exceptione maiorem asserere non dubitat. Igitur ex prima probatione matrimonium Friderici cum Henrica haud consummatum fuisse apertissime demonstratur.

Quoad alteram probationem, quae desumitur ex corporali mulieris inspectione et ex existentibus corporalibus signis virginitatis.

Consultor fatetur equidem hac in re, nonnulla in actis reperiri quae non essent Benedictinae Constitutioni conformia, scilicet 1. examen peractum immediate per peritos medicos, non vero per obstetrices; 2. absentiam matronae; 3. silentium circa usum illorum mediorum, puta balnei, quae praescribuntur ad tollendam omnem dubietatem. Attamen 1. novum non est ut aliquando inspectio fiat immediate per peritos medicos, omissis obstetricibus, praesertim si adsint speciales rationes, quae in casu non defuisse censendae sunt; timuit enim mulier, ne obstetrices sufficienti scientia carerent ad rectum efformandum iudicium: unde ad sibi consulendum potius passa est a peritis medicis examinari. Praeterea animadvertendum quod tres selecti ad inspectionem perficiendam, praeterquamquod iuramentum iuridice emiserunt, fuerunt insuper omnes ex peritioribus chirurgicae artis, ideoque in casu maxime competentes, et praesertim primus, qui fuit D. Marchus Konrad Professor Instituti Obstetricii in civitate Magno-Varadinensi. Nec obstat 2. absentia matronae, nam in primis an revera abfuerit nescimus, et praeterea certum est matronae praesentiam requiri ad pudorem servandum, non vero ad validam reddendam inspectionem. Demum 3. quod attinet ad media, quae non adhibita supponuntur, idem ac supra dicendum, scilicet ex actis non resultare quidem quod fuerint adhibita, sed neque resultare quod fuerint omissa. Ceterum, ut postea videbimus, ex testimonio inspectionis clare patet quod etsi media illa fuerint omissa, nullum tamen causae

praeiudicium supervenit: ea enim omnia clare adnotata conspiciuntur, quae essent ex mediis illis in tuto ponenda.

Hisce ita praemissis, certum est trium medicorum conclusiones in hoc, sine ulla dubitatione convenire, quod verenda mulieris consummationem attentatam manifestent; sed ipsam haud subsecutam esse, imo et haud consequi potuisse clarissime declarent. Externe enim maiora labia minora *perfecte* tegunt; et intrinsece ex sex hymenis partibus, quinque integrae reperiuntur: unde virilis ingressus absoluta impossibilitas. Nulli igitur dubium quod matrimonii, de quo hic nunc quaestio, non consummatio, etiam altera probatione evidentissime demonstretur.

Si quod est desiderandum, certe est testimonium septimae manus, quod nullimode assumptum fuit. Attamen tria sunt hic quam diligenter animadvertenda, scilicet 1. quod testimonium septimae manus, etsi absolute necessarium sit quando matrimonii non consummatio solo partium iuramento demonstratur; tamen si non inutile, saltem supervacaneum evadit quando factum intercessit corporalis inspectionis. Quid enim, quaeso, quid probaret testimonium septimae manus contra veracitatem mulieris, quando corporalis integritas, ipsam virginem conclamat? Sapienter quidem hoc testimonium generatim ab Ecclesia requiritur, quia quaestio esse potest vel de vidua, vel de corrupta. At quando certo constat mulierem corporaliter virginem esse, quando eius physica integritas in tuto posita reperitur, dubitari ne poterit de nunquam consummato matrimonio, ex hoc tantum quod silent testes, et de mulieris veracitate testimonium non dicunt? Ipsa pro se testimonium dicit mulier, non quidem verbis, sed factis, et factis a peritis recognitis, et quidem tali certitudine, ut omni exceptione maior censenda sit. Fateor equidem, ait, corporalem inspectionem haud solidum praebere argumentum, quando vel dubius apparet status integritatis, vel ancipites haerent periti; at quando genitales partes ita sunt dispositae intrinsecus et extrinsecus, ut virilis quicumque congressus absolute denegari possit, praecise ut in casu,

nescio an ex defectu testium, integritas ipsa possit in dubium revocari.

At dicet forsan vinculi Defensor: esto quod mulieris integritas probata maneat ex peritorum inspectione; at cur omittere testimonium septimae manus, quando hoc a lege ipsa requiritur? Nonne hoc probat latere anguem in herbis? Et quidem ego ipse haec dicerem, nisi huius omissionis gravissima adesset ratio: Atqui ex actis processus ita accidisse conspicimus. In relationem enim consistorii apertissime dicitur quod fuit omissum testimonium septimae manus, ob gravissima mala, quae inde timeri poterant. Et vere quidem; nam ut erat 2. loco animadvertendum, scire oportet Friderici propinquos ita esse animo in Henricam comparatos, et sub pseudonomine famosum libellum ediderint, quo Henrica talibus impetitur conviciis, ut eiusdem fratres libelli editores unum post alium ad singulare certamen provocaverint. Quid igitur ex talium testimonio colligi potuisset pro stabilienda partium veracitate? Nonne timendum erat ut singularia certamina etiam ex depositionibus orirentur? Nec satis: Friderici enim propinqui acatholici sunt. Quo igitur iure in iudicium vocari poterant, dum ipsa civilis lex illos ad hoc non adigit? Prudenter igitur consistorium se gessit cum septimae manus testimonium assumere omisit. Et eo prudentius, quod, ut 3. loco animadvertendum erat, praefatum septimae manus testimonium suppletur in casu per omnimodam illam consonantiam non solum quoad substantialia, sed etiam quoad accidentalia, quae habetur inter assertionem mulieris, et peritorum depositionem. Duo enim asseruerat mulier scilicet nisum in consummationem, et consummationem non subsecutam, et duo haec asseruntur a peritis, partibus inspectis et diligenter examinatis. Et cum eadem omnino a viro, cuius esset de facto silere, repetantur; nullus certe datur ambigendi locus.

Gradum demum faciens ad aliam quaestionem, in qua quaeritur de causis ad dispensandum has septem esse posse inquit, at non requiri ut simul omnes conveniant. Principaliores

sunt verosimilis unius impotentia, et consensus defectus non sufficienter probatus. Notum est enim has causas, si iuridice probatas, per se sufficientes esse ad decernendam dissolutionem ex iustitia. Hinc earum pondus ad suadendam dispensationem, quando existunt quidem, sed vel non adductae vel non comprobatae fuerunt.

Atqui hoc accidit adamussim in casu nostro. Etenim de viri impotentia, saltem relativa, nemo est qui dubitet. Hoc innuunt inutilis nisus, voluntaria separatio, prudentiale silentium; ita ut ex actis omnibus, quemadmodum et ex famoso libello, moralis exurgat certitudo de antecedenti impotentia: quae si legalium probationum defectu ad matrimonium solvendum adduci non potest, saltem ad matrimonium dispensandum invocari quam certissime potest.

Nec minus patebit reventialis metus et pleni consensus defectus. Scimus enim ex actis processus, et ex ipsa viri confessione, iam ante matrimonium iurgia inter sponsos locum habuisse; et omnibus notum est quod Henrica cesserit urgentioribus in dies matris suasionibus; cuius non *exiguas molestias* effugere satagens, tandem omni orbata auxilio et consilio, *voce mentis, et cordis reclamante,* se paratam dixit ad contrahendum cum Friderico, *omnium mortalium infelicissima erasura.*

Quid igitur, sapientissimi Iudices? Nonne haec sufficientia sunt ad implorandam a SSmo Dño Nostro benignam dispensationem? Et utinam haec satis essent! attamen habentur et alia, scilicet animorum aversio, impossibilitas reconciliationis, imo et periculum fidei. Clarissime enim docent acta ipsa processus Friderici et Henricae, animos ita esse comparatos, ut nulla inter se sympathia gaudeant, imo potius contrariis omnino dirigantur affectionibus. Hinc licet sex vicibus reconciliatio tentata fuerit, numquam tamen efficacem effectum obtinuit. Imo, attenta humana imbecillitate, valde timendum est, ne Henrica, denegata dispensatione, et nota exemplo Friderici, qui nunc plenissima gaudet ad contrahendas alias nuptias libertate, et ipsa Catholicam deserat

fidem, ne continens, reluctantibus passionibus, vivere cogatur.

Votum canonistae. Cum in causis dispensationis a matrimonio tantum rato, non agatur de iure alterutrius partis, sed praecipue de sacramentali vinculo dissolvendo; hinc inquit sapientissimas traditas esset normas per Benedictinam Constitutionem « *Dei miseratione* » et per « *Instructionem S. C. C.* » editam anno 1840. Necesse est enim ostendere coniuges numquam sese carnaliter cognovisse. *Cap. litterae 7. et cap. laudabilem 5, de frigid. et malef. cap. super eo* § *de eo, qui cognovit,* et S. C. C. in causa *Dispensationis Matrimonii die 14 Decembris 1878, et 25 Ianuarii 1879.* Verum in themate plura desiderantur ex iis, quae praescripta sunt ex citatis Constitutione et Instructione, ut patet ex narratione facti. Fortasse Episcopus, qui dicit se prae oculis habuisse dictam Constitutionem *ad instar moniti;* putavit eamdem praescribere normas pro causis tantum *nullitatis,* non vero etiam pro causis seu supplicationibus ad obtinendam dispensationem matrimonii rati. Quum enim de his dispensationibus loquitur Pontifex in dicta Constitutione § 15. alias videtur statuere normas, diversas ab illis quas proposuerat circa validitatem vel nullitatem decernendam.

At non recte; etenim etiam ante benedictinam Constitutionem, causas dispensationis a matrimonio tantummodo rato ita moderata est Ecclesia, ut eaedem omnino normae servarentur, quae in causis nullitatis servabantur. A tempore sane antiquo per inspectionem corporalem mulieris, per iuramentum coniugum, per iuratos testes seu septimam propinquorum manum ex utraque parte, matrimonii inconsummatio probatur. Testis est Cardinalis De Luca *Disc. 9 de matrim. num. 6.* Servari igitur in hac causa debebat *Benedictina Constitutio.* Atque idem dicendum *de Instructione S. C. C. anni 1840,* etsi enim haec Instructio praecipue pro causis nullitatis ex capite impotentiae edita fuerit; tamen, cum in causis dispensationis matrimonii tantummodo rati fundamentaliter incidat in discussionem idem ipsum subiectum inconsummationis; clarum fit eamdem Instructionem esse

semper adhibendam. Continua praxis id confirmat: quoties enim alicui Episcopo de inconsummatione matrimonii processus confectio committitur ad effectum dispensationis; semper edicitur « *servata forma Constitutionis Benedictinae, atque ad normam Instructionis S. C. C. 1840.* »

Poterat etiam Episcopus sequi aliam formam breviorem et commodiorem in conficiendo processu. Haec passim invenitur penes probatos auctores, quae sic inscribitur: « *Instructio Supremae Congregationis S. O. sequenda in conficiendo processu super viri impotentia et non secuta matrimonii consummatione, accedente Summi Pontificis dispensatione, ab accurata observantia praescriptionum Bullae Bened. XIV* Dei miseratione, *servata tamen in substantialibus.* » Inter vero substantialia, haec *Instructio*. praeter inspectionem corporis, et iuratam coniugum fidem, enumerat examen testium, inter quos prius veniunt parentes uti praesumptive magis informati, deinde autem famuli et viciniores. De his tamen in themate, neque Episcopus, neque eius Delegata Commissio, fuerunt solliciti.

Attamen haec tantummodo dicta sint ad rationem primae partis propositi rescripti reddendam, nimirum: « *praevia sanatione actorum.* » Ad rem propius accedens, consultor tenet consulendum SSmo pro dispensatione.

Tria hic expendenda veniunt: 1. facultas Romani Pontificis in hisce dispensationibus concedendis; 2. argumenta, quibus non secuta consummatio luculentissime pateat; 3. iustae, eaeque graves causae dispensationis. Pignatelli *t. 1 cons. 148 n. 3 et seq.* Ursaya *tom. 3 p. 1 discept. 3 n. 4 et 99.* - Card. De Luca *De Matrim. discept. 9 n. 6, 7, 15.* Fagnani *in cap. perniciosum de off. iud. ord. n. 61,* - *et S. C. C. passim.* De prima, de potestate scilicet Romani Pontificis vix est ut sermo fiat; supervacaneum enim, et nefas esset eam in dubium revocare, quum Theologi et Canonistae omnino admittendam tradunt. Pignatelli *l. cit. n. 41,* et fusius Leurenius *lib. 4, tit. 19, de divortiis quaest. 276.* - Sed, quod

maxime est, Romani Pontifices idipsum frequentissime suo exemplo confirmarunt.

In nostro igitur themate dubitari non potest de potestate in Rom. Pontifice dispensandi. Sed expendendum nunc venit: utrum argumenta de non secuta consummatione luculentissima sint; in hoc enim tota vis residet praesentis quaestionis. Iam vero: luculentissima erunt argumenta, si demonstrabitur adesse in Henrica characteres et signa physica, omnino certa et evidentia integrae virginitatis; si probatio, quae inde exurgit confirmetur utriusque coniugis iurata confessione de non consummato matrimonio, et demum si aequivalenter habeatur probatio septimae manus. Nisi luculentissima erunt huiusmodi, una simul perpensa, argumenta, fatetur desperandum probari posse non secutam matrimonii consummationem; quod tamen et praxis tribunalium, et ipsa sacra iurisprudentia excludunt.

Sit igitur de signis virginitatis Henricae. Non repetam omnia verba peritorum; tantummodo recolam postrema « *In sequelam horum testamur nos in Henrica tantum signum reperiisse eius, quod matrimonii consummatio tentata fuerit, virginitate ipsa perfecte illibata permanente, et consequenter matrimonium non esse consummatum.* » Signa autem, quae periti invenerunt, et describunt, sunt ea prorsus, quae in tam varia natura haberi possunt pro existentia virginitatis adstruenda. Neque hic immoror in expendenda opinione, quam defendunt praesertim aetatis nostrae medici, de possibilitate nimirum consummandi matrimonium, integra permanente muliere. Criterium enim ad iudicandum de consummatione, desumi debet ex verbis « *duo in carne una.* » Atqui, iuxta constantem ecclesiasticorum tribunalium praxim, iudicandum est coniuges non fuisse *una caro*, si ex adiunctis physicis vel moralibus constet, matrimonium *secundum communem naturae ordinem* perfici non potuisse. Et hac sane de causa Ecclesia concessit triennale experimentum, tamquam physicum et sufficiens probationis argumentum. Cum itaque haec sit Ecclesiae praxis quoad iudicium consummationis, eadem ha-

benda est loco legis definientis sensum eorum verborum « *duo in carne una.* » Permanentibus igitur in Henrica signis virginitatis, validum habetur argumentum ad probandum matrimonii consummationem in themate exulasse.

Sed dices: Henrica non fuit immersa in balneo ut fraus prorsus abesset de artificiosa virginitate, neque obstetrices accitae. Verum respondet: balneum non esse necessarium ad fraudes detegendas; et revera citata *Instructio S. Officii* dicit « *adhibito prius mulieris balneo, si necessario physici iudicaverint.* » In casu, physici iudicaverunt non necessario adhibendum. Si obstetrices abfuerunt, quae ceteroquin tantum ob verecundiam mulieris, quae explorari debet adhibentur, nihil officit substantiae rei, quia Henrica magis confidit in arte medicorum, quam in practica mulierum peritia.

Instabis: signa virginitatis sunt fallacia; ergo non solvendum matrimonium, quod potuit iam esse consummatum. Verum utique est signa virginitatis plerumque esse fallacia; sed non semper. In casu autem praesenti talia sunt, ut excludant dubitandi rationem. Et revera: non hic sumam periti medici vestem, sed iudicialium peritorum sententiam sequar, ait consultor, hymen non semper inveniri aut perspici in genitalibus mulierum, ita ut antiqui nonnulli medici dubitaverint etiam de eius existentia in quacumque mulierum. Sed posito quod in Henrica hymen ita fuerit manifestus, ut formae semilunaris conspiceretur et $^5/_6{}^a$ parte intactus...., quomodo concipi potest virum penetrasse secus eundem? Ex rima tenui in eo reperta dici tantum poterit consummationem fuisse tentatam, perfecte tamen illibata manente ipsa virginitate. Audiatur *Zacchia Quaest. medic. legal. lib. 4, tit. 2, quaest. 1, n. 1,* - ibi - « *Multa in medium adducuntur, quibus praesentibus de virginitatis integritate* ambigi non potest, *praecipue autem id probare videtur* infallibile *et inseparabile signum* ab hymene *desumptum.* » Audiatur item *Bartholinius Instit. Anathom. lib. I, cap. 81,* - ibi - « *Hymen claustrum virginale ab aliis appellatur, item flos virginitatis, quia* cum adest, *virginitatis nota est.* » Eadem

tradunt Taihmeyer *Inst. med. legal. cap. 4, quaest. 3* - Barzellotti, *Quest. di med. legal. tom. 1, lib. 1, cap. 5,* aliique.

Neque de medicorum peritorum, qui Henricam exploraruntt, scientia et honestate dubitare fas est; ipsi enim perhibentur Catholici, iurati, de quibus ait Episcopus « *quorum aeque cultura intellectualis et peritia in arte medica, in quantum in humanis fas est dicere, omnem errandi formidinem removent.* » Primus ex tribus peritis, dicitur « *vere catholicus et optimae famae,* » Instituti obstetricii regni hungarici Magno-Varadinen. professor. Alter dicitur romanus catholicus percelebris Nosocomii Comitatus Bihariensis dirigens medicus. Tertius aeque romanus catholicus Civitatis Magno-Varadinensis a decennio protomedicus.

At vero: sint quidem fallacia signa virginitatis Henricae; non sequitur tamen, ipsam non probavisse matrimonii sui inconsummationem. Et sane, ut mulieris integritas sit ratio et fundamentum pontificiae dispensationis, requiritur ut eadem comprobetur per *iuratam confessionem Coniugum,* nec non per testes; *Gregorius VIII cap. Proposuisti 4, de probat.* - ibi - « *Mulier proposuit se nec a viro cognitam nec potuisse cognosci: quod tam proprio iuramento, quam testimonio septem mulierum probavit, quae per aspectum corporis eam esse virginem asseruerunt, viro per iuramentum suum contrarium asserenti. Videtur igitur Nobis, quod iuramento puellae et testimonio illarum septem mulierum fides est potius adhibenda.* » Iam vero Henrica iuramentum praestitit, et non contradicente sponso, ut in specie allati capitis, sed eo ipso consentiente et iurante. Testes et ipsa attulit qui suum corpus aspexerant, nimirum peritos medicos. Totam vim probationis agnoscere videtur Pontifex in iuramento mulieris. Neque aliter iudicavit S. C. C.; quandoquidem ad remedium dispensationis deventum est etiam absque inspectione corporis, sed cum iuramento mulieris, et testibus. Sic censuit S. C. C. consulendum SSmo in causa *Matrimonii die 28 Martii 1857, et 26 Iunii 1858.* - Agebatur de nobili viro, qui uxorem maritali officio repugnantem

constanter invenerat. Physicum examen ipsius mulieris institui nequiverat, quia illa mordicus recusaverat.

Attento solummodo mulieris iuramento relaxatum quandoque fuisse vinculum matrimoniale, docet Spondenus in *Annal. Ecclesiast. anno 1599*, et decisiones S. C. C. praebent exempla, praesertim in *Frisingen. 1817* et in *Gandaven. 1820*. Recentissima quoque lata est decisio in *Varsavien. 14 Maii 1887*.

Sed dicetur: in casu deest probatio *septimae manus*. Verum: Ait Episcopus in sua relatione: « *Cum huius experimenti vim probandi peremptoriam*, de exploratione medicorum hoc dicit, *in dubium vocare haud posse iudicaverim, receptionem depositionis Septimae manus propinquorum aut aliorum testium praetermittendum esse censebam, ad quod et iam aliis rationibus perductus fui* »; quae consistunt in difficultate examinandi protestantes propinquos Friderici. Et quid tandem prodest septima manus, nisi ut credibilem faciat iuratam depositionem mulieris? Testes septimae manus deponere debent, sponsos incapaces esse mendacii et periurii, et se credere eos vera dixisse. In themate adest vel ipse Episcopus, qui quoad substantiam supplet deficientiae aliorum testium; ait enim « *Primum est iuramentum corporale ab utraque parte emissum de non secuta consummatione matrimonii, cui* iuramento, eo maius pondus inest, *quod cultura moralis, et socialis positio amborum*, et inprimis sincera et omni exceptione maior adhaesio Henricae ad fidem Catholicam, suspicationis aut malae fidei vel umbram excludat. »

Extant igitur in casu nostro luculentissima argumenta quae moralem certitudinem ex eorum complexu perhibent de non secuta consummatione matrimonii; quaeque desumuntur ex signis physicis, comprobatis iurata confessione coniugum, et, aequivalenter, et quoad substantiam, comprobatis septima manu. Nunc de causis demum videamus ad concedendam dispensationem.

Prima inter causas est coactio, quam passa est Henrica

a matre sua. Plane intelligitur cur nobilis femina relative pauper, importunis consiliis et suasionibus coegerit filiam decem et septem annorum, ut cum valde divite iniret matrimonium. Sed Henrica nunquam amare potuit virum propter nimiam aetatis disparitatem, eumque etiam monuit. « *Durantibus sponsalitiis,* ait infelix Henrica in instantia ad Episcopum, *quum modo notabilem aetatis discrepantiam modo plura in sponso animadverterem, talia quippe quae antipathiam meam auxerunt, infelicissimam me reputari mortalium.... Verum adiunctis immutate permanere pergentibus, feci, quod facere potui: partim sponsum ut a coeptis resiliat, monui, partim matrem et cognatos, ut saniora velint iteratis viribus rogari, ast incassum.* » Quae si forte valerent pro nullitate ob defectum libertatis; multo magis valere censeo pro dispensatione. Sanchez *lib. 2, disp. 6,* refert *Eugenium III* dispensavisse a matrimonio, tantum ob odium, quod inter coniuges exarserat. Aversio animorum, in casu nostro tanta est, ut pluries tentata reconciliatio in irritum semper cesserit. Hanc autem esse causam gravem dispensationis elargiendae, tradunt Sanchez *De matr. lib. 2, disp. 16, n. 3.* - Corrad. in *Praxi dispens. lib. 8, cap. 7, n. 33,* qui ait, « *haec animorum aversio est una ex causis potissimis quae iustam reddunt dispensationem* » *S. C. C. in Causa disp. matr. 26 Aprilis 1879.*

Neque inter causas dispensationis praetereundam censeo illam quae ex tentata, sed non perfecta matrimonii consummatione exurgit. Forte ex debilitate viri infandis addicti, locum habere non potuit. Audiatur Henrica in supplicatione ad Episcopum: « *Transactis igitur octo diebus... una huius temporis nocte, maritus thalamum conscendere tentavit cum intentione utendi iure suo coniugali. Rei periti doctores sunto testes me illaesa virginitate reliquisse lectum. Abhinc praesertim a quo* diversas sordidas consuetudines in eo observarem, *quae* abominationem provocant, *discordiae nos inter magis magisque auctae; et quia tum moraliter, tum affectualiter ita dissoluti fuimus, actum erat de physica*

consummatione matrimonii. » Atque hic etiam notandum maiores requiri probationes ad evincendam impotentiam ut nullum renuntietur matrimonium ex iustitia, quam ad probandam inconsummationem pro gratia dispensationis obtinenda. Probabilem impotentiam pro iusta dispensationis causa haberi, eruitur ex Cosci *lib. 1, cap. 16, n. 197, ac lib. 3, c. 2, n. 386. Cui consonat* Sanchez *lib. 2, disp. 16, n. 6.* Pignatelli *Consult. 148, n. 14, tom. 4.* Card. De Luca, *discur. 7, n. 7, De matrimon.* S. C. C. *in Neapolit. Nullitatis seu dispensationis matrimonii 5 Iulii 1862* § *Causae.*

Demum inter praecipuas dispensationis causas, addit periculum animae Henricae. Eius sponsus, iuxta patrias leges et sententiam transactam in remiudicatam, potest ad alias convolare nuptias; dum ipsa, ex sua Catholica fide, ligata illi perpetuo maneret. Pluries tentata fuit catholicam religionem deserere, ut pari iure utens ac sponsus, ad alias transeat nuptias. Et si quidem hucusque, nempe ad annum vicesimum quintum constans permansit in fide; quis nunquam divinare poterit quid in posterum actura erit? Quae plura hac de re adiici possent, facilius concipiuntur, quam exprimi possint. Ceterum si quid omissum in agendo actorum processu, non tale est, quod sanari non possit, quia iuris sunt ecclesiastici, quae ad processum conficiendum iubentur. Et eo magis concedenda dispensatio quia non mulier tantum implorat, sed etiam vir in eam consentit.

Expedit igitur, concludit, expedit aliquando relaxare legis vinculam; ait enim Conc. Trid. *Sess. 25, cap. 18, de reform.* - ibi - « *Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus... observandos.* Quod si urgens iustaque ratio, et maior quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate erit praestandum. »

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Matrimonium, quod, anno 1881 die 9 Octobris, cum barone Friderico Bors, acatholico, in aetate annorum 42 constituto, contraxit comitissa Henrica Wurmbrand, catholica, 17 annos

nata, post vitae coniugalis lustrum cum dimidio, maritali opere imperfectum proclamat.

Duo lectissimi consultores, in consilium a S. C. C. moderatoribus asciti, etsi acta processus gravissimis vitiis scatere profiteantur, constare tamen putant tum de inconsummatione matrimonii, cum de iustis dispensandi super matrimonio rato tantum causis. Ast immerito.

Enimvero desideratur testimonium *septimae manus*, quod in praesenti causa ad iudicandum de matrimonii inconsummatione necessarium omnino est, ad tramites *cap. Laudabilem, 5 de frigid. et maleficiat.*, (ibi) - *Si autem, quod nunquam se invicem cognoverint, ambo,* coniuges, *fatentur,* cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae, *si propinqui defuerint, tactis sacrosanctis evangeliis uterque iureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent; et* tunc videtur *quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare.*

Huic legis praescripto innixus Sanchez in opere *de matrimon. lib. 7, disput. 108, num. 7 et seq.* tradit: « Desideratur tamen ultra triennium illud et iuramentum utriusque coniugis fatentis impedimentum, *ut septima manus propinquorum iuret vel vicinorum bonae famae,* si propinqui defuerint. Quia textus *cap. Laudabilem, de frigid. et malefic.* id petit... Deinde quia ad iuramentum iure petitur, *eo quod posset esse collusio inter coniuges,* et ut cautiori diligentia adhibita dissolutio matrimonii fiat. *Quae res maximi momenti est...*

« Quare *minus bene* Glossa *cap. requisisti, verb. septima manu, 33, quaest. 1,* ait quando mulier per aspectum reperitur virgo, non esse opus iuramento septimae manus propinquorum, sed verum iudicium esse per matronarum et ipsorum coniugum iuramentum. Idem tenent Fulvius Pacianus, Sotus et Ledesma, qui tum solum videntur petere iuramentum propinquorum, quando mulier est corrupta, ac proinde minime potest ex aspectu constare matrimonium non esse consummatum. « *At expresse contrarium tenent Doctores,*

quos numero praecedenti allegavi, *asserentes semper hoc iuramentum desiderari quando impotentia non est evidens:* quod hic contingit: *nam saepe oculi ac manus obstetricum falluntur: eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utuntur, quibus virgines apparent.* »

Huc accedit quod specimen ipsum in Henricae corpore ita peractum est, ut ne nomen quidem speciminis mereatur. Porro balneum tepentis aquae ad detegendas fraudes, quibus mulieres virginitatem simulare possunt, invectum, corporis perlustrationi praemissum minime est, Henricae corpus non obstetrices iuxta naturalis et ecclesiasticae legis praescriptum, sed tres medici recognoverunt: iique non *seorsim,* prouti sancitum pariter est, sed una simul corpus Henricae inspexerunt, una simul absolutae inspectionis relationem scriptam ediderunt: orali examini in iudicio medici cognitores haud suppositi sunt.

Et quod gravius etiam est: periti non omnia sed nonnulla solummodo signa ad virginitatem dignoscendam praestituta observarunt, quod quam maxime attendendum fore perspicuum est.

Quae cum ita sint, piaculum etiam putat de dispensandi causis verba facere: et proin, haud interiecta mora, ad suprascriptum dubium « *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu ;* responsum postulat consultor: *Negative.* »

Quibus animadversis, propositum fuit enodandum

Dubium

An sit consulendum SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 25 Ianuarii 1890 censuit respondere : *Attentis omnibus, et praevia sanatione actorum, affirmative.*

AVERSANA

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 15 Ianuarii 1890.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Nicolaus Beneduce testamento anni 1855 haeredem universalem uxorem suam Saveriam Ucciero instituit, sub lege ut ex reditibus unius fundi quotidiana missa celebraretur ad altare B. M. V. in paroecia loci *Pantano;* ex reliquis honestam substentationem vidua desumeret: post eius mortem vero, aut si ea ad secundas nuptias transiret, bona universa Parocho devolverentur et in missarum legatum constituerentur.

Porro Saveria Ucciero actu mortis universalem haeredem nuncupavit fratrem suum Nicolaum; qui per aliquot annos plures quidem missas celebrandas curavit; at bona haereditaria Nicolai Beneduce, quae parocho in legati constitutionem iuxta eiusdem Nicolai praescriptum erant tradenda, nullo modo cessit.

Post eius mortem per aliquot tempus unus ex filiis, qui sacerdos est, bis in hebdomada missam celebrare consuevit eorumdem in onerum satisfactionem.

Modo vero hic cum ceteris fratribus ac mater supplex adest, ac rogant ut rustica bona Nicolai Beneduce sibi conservare possint exhibita 10,000 libellarum summa, quam ratis portionibus Episcopo brevi manu soluturam spondent.

Parochus ad rem rogatus nihil habet quod excipiat. Episcopus autem postquam, examine rite facto, collegerit, quod cuncta bona relicta Ecclesiae a Beneduce ascendunt ad libellas 18,200, quarum reditus esse potest de lib. 1000, censuit gratiam expetitam esse concedendam: oratores enim aliis bonis stabilibus non fruuntur, et ideo, his sublatis aut amissis, arcte viverent.

Disceptatio Synoptica.

Ex una parte contra preces militat damnum ecclesiae et piae voluntatis defraudatio: ferme enim dimidium bonorum a praescripto fine seu a celebratione missarum abstraheretur, et in subsidium familiae, ne consanguineae quidem fundatoris concederetur; quod non videtur aequum, ceu nota iura, in *can. 4 Ultima voluntas caus. 3 q. 2 et* Clem. V *Quia contingit De relig. dom.*, aliaque alte proclamant.

Insuper oratores indigerent apostolicâ veniâ ad bona Beneduce retinenda, et opus quoque haberent absolutione quoad praeteritum, ob tot missarum celebrandarum omissionem: et tamen quoad hoc ne verbum quidem adest in precibus.

At vicissim, oratores si non sunt sanguine iuncti cum Nicolao Beneduce, proximi tamen consanguinei sunt eius uxori, cui ille universa bona quasi haereditatem fideicommissariam, concessit; et cui insuper, ceu videtur, alienationem bonorum et imminutionem sortis non prohibuit. Quapropter si integer adhuc est haereditarius axis Nicolai Beneduce, id merito repetendum est a Saveria Ucciero eiusque familia, et in titulum gratiae allegari non dedecet.

Ulterius familia Ucciero relate ad legatum Beneduce patrona putari potest. Atqui patrono egenti subsidia denegari non solent, imo de iure ei tribuuntur; hinc etiam oratoribus, qui bonis Beneduce expoliati pauperes certo forent, haec gratia, quae subsidii rationem habere videtur, concedenda esset. Aliunde durum esset summum ius ab eis exigere, eosque omnibus bonis privare.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re visa sub die 25 Ianuarii, censuit esse respondendum: *Praevia absolutione quoad praeteritum, celebrato aliquo numero Missarum, pro gratia exonerationis, solutis, brevi manu, tribus annuis ratis, libellis decem millibus, caute et utiliter ab Ordinario investiendis favore causae piae, facto verbo cum SSmo.*

ELNEN.

CANONICALIS

Die 29 Martii 1890.

Sess. 24 cap. 2 De reform.

Compendium facti. Elnensis Episcopus has litteras ad S. C. C. nuper mittebat: « Luctuosa ecclesiae Cathedralis elnensis capituli conditio mihi est magnae curae et tristitiae causa. Octo canonicis hoc capitulum regulariter constituitur. Tres vitâ functi sunt; duo gravi et insanabili aegritudine laborant et nulla obire queunt munia. Alii tres, ingravescente aetate, viribus iam deficiunt. »

« In his rerum angustiis, prudentem existimavi rationem agendi multorum Galliae Episcoporum. Eorum sequens exemplum, approbationi Gubernii civilis, hanc approbationem exigentis, etiamsi debitum et legitimum stipendium solvere recuset, nominationem proposui trium presbyterorum scientia et pietate commendabilium: unus est maioris seminarii scripturae sacrae magister, et tertius curiae nostrae episcopalis cancellarius. »

A Gubernio civili mea propositio fuit acceptata.

« Sed heu! canonicorum sine stipendio, sine praebenda nova est conditio. Nulla enim existit praebenda in ecclesia cathedrali elnensi. De ea conditione, a iure, ni fallor, nihil statuitur. Quapropter S. Congregationi Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini has solvendas humillime propono quaestiones.

« 1. Canonici, sine stipendio a Gubernio civili usque adhuc soluto, sine praebenda quacumque nominati, sunt ne ut veri canonici habendi? »

« 2. Gaudent ne omnibus, iuribus et privilegiis ad canonicatum pertinentibus, sede Episcopali tum plena, tum vacante? »

« 3. Tenentur ne stricte et in conscientia 1. residentiae; 2. servitio chorali; 3. applicationi missarum pro fundatoribus

et benefactoribus; 4. aliis obligationibus quibus canonici stipendium vel praebendae fructus percipientes adstringuntur? »

« Ut praedicta dubia solvantur a S. Congregatione Concilii, his urgentibus rerum angustiis, humiliter postulo. »

« Praeterea, data responsione affirmativa propositis dubiis, aequum videtur ut remittantur obligationes canonicorum, recens electorum et postea eligendorum, quamdiu stipendio et praebenda carebunt.

« Parati sunt quidem ad sustinenda canonicorum onera spontanee et assidue quantum iuxta diversos rerum eventus et officia aliunde adimplenda illis licebit, sed conscientiam suam onerare non vellent, *stricte se obligando.* »

« Ex una autem parte, canonicorum obligationes aliquando non sine incommodo et praesertim non sine praeiudicio propriorum officiorum, implere poterunt. »

« Ex altera vero haec officia, quibus funguntur pro bono dioecesis sunt instabilia utpote ad nutum revocabilia et stipendium sive honorarium eis annexum mediocre est. »

« Unde, tum ut consulatur conscientiarum tranquillitati, tum ut onera aequam servent proportionem cum iuribus lucrativis, suppliciter postulo a Sancta Sede ut canonicis, recenter electis et postea eligendis, quamdiu res infaustae perdurabunt et praebendis destituentur benigne concedatur dispensatio ita, ut *stricte et in conscientia* non teneantur obligationibus canonicorum qui praebendâ fruuntur, praesertim servitio chorali et applicationi missarum pro benefactoribus. »

Disceptatio Synoptica

Ex officio animadversum fuit canoniam proprie importare ius aliquod spirituale, quod provenit ex electione et receptione in fratrem seu canonicum, ceu descendit ex *cap. 9 Cum M. Ferrariensis. De constit.*, et passim iurisperiti tradunt. Hoc autem ius spirituale quod praebet canonia consistit primum in iure habendi sedem in choro et vocem in capitulo, et secundo ac subordinate exigit, ut quam primum facultas sese

obtulerit, canonico, eamdem canoniam obtinenti, conferatur etiam praebenda, seu competens portio fructuum canonicalium; « quia non est congruum ut praebenda careat qui in canonicum noscitur esse receptus. » - ceu habet *cap. 9 Relatum De praeb.* cui concordat *c. 19 Dilectus eod. tit. et 9 De const.* Si quis itaque simpliciter in canonicum receptus sit, antequam reditus canonicales assequatur, sive eidem conferantur, dicitur habere canoniam seu canonicatum, nondum vero praebendam: si quidem praebenda ulterius importat ius ad percipiendos fructus annuos canoniae, aut alias debitos ex titulo canonicali: unde qui habet utramque canonicus praebendatus appellatur. *C. Sanctorum 2 dist. 70.*

Haec elementaria sunt, ac notoriam recipiunt applicationem in canonicis coadiutoribus, qui veri canonici sunt, licet qualibet praebendâ careant. Unde in themate nil videretur obesse quominus canonici a Gubernio et Ordinario electi, et in fratres recepti, uti veri canonici habeantur, et iuribus ac privilegiis omnibus ad canonicatum pertinentibus, tum sede plena, tum vacante fruantur, licet ex iniuria temporum contigerit eos quolibet stipendio et praebenda privatos esse.

Imo cum haec stipendii et praebendae carentia ex civilis gubernii aemulatione, per violentiam, atque iniuste introducta sit, vel a fortiori in nullo pretio debet haberi, ceu suadent notissima iuris principia *reg. in V Decret. et 64 in VI* iuncta leg. *cap. Quae in eccl. De const.* Non enim potest admitti quod ex eo quod Gubernium iniuste pensiones subtrahat, aut minuat, aut solvendo impar sit, hoc ipso iura quoque et privilegia canonicorum cessent, aut ecclesia impediatur titulos et officia vacantia, licet temporalibus destituta, valide et cum pleno effectu quoad spiritualia conferre. Non enim ecclesia pendet a statu, nec spiritualia sua munia ita cum temporalibus connexa habet, ut, his deficientibus, non possit illa committere.

Quo vero ad aliud petitionis punctum, num scilicet canonici huiusmodi, qui sine praebenda sunt, sicut iuribus ac privilegiis pollent, ita etiam oneribus et officiis obstringantur,

quaestio non sine difficultate est. Nam in genere verum est quod docet *reg. 55 iur. in VI*, nempe « qui sentit onus sentire debet commodum, et e contra »: et ideo durum videri potest et a canonica aequitate prorsus alienum, aliquem ad gravia ac continua canonicalia officia adigere sine ulla mutua temporali responsione. Et eo minus si consideretur, plura ex iis officiis cum canonicatu intime connexa non esse, sed adiecta quasi ex contractu et ob varie suscepta a fidelibus oblationes et legata. Quapropter iustum videretur, ut, sublata in praesentiarum re temporali, praestationis spiritualis obligatio quoque cessaret. Idque tum civile ius in *L. ult. ff. De comm. rol.* tum canonica iurisprudentia ipsumque Tridentinum pluribus in locis, aequiori certe iudicio, innuere videntur.

At vicissim cum canonici licet praebendâ careant, nihilominus aliquid honoris et praeeminentiae consequantur quae quidem in pretio debet haberi, quum quandoque etiam peculiare commodum afferat; - et cum insuper plura officia canonicalia adeo cum canonicatu videantur connexa, ut, ex ipsa tituli acceptatione haec ipsa suscepta videantur, et idcirco ad ea, saltem ratione pacti, canonicos posse dici coarctatos; - cum demum nonnulla munera sint, quae licet onus constituant, ut dioecesis regimen episcopali sede vacante, adeo nihilominus a publico bono exiguntur, ut ab iis praescindi non possit, nec canonicos relevari; - hinc videtur, nec capitulum, nec canonicos, nec forte Ordinarios posse suo marte canonicalia onera limitare et reducere, sed ad S. Sedem recurri oportere, ceu Benedictus XIV *Const. Cum semper oblatas*, relate ad missae conventualis reductionem, ob redituum imminutionem, monet ac praescribit.

Quibus animadversis proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An canonici sine praebenda et sine stipendio nominati, uti veri canonici habendi sint in casu.*

II. *An omnibus iuribus et privilegiis ad canonicatum*

pertinentibus, sede Episcopali tum plena tum vacante, fruantur in casu.

III. *An stricte et in conscientia ad residentiam, ad chorale servitium, ad applicationem missarum pro fundatoribus et benefactoribus, et ad alia onera canonicis praebendâ donatis propria, teneantur in casu.*

Et quatenus affirmative.

IV. *An et quomodo in eorumdem favorem locus sit remissioni et reductioni onerum in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 29 Martii 1890 censuit respondere: *Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative. Ad III. Providebitur in IV. Ad IV. Episcopo cum facultatibus necessariis, ut, perdurantibus circumstantiis, pro sua conscientia dispensare valeat ab onere applicandi Missam conventualem et reducendi onera residentiae et servitii choralis ad dies solemniores et alios sibi benevisos, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges. I. Canonicos legitime electos, etiamsi praebendâ et stipendio careant, uti vere canonicos esse habendos; ita ut fruantur omnibus tum iuribus, tum privilegiis, quae, sede plena aut vacua, ad canonicatum pertinent, et graventur omnibus oneribus eidem canonicatui inhaerentibus.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

HILDESHEIMEN. SEU SOUTHWARCEN.

RESTITUTIONIS VEL COMPENSATIONIS

Die 7 Martii 1890.

Compendium facti. In urbe Duderstadiensi dioecesis *Hildesheim* in regno Borussico sita, coenobium Monialium S. Ursulae aedificatum et bonis immobilibus dotatum fuit eum in

finem, ut scilicet ibi puellae dictae civitatis educarentur. Huiusmodi coenobium adeo floruit, ut vertente anno 1857 Moniales novum coenobium in civitate *Hildesheim* et domum filialem in *Hannover* fundaverint.

Verum ob infaustas leges die 31 Maii 1875 promulgatas Moniales *Hildesheim* in villam *Bauffe* dictam et in regno Belgico existentem exulare coactae, secum omnia bona sua asportarunt, quae ad 200,000 circiter libellarum ascendebant.

Interea temporis Moniales in urbe Duderstadiensi degentes, verentes ne idipsum sibi contingeret, coenobium pro summa 40,000 marcarum urbis Magistratui vendiderunt: neque hisce contentae alia quoque bona alienare pertentarunt. Verum id assequi haud potuerunt; Gubernium enim optime noscens de bonis inalienabilibus agi, quippe quae ad puellarum urbis educationem destinata erant, pertentatam venditionem primum prohibuit, et deinde moniales e coenobio expulerunt. Moniales e propria sede exturbatae in Angliam et praecise in oppidum *Greenwich* dioecesis Southwarcen. confugerunt.

At res in huiusmodi statu diu haud perdurarunt; quandoquidem exceptis duabus Religiosis e Coenobio *Duderstadiensi* provenientibus, quibus imposterum plures aliae ex Hybernia et Germania sese addiderunt, ceterae omnes, Asceterio *Greenwich* relicto, in Australiam perrexerunt.

Res sic se habebant, cum anno 1887 alia lex prodiit, in vim cuius Congregationibus monialium, quae puellarum educationi addictae erant, in patriam remeandi facultas indulta fuit. Episcopus Hildesheimen. huiusmodi legi innixus moniales a s. Ursula dictas illico revocavit: sed cum ipsis antiquas tres domus tradere haud posset, in votis habebat, ut pecuniis collatis, Coenobium Duderstadiense acquirerent, ibique puellarum instructioni sedulam operam navarent. Moniales in *Bauffe* existentes, ex quibus duodecim licentiam instruendi a Gubernio obtinuerant, Episcopi votis annuerunt; abnuerunt vero moniales in *Armidale* (Australia) degentes, sed

consenserunt ut ad huic muneri satisfaciendum, Ursulinae in *Bauffe* exulantes revocarentur.

Ursulinae tandem in *Greenwich* commorantes, inscio Episcopo, tam ad Regium Gubernium quam ad Municipium epistolam miserunt, declarantes se Conventum Duderstadiensem velle rursus instituere. Verum voti compotes haud factae fuerunt, ex eo quod duae tantum ex ipsis in Germania natae erant et facultate instruendi, a Gubernio indulgenda, praeditae erant.

Rebus sic se habentibus Episcopus Coenobium Duderstadiense monialibus *Bauffe* tribuit, quae illud a Municipio acquisiverunt, pacta pecunia persoluta. Relate vero ad moniales in *Greenwich* residentes disposuit ut eae in novum Coenobium, si vellent, tamquam Sorores reciperentur, hac tamen conditione adiecta, ut secum proprias dotes ferrent.

Tandem relate ad fundos, qui utpote inalienabiles, vendi haud potuerunt, voluit ut proventus ex locatione obtenti antiquis monialibus, quae in Coenobio Duderstadiensi degebant, donec in vivis essent, pro ipsarum sustentatione persolverentur; hac tamen lege, ut proprietas Coenobio competeret, quod tum solum de huiusmodi fundorum proventibus frui posset, cum omnes antiquae moniales Duderstadienses mortuae essent.

Huiusmodi Episcopi dispositione Ursulinae in *Greenwich* existentes, sua iura pessumdata esse existimantes *memorandum* ad Episcopos tum Wratislaviensem, tum Hildesheimen. miserunt, quo pluribus circa sui Conventus bonum ius praemissis, declararunt, se permittere non posse, ut sive Communitas *Bauffe*, sive quaevis alia Communitas Duderstadiensis conventus eiusque bonorum possessionem arriperent.

Verum cum Episcopum Hildesheimen. a capta sententia removere haud valuissent, contra Episcopi agendi rationem II. S. C. supplicem libellum porrexerunt haec petentes: 1. ut in possessionem tum Conventus Duderstadiensis, tum bonorum ad ipsum pertinentium immitterentur et quatenus hoc possibile haud foret, 2. ut pecunia a Gubernio restituta

in compensationem ipsis traderetur, ex eo quod ipsae et non aliae antiquam Communitatem Duderstadiensem repraesentant: 3. ut ex fundis pariter restitutis vel pretium, si venderentur, vel reditus si locarentur, ipsis tribuerentur, una cum annuo canone ab illis Religiosis solvendo, quibus conventus Duderstadiensis assignatus foret.

Disceptatio synoptica

Quae monialibus Greenwich favere videntur. Moniales Greenwich ad sua iura protuenda praeprimis animadvertunt conventus venditionem non sponte ac libere, sed ex vi et circumstantiarum necessitate compulsas, executas fuisse, ac proinde numquam spem amisisse conventus possessionem recuperandi, si aliquando leges contra religiosas domus a Gubernio promulgatae revocatae fuissent. Cum itaque post decem annos huiusmodi leges reapse abrogatae fuerint, sponte veluti sua fluere contendunt, ipsas prae ceteris religiosis in possessionem tum conventus immittendas esse, tum bonorum omnium ad ipsum conventum pertinentium, circa quae sua iura numquam perdiderant, etsi huiusmodi bona pro instructione puellarum assignata fuerint.

Hinc aequum ac iustum haud videri, quod ipsae aliis religiosis subiici debeant ob hanc unicam rationem, quod hae in controversi conventus possessionem prius immissae fuerunt. Praesertim cum in facto consistat, id non monialium *Greenwich* culpa contigisse, sed culpa tum Gubernii, tum Municipum, qui preces excipere haud voluerunt, quibus ipsae possessionem tam conventus, quam bonorum conventui spectantium petebant.

Neque aliquam vim habere decantatam difficultatem, quod scilicet moniales *Greenwich* facultate pro instructione puellis tradenda destitutae sunt. Aiunt enim hanc difficultatem adeo gravem haud esse, ut ipsas expoliare valeat iuribus, quibus a duobus fere saeculis fruuntur. Idque eo vel magis, quod huiusmodi difficultas brevi in tenues auras abiret, ex eo quod

monialis iam in promptu est, quae approbationem pro puellis instruendis a Gubernio requisitam consequuta est, et nonnullae aliae adsunt quae huiusmodi approbationem cito obtinere valerent; interea vero per institutrices saeculares suppleri commode posset.

Hisce et nonnullis aliis perpensis, moniales *Greenwich* contendunt Conventum Duderstadiensem et bona Conventus propria sibi adiudicanda esse. Et hac adiudicatione nedum monialium *Greenwich* utilitati, sed etiam Australiae Religiosarum bono prospici; quandoquidem conventio existit qua cautum est, ut bona Conventus Duderstadiensis, casu quo recuperari possent, inter utramque Communitatem aequis partibus dividerentur, ex eo quod Religiosae modo in Australia degentes, iura quae super huiusmodi Coenobium eiusque bona una cum monialibus *Greenwich* olim habebant, haud perdidisse censendae sunt.

Quae episcopo Hildesheimen. favere videntur. Ex altera vero parte Episcopus Hildesheimen, praemisso quod Conventus Duderstadiensis anno 1882 divisus est, et ex eo duo Conventus *prorsus nori* prodierunt, scilicet conventus Ursulinarum in *Greenwich* (Anglia) et in *Armidale* (Australia): praemisso quod conventus Duderstadiensis, tamquam unus Conventus existere desiit quodque nec ille in *Armidale* nec alter in *Greenwich* fundatus, asserere potest, se esse Duderstadiensem conventum; pro viribus sustinet monialibus *Greenwich* sive quoad Coenobium Duderstadiense, sive quoad eius bona nullum ius competere.

Non quidem quoad Coenobium, quia moniales Magistratui civili civitatis Duderstadiensis ipsum vendidit, accedente ecclesiasticae auctoritatis consensu, quin ius coenobium redimendi sibi reservaverit.

Et huiusmodi venditionis contractum uti perfectum habendum esse, ideoque vires suas exerere debere, licet pretium non in monialium manus pervenerit, sed eo Gubernium potitum fuerit; quia ex parte monialium auctoritatis ecclesiasticae consensus accessit. Exploratum enim in iure

est, emptionem et venditionem contrahi, simul ac de pretio partes convenerint; quamvis nondum pretium numeratum sit.

Sed neque ius quoad bona Coenobio annexa monialibus *Greenwich* competere subdit, quia huiusmodi bona, cum iuxta voluntatem a testatoribus panditam, pro instructione puellis civitatis Duderstadiensis tradenda, erogari debeant; monialibus *Greenwich* incolentibus tribui haud possunt, quin testatorum voluntatibus vulnus infligatur: quod permitti nullo pacto valet.

Hisce addit, moniales, quae huiusmodi bona sibi vindicare contendunt, respectivis oneribus et obligationibus satisfacere haud posse; neque antiquum conventum Duderstadiensem repraesentari per novum in *Greenwich* erectum, quia, exceptis *duabus tantum*, ceterae moniales neque in priori Duderstadiensi conventu suppressionis tempore reperiebantur, neque ad nationem germanicam pertinent, et nuperrimis tantum temporibus in ipso loco *Greenwich* inter Ursulinas receptae sunt.

Praeterea, ex confessione ipsius Priorissae conventus in *Greenwich* existentis, palam fieri inquit, quod hae moniales numquam in votis habuerint Duderstadium redeundi, haec enim ad Episcopum Wratislaviensem ad rem scribebat: « Conventum Greenwichensem derelinquere non possumus; » nam habemus hic propriam domum satis bene instructam, » inservimus hic muneri et officiis, quae licet angustioribus » finibus sint contenta, tamen vires nostras non superant: » modernus noster dominus superior vehementer desiderat, » ut hoc nostrum institutum existere non desinat: conven- » tum nostrum ingressae sunt tres virgines ex Hibernia quas » neque Duderstadium ducere, nec in Anglia derelinquere » nobis licet; nec desunt moniales, quae alio translocari ae- » gre ferent. »

Ex quo deduci posse autumat, quod moniales *Greenwich* Episcopi dispositionibus modo obtemperare renuunt, non quia bonum ius sibi adsistere credant, sed spe lucri allectae, ut scilicet compensationem maiorem ea, quae ipsis a Episcopo

proposita fuit, consequi valeant. Quod quam abnorme et exorbitans sit, nemo est qui non videat. Qua de re Episcopus concludit monialium *Greenwich* preces S. H. C. porrectas a iudicii limine repellendas esse.

Hisce hinc inde aequa lance libratis, enodandum propositum fuit sequens

Dubium

An et quaenam iura monialibus Ursulinis in Greenwich *degentibus competant quoad coenobium Duderstadiense eiusque bona immobilia atque inalienabilia et quoad subsidium a Gubernio borussico exhibitum in casu.*

Resolutio. Sacra Congregatio Episc. et Reg. re maturo examini subiecta, sub die 7 Martii 1890 respondere censuit: *Negative in omnibus et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Emptionem et venditionem contrahi, simul ac partes de pretio convenerint, quamvis nondum pretium numeratum sit.

II. Et, si de bonis ecclesiasticis agatur, competentis auctoritatis consensus accesserit.

III. Testatorum voluntates non destruendas vel immutandas, sed ad unguem servandas esse.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Francisci Mariae Castelli clerici professi Congregationis clericorum regularium sancti Pauli Barnabitarum.

Quum per decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 9 Februarii anno MDCCCLXXXIX iam indultum fuisset, ut de Fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praedicti Ven. Servi Dei Francisci Mariae Castelli agi valeret in Ordinario eiusdem Sacrae Congregationis Coetu absque interventu et voto Consultorum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis

Lucidus Maria Parocchi Episcopus Albanensis, huiusce Causae Ponens, ad instantiam Rev. Patris Alfonsi Mariae Mattioli Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, sequens dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis nimirum: *An constet de validate et relevantia Processus Neapoli constructi super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati ven. Servi Dei in casu, et ad effectum de quo agitur?* Eñi porro et Revñi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative.* Die 27 Februarii 1890.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 14 Martii anno eodem.

C. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *S. R. C. Secretarius*

DECRETUM beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Andreae Huberti Fournet sacerdotis fundatoris Congregationis filiarum crucis vulgo Sororum sancti Andreae.

Quum octavo Idus Iulias anno MDCCCLXXXVI Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII iam benigne indulsisset ut de Fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praedicti Ven. Servi Dei Andreae Huberti Fournet agi posset in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum; instante Rmo D. Raphaele M. Virili Antistite Urbano huiusce Causae Postulatore, Eñus et Rñus Dominus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta Episcopus Ostien. et Velitern. Causae ipsius Ponens in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate Pi-*

ctaviensi in Urbe constructi super Fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei in casu, et ad effectum de quo agitur? Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative.* Die 26 Februarii 1890.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 14 Martii anno eodem.

C. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM beatificationis et canonizationis ven. servae Dei Mariae Margaritae Dufrost De Lajammerais viduae D'Yopville institutricis et primae antistitae Sororum charitatis Marianopoli.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?

Mulier sane fortis ac zelo charitatis in pauperes potissimum ardens fuit Dei famula Maria Margarita Dufrost de Lajammerais vidua d' Youville, quae anno MDCCI in loco, cui nomen *Varennes* in regione Canadensi inferiori ortum duxit. In variis vitae statibus, quos Deo sic disponente, ipsa pertransiit, conspicuum omnium virtutum praebuit exemplum. Institutum fundavit Sanctimonialium, quod sibi finem praestituit assiduam opem ferendi ac misericordiae beneficia pauperibus ac derelictis praestandi: quod institutum usque nunc haud desivit, Deo adiuvante, uberes edere fructus. Supernis quoque ornata charismatibus, supremum diem oppetiit die 23 Decembris anno MDCCLXXI, praeclaram relinquens sanctimoniae famam.

Haec porro sanctitatis fama prodigiis, quae deinceps divinitus patrata per eiusdem Servae Dei intercessionem ferebantur, suffulta, post elapsum integrum saeculum et ultra nedum inter-

cedit, sed etiam in dies magis magisque succrevit. Exinde contigit ut Rmus Archiepiscopus Marianopolitanus ordinariam inquisitionem super eadem fama sanctitatis, nec non virtutum et miraculorum ipsius Servae Dei instituendam tandem aggressus sit. Qua rite absoluta, et ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut Dubium signaturae Introductionis Causae praedictae Servae Dei ageretur in Ordinario ipsius Sacrae Congregationis coetu, absque interventu et voto Consultorum, ac licet nondum elapso decennio a die praesentationis Processus Informativi in Actis eiusdem Sacrae Congregationis.

Quapropter infrascriptus Cardinalis eidem Sacrae Rituum Congregationi Praefectus huiusce Causae Ponens, instante Rev. P. Arthuro Iulio Captier, Procuratore Generali Seminarii Sancti Sulpitii, Causae ipsius Postulatore, attentisque postulatoriis litteris plurium Rmorum sacrorum Antistitum aliorumque Virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: « *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu, et ad effectum, de quo agitur?* »

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem si SSmo placuerit.* » Die 27 Martii 1890.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Mariae Margaritae Dufrost de Lajammerais viduae d'Youville praedictae die 28 Aprilis anno eodem.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, *S. R. C. Secretarius.*

APPENDIX IX.

In qua plura referuntur Decreta S. Rituum Congregationis.

MARSORUM

Rmus D. Henricus De Dominicis hodiernus Marsorum Episcopus, S. R. C. sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Num permitti vel saltem tolerari queat invecta in praefata Dioecesi ab antiquis temporibus consuetudo; vi cuius in deferendis funebri pompa fidelium cadaveribus, semel aut pluries feretrum in via sive platea deponitur, et post cantum Antiphonae *Libera me Domine* lustrali aqua aspergitur cum multiplici cleri emolumento?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit:

Expositam consuetudinem, dummodo turpis lucri gratia non fiat, quod scandalum aut admirationem pareret, in casu tolerari posse.

Atque ita rescripsit. Die 20 Novembris 1885.

ISCLANA.

Hodiernus Parochus Ecclesiae sub titulo Ss. Cordis Iesu et s. Mariae Magdalenae Poenitentis loci vulgo *Casamicciola* intra fines Dioeceseos Isclanae S. Rituum Congregationi insequentia Dubia de consensu sui Reverendissimi Ordinarii pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. Utrum post recentem legitimam dedicationem Ecclesiae Parochialis factam etiam Ssmo Cordi Iesu, retenta tamquam Contitulari s. Maria Magdalena, Parochus teneatur applicare Missam pro populo in utroque festo, an tantum, sicut hactenus factum est, in festo s. Mariae Magdalenae Poenitentis?

Dubium II. Quum ob Paroeciae extensionem Parochus non possit in Sabbato Sancto Paschae omnes fidelium domos perlustrare aspergendo eos aqua fontis, num valeat haec tam necessaria perlustratio anticipari iam inde a quarta Dominica Quadragesimae cum aqua de more solito benedicta?

Dubium III. Hoc in casu dicendae ne sunt Antiphona et Oratio praescriptae in Rituali pro Sabbatho Sancto Paschae recitando *Alleluia*, an alia Antiphona et Oratio quae proxime succedit in eodem Rituali?

Dubium IV. Potestne tolerari consuetudo quae hac in Paroecia invaluit, in ducendis funeribus Confratrum s. Mariae a Pietate, nimirum quod, ducto funere usque ad ianuam Oratorii Confratrum, Parochus seu eius Vicarius coram clero ac populo stola funebri exuatur, Capellanus vero suam stolam induat, in limine Oratorii aspergat Corpus aqua benedicta et sic funus proprio marte prosequitur, nullo respectu habito ad iura parochialia?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Si festum s. Cordis Iesu non sit de praecepto, Parochus non tenetur ad Missam applicandam pro populo.

Ad II. Benedictio domorum in casu fieri nequit ante Sabbathum Sanctum, poterit vero fieri durante hebdomada Octavae Paschatis.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Ad IV. Negative, et detur Decretum diei 10 Decembris 1703 ad 20.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 20 Novembris 1885.

PAPIEN.

Rmus D. Augustinus Riboldi hodiernus Episcopus Papien. exponens in Capitulo suae Cathedralis Ecclesiae non adesse ordinis distinctionem tum quoad praebendas, tum quoad sacra paramenta, sed in functionibus pontificalibus omnes Canonici indistinctim pluviale assumere solere; a S. R. C. insequentium Dubiorum solutionem humillime expetivit, nimirum:

Dubium I. Quum in Decreto Sacrorum Rituum Congregationis sub diei 13 Martii 1608 dicatur « si non sint distinctae praebendae, fiat tamen distinctio per paramenta » debetne in sacris paramentis noviter conficiendis introduci distinctio, vel invecta tribus abhinc saeculis consuetudo servari potest?

Dubium II. In dictis paramentis tela aurea admitti potest pro coloribus tum albi tum rubri, vel distinctus color pro distinctis solemnitatibus respective adhibendus est?

Dubium III. Quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad secundam, potestne permitti tela argentea pro paramentis albi coloris?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis recribendum censuit:

Ad I. Servetur consuetudo.

Ad II. Potest tolerari tela aurea pro coloribus albo et rubro, tantum ratione pretiositatis.

Ad III. Affirmative.

Atque ita rescripsit. Die 20 Novembris 1885.

ASCULANA.

Rmus Ordinarius Dioecesis Asculanae S. R. Congregationi humillime exposuit: Cathedralis Basilicae Canonicos in Missis privatis uti operâ inservientis infra sacrosancti Sacrificii actionem; nimirum quod inserviens Missae saepissime laicus initio Missale operit et sub finem claudit foliaque huius amovet, simul Introitum, Orationes ceterasque partes indigitans; idem ante offertorium e medio altaris retrahit, sistit in cornu epistolae, et discooperit calicem, amovet pallam desuper hostiam: absoluta Comunione super calicem a celebrante Canonico extersum, et purificatorio ac forsan patena coopertum, collocat pallam, plicat corporale et in bursam reponit, ac demum calicem velo bursaque instructum in medio sistit altaris. Ne vero haec inservientium praxis, quae praesertim in Catherali Basilica adhiberi coepit etiam a quolibet Sacerdote sacrum faciente, magis invalescat, et ad ceteras Dioecesis Ecclesias propagetur; idem Rmus Ordinarius eidem Sacrae Congregationi quae sequuntur Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An aliquid sit in exposita praxi quod Asculanae cathedralis Canonicis liceat vi consuetudinis, quae tamen per resolutionem Sacrae ipsius Congregationis diei 27 Maii 1788 reprobata fuit?

Dubium II. Et quatenus negative, an idem servari debeat quoad Canonicos quoscumque, quibus nulla facta fuerit prohibitio?

Dubium III. An Canonici cuiuslibet Ecclesiae quavis consuetudine, non tamen scripto privilegio suffulti, teneantur universi et singuli cunctis Rubricis Missae in celebratione privata sese omnino conformare prouti ceteri Sacerdotes?

Dubium IV. An de expositis aliquid et quidnam Asculanis Canonicis liceat vigore privilegii Apostolici utendi Canone et Palmatoria in Missis etiam privatis?

Dubium V. An eiusmodi privilegio Canonis et Palmatoriae frui possit Vicarius Generalis Asculanae Dioeceseos, qui non sit ibidem Canonicus?

Dubium VI. An Canonis et Palmatoriae privilegium, et si quid aliud permittitur, locum habere possit quando privatae Missae Canonicorum inservit aliquis plane laicus, interdum vix puber, Ecclesiae servitio addictus, veste talari sive nigri sive rubri coloris, cum vel sine superpelliceo indutus?

Dubium VII. An quae nunc temporis locum habere solent in Missis Canonicorum privatis, fieri valeant ex consuetudine in Missis conventualibus, quae a Mansionariis absque Diacono et Subdiacono decantantur; etiam tum cum Minister sit laicus, licet veste talari et superpelliceo indutus?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii

exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Negative

Ad II. et III. Affirmative.

Ad IV. Exhibeatur privilegium Apostolicum.

Ad V. Negative.

Ad VI. Tolerari posse ex necessitate, dummodo inserviens talari veste et superpelliceo sit indutus.

Ad VII. Ut ad proximum.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 11 Decembris 1885.

CAMERACEN.

Rmus D. Franciscus Eduardus Hasley Archiep. Cameracen. S. R. C. insequentium Dubiorum resolutionem humillime expostulavit, nimirum:

Dubium I. Moniales a S. Clara seu Coletinae e Belgico regno in Archidioecesi Cameracen. hunc usum invexerunt nimirum: Intra parietem qui medius est intra chorum Sororum et Sanctuarium cellula est praeparata ubi SS. Eucharistia in ostensorio requiescit. Sacerdote absente Sorores ianuam cellulae in choro suo aspicientem aperiunt: adhuc tamen clausum remanet Ss. Sacramentum solido vitro. Sic piae Sorores statutis horis contemplatione S. Hostiae fruuntur. Quaeritur an talis consuetudo servari possit?

Dubium II. Praedictae Sorores et quaedam aliae Superiorum Ecclesiarum auctoritate fultae omnes quotidie s. Communione reficiuntur, licet iuxta regulas et theologorum multorum decisiones pro aliquibus tantum et in quibusdam circumstantiis talis et tanta gratia reservari debeat. Quum vero multo dolore optimae Sorores afficerentur si tanto solatio orbandae forent, hinc quaeritur quid in casu agendum?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribere rata est:

Ad I. Piam consuetudinem tolerari posse.

Ad II. Consuetudinem laudandam esse, ac promovendum usum frequenter suscipiendi Ssmam Eucharistiam, iuxta Concilii Tridentini (sess. XIII. cap. 8) dispositionem.

Atque ita rescripsit. Die 11 Decembris 1885.

ILLERDEN.

R. D. Antonius Maurillo et Valverde Canonicus Ecclesiae Cathedralis Illerdensis Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia declaranda de consensu sui Rmi Episcopi humillime proposuit, nimirum:

Per diploma a Catholico Rege subscriptum nominatus est Capellanus ad honorem. Cum vero haec

gratia tribuat ei facultatem utendi quibusdam indumentis et condecorationibus, a Sancta Sede concessis, videlicet caligis et collari coloris violacei, apice pileoli, vulgo solidei, coloris viridis et parva cruce e collo suspensa, quaeritur:

I. Potestne etiam in choro uti praedictis indumentis?

II. In casu negativo, potestne in choro vestiri saltem caligis et collari coloris violacei, cum haec indumenta ad vestitum exteriorem spectare videantur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, propositis Dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 16 Ianuarii 1886.

PALENTINA.

Hodiernus Caeremoniarum Magister in Dioecesi Palentina de consensu Rmi Ordinarii Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. Quum ex nonnullis Sacrarum Romanarum Congregationum responsis aliqui putent sacram Pyxidem, aperto tabernaculi ostiolo, posse fidelium pietati exponi, minime vero inde extrahi; alii vero educi posse opinentur, tantum ut cum eo populo benedicatur, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus Ecclesiis Regularium; quaeritur num huiusmodi consuetudo admitti possit?

Dubium II. Et quatenus negative, permitti potest vi consuetudinis, illis Congregationibus seu Religiosis familiis, quae etiam alibi ita facere consueverunt?

Dubium III. Concedi ne potest prudenti arbitrio Ordinarii etiam aliis Congregationibus id petentibus?

Dubium IV. Ad mandatum exequendum SSmi Dni Nri Leonis Papae XIII. iuxta Decretum Urbis et Orbis die 20 Augusti superioris anni, quoad Rosarium singulis Octobris diebus, cum Litaniis in cunctis Ecclesiis Parochialibus recitandum, et Sanctissimum Sacramentum exponendum, quo deinde fideles lustrentur, sufficitne privata expositio, scilicet aperiendo ostium tabernaculi, et secundo potestne in hoc casu extrahi Pixis, quacum populo benedicatur?

Dubium V. Eodem Decreto praecipitur, quod si mane Rosarium cum Litaniis recitetur, Sacrum inter preces peragatur; quaeritur, num haec verba ita intelligi debeant quod Rosarium uno eodemque tempore dicatur quo Missa celebratur vel potius Missa antea celebranda sit, ac postea Rosarium cum Litaniis recitetur quemadmodum fieri solet in Palentina Dioecesi?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto in scriptis

alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Consulendum SSmum.

Ad V. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 16 Ianuarii 1886.

Facta autem ab ipsomet Sacrorum Rituum Congregationis Secretario de contentis in quarto Dubio Ssmo D. N. Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua haec indulgere dignata est: Attentis specialibus circumstantiis Ecclesiarum pauperum, in quibus praescripta expositio Sanctissimi Sacramenti solemni modo seu per Ostensorium fieri nequeat absque incommodo, eadem per modum exceptionis peragi poterit prudenti iudicio Ordinarii cum sacra Pyxide, aperiendo scilicet ab initio ostiolum ciborii et cum ea populum in fine benedicendo. Die 4 Februarii anno eodem.

ROMANA SEU COLLEGII HISPANICI.

Superior Missionariorum immaculati Cordis B. M. V. et Rector Collegii Hispanici Romae existentis exponens suum institutum, utpote recens fundatum, non habere proprium ordinem ad Officium Divinum persolvendum Sacrumque faciendum, ab hac Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit:

I. An ipse Orator et sui Alumni Romae degentes teneantur, vel possint uti Kalendario et Proprio Cleri Romani?

II. An potius teneantur et possint uti Kalendario et Proprio Ecclesiae B. M. V. de Monte Serrato in Urbe?

III. Quatenus negative, an teneantur et possint uti Kalendario Ecclesiae universalis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii propositis Dubiis ita rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Affirmative:

Ad II. et III. Provisum in primo.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 16 Ianuarii 1886.

BARCHINONEN.

Ecclesia Parochialis sub titulo S. Mariae in loco *Matarone* nuncupato intra fines Dioeceseos Barchinonen. ut consecrata habetur tum quia ab antiquis temporibus anniversarium Dedicationis semper celebratum fuit Dominica postrema Octobris, tum quia in demolitione primitivi altaris sub ara repertum fuit una cum quinque granis incensi et sacris Reliquiis pervetustum documentum peractam asserens consecrationem, tum quia re-

periebantur in parietibus cruces depictae, testibus senioribus superioris saeculi ipsius Ecclesiae Beneficiatis. Quum vero crescente populo templum amplificatum fuerit, intactis parietibus lateralibus, et dirutum fuerit altare maius; sensim Cruces disparuerunt, et anno 1854 parietum interna facies perpolita, et stucco, uti vocant, cooperta est, altare tamen maiore nec fixo nec lapideo nunc temporis extante. At vero quum dubium aliquod de ipsa consecratione subortum sit, hinc hodiernus Rector Archipresbyter et Clerus eiusdem Ecclesiae servitio addictus, de consensu Rmi Episcopi Barchinonensis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecerunt, nimirum:

Dubium I. Utrum praedictum templum, ob factam amplificationem, nova indigeat consecratione?

Dubium II. Et quatenus negative, num consecratio fieri debeat propter stucci additionem?

Dubium III. Et quatenus negative etiam ad secundum, quaeritur num necessario erigendum sit novum altare maius fixum et lapideum rite consecrandum, ita ut quotannis Officium Dedicationis persolvi possit?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. et II. Negative seu non indigere: et iterum depingantur et apponantur Cruces in parietibus in testimonium peractae consecrationis.

Ad III. Affirmative.

Atque ita rescribendum et fieri mandavit. Die 16 Ianuarii 1886.

EPISTOLA SSmi Patris Leonis XIII ad Episcopum Viglevanensem; qua dolet de contumelia huic illatâ; ex quo vocatus sit coram laico magistratu, perfunctionis sacri muneris gratiâ.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. Graviter molesteque tulimus allatum Nobis nuncium de gravi contumelia Tibi irrogata, quum propter sacri muneris tui perfunctionem coram laico magistratu quaestioni obnoxius fuisti, quae de suspectis criminis haberi solet. Dolor autem, quem tuâ causâ cepimus eo fuit acerbior quod episcopalis dignitas in Te laederetur et novum suppeteret, triste satis indicium dirae insectationis qua in Italia conflictatur Ecclesia. Lenit tamen aegritudinem Nostram cogitatio effectuum, quos necesse est oriri ex huiusmodi vexatione adversos consiliis hominum qui eam intulerunt. Quo enim exploratior fit iniusta vis, qua saevit in Ecclesiam civilis potestas quae ipsa conscientiae arcana contendit accensere ditioni suae metuque poenarum deterrere ab officio dispensatores mysteriorum Dei, eo liquet apertius quam impudens mendacium sit quo religionis hostes sese iustae libertatis iactant adsertores, et quam irritus eorum conatus ut sanctae militiae Christi proditores faciant qui sese illi addixere.

Hi enim, Deo opitulante, neque minis cedent neque ab officio desciscent, novam imo e nobili certamine adepti gloriam gestient, Apostolorum instar, quippe eo nomine quod Deo parverint digni habiti sint contumeliam pati.

Macte igitur animo, Venerabilis Frater, Nosque Tibi gratulari sinito pro sacerdotali zelo et constantia, qua pastorale ministerium obis: quam strenue iniisti viam eâ pergito alacriter, neve molestias reformides quas Tibi forte vis et nequitia hominum adhuc erit allatura. Erigant Te veterum exempla fidelium de quibus illud traditum est « *quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit:* » erigat spes mercedis amplissimae manentis eos qui « *certamen sustinuerunt propter nomen Christi et non defecerunt.* » Tibique adiutricis gratiae Dei sit Apostolica Benedictio, quam nostri in Te animi testem Tibi, clero et populo Dioecesi cui praees peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Iunii anno MDCCCXC, Pontificatus Nostri decimotertio.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

POSNANIEN.

LEGATI PII

Die 25 Ianuarii 1890.

Per summaria precum

Compendium facti. Supremis quibus decessit tabulis sub die 27 Aprilis 1811 Cordula Turno disposuit, ut ex feudo quodam rustico 60 thaleri, 180 markae, idest 218 vel 225 libellae, quotannis solverentur parochiali ecclesiae loci *Goniembice*, his verbis et hac lege: « Primo relinquo ad aeterna tempora in (fundo) Wyciazkowo summam sexaginta thalerorum *pro luminaribus et anniversario pro me et propinquis meis, sicut et pro illuminatione Sepulchri Domini*, et obligo filium meum Adamum, futurum haeredem bonorum Wyciazkowo, ut hanc summam hypothecariam decenter tutari sinat. » Archiepiscopus post mortem testatricis de pio legato edoctus, illud verbotenus approbavit, et Gubernii civilis sanctioni subiecit, quae die 29 Martii 1819 prodiit. Dein ex eiusdem civilis legis praescripto haeres fundum Wyciazkow ab imposito onere liberavit, praestando summam 4500 markarum, lib. 5625, quae in titulis publici census 4 % tunc reddentibus collocata est.

Interim testamentarius piae mulieris executor, qui eius consanguineus erat et parochus pro tempore pagi *Goniembice*, assignatam summam quotannis percepit, et, ut ait Episcopus, « sex markas tantum pro thesauro Ecclesiae destinavit, reliquas 171 markas sibi ipsi adiudicavit. Et talis consuetudo observabatur absque ordinatione sedis Archiepiscopalis annos circiter 50. »

« Tum demum, prosequitur Praesul, anno 1868 Antecessor meus in hac Sede in actu visitationis pastoralis de-

crevit, absque tamen ordinatione, ut exinde iuxta legem dioecesanam, praeter illas sex markas, quae iam Ecclesiae reddebantur, decima pars eorum quae curatus percipere consueverat, nempe markae 17. 40, simul markae 23. 40, thesauro Ecclesiae solverentur, quod abhinc observatum est usque adhuc. »

« Anno demum praeterito cum curatus modernus ordinationem formalem sollicitasset, Consistorium meum generale... *prima vice* die 14 Maii anni praeteriti ordinavit: - Sacerdoti pro absolvendo anniversario 20 markae; reliquum thesauro Ecclesiae solveretur. - Quam ordinationem die 3 Iulii eiusdem anni mutavit in favorem petentis eatenus, ut thesauro ecclesiae 81 tantum, reliqua 99 markae, sacerdoti pro absolvendo anniversario solverentur. »

Tenor huiusmodi secundi decreti ita est: « Nos igitur studio etc. fundationem de qua agimus approbamus etc., ordinantes ut fundatricis intentioni quae in authentico scripto a Nobis admisso et in tabulis nostris asservato inspici et legi potest, satisfiat; nec non disponentes, ut ex censu a summa capitali soluta 1500 markarum borussicarum quotannis solvendo, 1. triginta sex markae pro comparandis cereis circa feretrum in praedicto anniversario ponendum; quadraginta quinque vero markae ad S. Sepulcrum exornandum adhibeantur, 2. organoedus quinque, 3. calcator unam, 4 sacristanus duas, 5. ministrantes unam markam; 6. *reliquum* vero Sacerdos qui obligationi fundationi huius satisfecerit, percipiat. »

Ab huiusmodi Consistorii decreto ad ipsum Archiepiscopum Parochus appellavit, sed frustra; quapropter supplici libello ad SSmum confugit, et, praemisso quod usque modo, iuxta observantiam, quae non alia esse potest, quam ea quae subsequenter ad archiepiscopale decretum anni 1868, de quo supra mentio est, inolevit cum consensu RR. Archiepiscoporum Posnaniensium sacerdos 157 markas germanicas, circa 189 liras, - pecipiebat - et pro luminaribus et illuminatione Sepulchri 23 markas, circa 29 liras expendebantur, » postu-

labat ut SSmus « dictam ordinationem de die 3. Februarii annihilare et Rev. et Cel. Ordinario loci aliam ordinationem iuxta mentem observantiae nostrae ecclesiae dare mandare dignetur. » Idque quia nupera episcopalis ordinatio data fuerat 1. cum magno detrimento beneficii huius pauperis, 2. cum violatione iustae consuetudinis, 3. cum non legitima augenda dote aerarii ecclesiae, 4. cum indignatione propinquorum et haeredum legitimorum testatricis, 5. cum iniuria testatricis et propinquorum animae, ac 6. cum scandalo parochianorum meorum. » Quod scandalum explicans parochus, haec, ceteris quae minora sunt missis, addebat:

« Iuxta modernas leges civiles Ecclesiae invisas administratio bonorum ecclesiasticorum sita est in manibus laicorum. Tempore conflictus regiminis regii cum Ecclesia nonnulli provisores Eccles., invidentes sacerdotibus, affectabant, nonnullos reditus beneficii Curato vacante ad usus non convenientes cum lege ecclesiastica expendere. Quantum gaudium parabit haec Ordinatio perversis in paroecia! habebunt materiam scandali evocandi contra Sacerdotem, nominantes eos defraudatores aerarii eccles., bonos incitabunt contra Parochum suum, qui per tot annos ex hac summa fundata 189 lib. percipiebat! Facile intelligi potest, hanc ordinationem causam diminuendae fidei Parochianorum erga Pastorem suum praestituram esse, et mortuos etiam sacerdotes, meos praedecessores, ignominia affecturos esse. »

Archiepiscopus pro informatione et voto rogatus, dum S. C. C. iudicio iampridem se submittere declarabat, in merito tamen haec observabat: « Ex tenore testamenti patere videtur legati supradicti non alium esse finem atque ut comparentur luminaria pro ecclesia, ut absolvatur quotannis unum anniversarium... atque ut sepulchrum Domini die Parasceves et Sabbato Sancto illuminetur. De ampliore autem dotatione beneficii quam modernus curatus tamquam praecipuum finem legati proponere intentat, ne uno quidem verbo mentio facta est. » Quibus praehabitis ad singula parochi appellationis argumenta ita respondebat:

« Ad I. - Detrimentum beneficii pauperis. - Quod decreto meo beneficium detrimentum aliquod patitur certum est, sed nonnisi detrimentum redditus accessorii, cuius determinatio auctoritati Dioeceseos derelicta est, dum redditus substantiales beneficii intacti manent. Ceterum, utrum beneficium pauper sit, nec ne, S. Congregatio ipsa inde iudicare dignetur, quod beneficium hoc rurale *netto* (sic) 4200 markarum habet redditum. Praeterea addendum mihi est, modernum curatum, h. e. petentem, ultro adiudicatas sibi habere 1200 markas ex redditibus Vicariatus modo vacantis, ita ut universim 5400 markarum gaudeat re lditu. »

« Ad 2. - Violatio iustae consuetudinis - hoc unicum est, quod forsan aliquam speciem iustae rationis prae se ferre possit, sed considerandum est: primitivam illam consuetudinem, quae an iusta fuerit, maxime dubitandum est, iam per decretum in Visitatione pastorali a Praedecessore meo editum 20 abhinc annis, minimeque in curati favorem, interruptam fuisse, neminemque abhinc confessum esse, quasi iniuria beneficio facta esset; hinc ius invocandi in favorem suum iustam consuetudinem petenti forsan etiam denegandum erit. »

« Ad 3 - Non legitima auctio dotis aerarii Ecclesiae. - Quare ei non videatur legitima, cum a legitima Auctoritate sit decreta, neminique iniuriam faciat, intellectu difficile est.»

« Ad 4. - Indignatio haeredum et propinquorum testatricis - Verum est, petentem omnes haeredes et propinquos testatricis in scriptis invitasse et rogasse, ut declararent, se desiderare, ut quoad distributionem reddituum legati, de quo sermo, consuetudo quae hucusque vigebat, servaretur et omnes iuxta petitum ei respondisse; at non mirum, quod omnes ei assenserint, quum extra paroeciam habitent et nulla eorum intersit, an distributio reddituum hoc aut alio modo fiat. Insuper ius nullum iis est disponendi circa res ad paroeciam illam pertinentes. »

« Ad 5. - Iniuria animarum testatricis et propinquorum. - Quomodo inde, quod retributio aliquando minor adiudicatur

curato pro absolvendo anniversario, iniuriam inde patiantur animae defunctorum, qui potest, intelligat. »

« Ad 6. - Scandalum parochianorum - sumendum est secundum quid. Certe invenientur quidam eorum, praesertim petentis familia, quia parocho ipso de rerum statu instructi, eidem annuent; at dubitandum est, an reliqui inde, quod thesaurus Ecclesiae melius sit dotandus, et quod cultus divinus maiore cum pompa sit celebrandus, scandalum capiant. »

Disceptatio synoptica

Quae curato favere videntur. Animadversum fuit in parochi favorem potissimum militare observantiam, quae quanti sit valoris nemo profecto ignorat. Ea siquidem maximopere inservit ad dubiam testatoris voluntatem declarandam iuxta *cap. Cum olim De causa poss.*, *Cum dilectus De Consuet. L. 1 interpretatione de Legib.* Rota *coram Royas decis. 279 n. 12 et in Recent. decis. 163 n. 2 p. 10.* S. C. C. in *Forosempronien. 20 Apr. 1771* § *Quum enim.* Unde iuxta notum adagium qualis est observantia, talis praesumi debet fundatio. Pitonius *De controv. patron. alleg. 98 n. 14.* Fagnan. *De iurepatr. p. 2 can. 26 vas. 2 n. 44 et can. 16 cas. 2 n. 2* S. C. C. in *s. Severini canonicatus diei 2 Aug. 1856* § *Itaque.* Quinimo observantia interpretativa non requirit continuationem et actuum uniformitatem. Rota *Decis. 966 n. 20 coram Molines,* in *Faventinae Coadiutoriae die 22 Ian. 1763* § *Nec.* Nam ex observantia interpretativa exploratum est, quid volitum, quidve datum fuerit declarari; atque ad eam inducendam vel unicum actum sufficere docet Barbosa in *L. Post dotem ff. de solut. matr. a. n. 47.* Lotter *De re benef. l. 2 q. 11 n. 125.* De Luca *De iurepatr. disc. 2 n. 16 disc. 60 n. 27.* Qua de re consuetudo quae iuri contraria non est, servanda est, nec laedi potest decreto Episcopi, ut advertunt interpretes ad *cap. cum M. Ferrariensis De constit.* et prae-

sertim Felin. *n. 113 et Rop. n. 187*, et S. C. C. Quae omnia multo magis valent si observantia sit fundationi proxima et coaeva. Pitonius *De controv. patr. alleg. 100 n. 614; disc. eccl. 159 n. 44.* Cfr. S. C. C. *Maceraten. dispensationis 3 febr. 1787. Ceriniolen. Interpretationis 1 Apr. 1876* § *Orta*, signanter vero resolutionem S. C. C. in *Bononien. Legati die 11 Dec. 1880.*

Iamvero in themate habemus observantiam fere centenariam, non solum fundationi proximam, sed quae inducta est ab ipso executore testamenti; unde maiorem sibi vindicat auctoritatem. Sed vel maximam, si consideretur, ipsum piae mulieris haeredem, qui non alius fuit ac ipsemet Ordinarius Posnaniensis, ratam usque ab initio habuisse praxim quae hodie impugnatur. « Anno Domini 1820, ait hodiernus parochus orator, Archiepiscopus Posnaniensis Timotheus de Gorzenski erat ipse haeres bonorum in Wiciazkowo, sicut propinquus testatricis, quae de domo Gorzenski erat: ipse solvebat per aliquot annos summam fundatam ecclesiae parochiali in Goniembice, noverat mentem testamenti Cordulae, et non restitit observantiae. »

Accedit iuxta eumdem parochum « quod propinqui testatricis, qui, per multos annos post mortem testatricis erant haeredes bonorum in Wyciazkowo et Goniembice, erant etiam patroni ecclesiae huius, et approbabant computos annuos ecclesiae, nihil tamen opponebant, neque ullam querelam ad Rev. Ordinarios contra observantiam. »

Quin imo hodierni haeredes de hac inolita praxi contenti sunt; sicut contra eam in sacris Visitationibus hucusque non reclamaverunt Praesules loci Ordinarii.

Nec obiici valet, testamenti executorem, utpote parochum loci Goniembice, iudicem fuisse in propria causa, dum sibi legati reditus attribuit. Quandoquidem responderi in primis potest, quidquid sit de hac re, exinde executoris qualitatem non tolli. Sed praeterea retorqueri posset argumentum, dicendo, testatricem hoc ipso voluisse favere executori proprii testamenti eiusque successoribus.

Nec nocet observantiae decretum anni 1868, quin imo ipsi favet; quum saltem implicite recognoverit ius parochi ad fructus residuos, imponendo solummodo onus, quod insolitum haud esse videtur, nempe de decima fructuum parte in favorem fabricae ecclesiae et pro cultus expensis solvenda.

Quae contra curatum facere videntur. Ex altera vero parte in primis observari debet, legatum, de quo quaestio, relictum dici parochiali ecclesiae, non autem directe et personaliter parocho. Sane in decreto episcopali ita legitur: « Cordula Turno annuum censum 60 thalerorum.... *ecclesiae parochiali* in Goniembice... in perpetuum hac intentione tutari iussit etc. » Et ipsemet orator in suo supplici libello obiter scribit: « Cordula Turno destinavit anno D. 1811 in testamento *huic parochiali ecclesiae* 60 thaleros. » Porro cum legatum ecclesiae relictum dicatur, non autem parocho, sequitur, quod, oneribus impletis, quod superest aerario ecclesiae pro cultus expensis accrescere debet, non autem parocho in augmentum congruae.

Accedit quod testamenti verba, si ea ratione interpretentur quam Archiepiscopus proponit, legati reditus ad onera satisfacienda vix sufficerent. Vult namque Praesul ex allegatae particulae tenore patere « legati non alium esse finem, atque ut comparentur luminaria pro ecclesia, ut absolvatur quotannis unum anniversarium... atque ut sepulcrum Domini illuminetur. » Iuxta quam interpretationem non duplex, ceu parochus supponit et hucusque intellectum est, sed triplex onus legato esset adscriptum, pro luminaribus nempe in generali, pro anniversario fundatricis et pro illuminatione speciali Sepulcri in Parasceve: quibus oneribus satisfaciendis ac praesertim priori obeundo omnes legati reditus profecto absorberentur, et ideo vel a fortiori parochus a quocumque emolumento excluderetur.

Et quamvis adducta interpretatio non admittatur, tum quia nova est, tum quia distinctioni et divisioni verborum non undequaque naturali innititur, cum enim legatum dicatur

factum *pro luminaribus et anniversario pro me et propinquis meis* haec duo coniuncta videntur et sequenti inciso opposita ubi legitur *sicut et pro illuminatione sepulcri Domini;* nihilominus adhuc superesset primum argumentum, nempe quod legatum factum dicatur ecclesiae, non autem parocho. Imo cum parochiale beneficium ex ordinarii testimonio pingue sit, et vicissim ecclesia parochialis ex ipsius parochi assertione angusta et remissa dicatur: hinc vel firmius retinendum videtur legatum intuitu ecclesiae fuisse relictum. Accedit quod testatricis familia ecclesiae patrona erat, unde merito praesumi potest in huius favorem fuisse procliviorem. Demum ex Archiepiscopi litteris constat, huiusmodi legatum per Gubernium civile « Posnaniense die 29 Martii 1819 approbatum, et ecclesiae parochiali Gonimbicensi adiudicatam esse. » Porro inverisimile prorsus est, civilem potestatem illico post testatricis mortem approbavisse legatum, illudque alteri ac testatrix expressit attribuisse. Quapropter licet ad acta testamentum desit, ex quo de legati adscriptione cum certitudine iudicari possit; nihilominus ex his argumentis satis tute concludi posse videtur, illud non alteri quam ipsi ecclesiae esse relictum.

Quo posito, applicanda in themate videtur theoria *cap. Requisivisti 25 De test.* iam pridem a S. C. C. firmata in *Romana Legati 3 Augusti 1658* et in *Civitatis Castellanae Eleem. missar. 15 Decembris 1742,* quod scilicet quando testator pauperem ecclesiam scripsit haeredem, ac mandavit fructus erogari in aliquot missarum celebrationem, sacerdoti celebranti assueta detur eleemosyna, ac reliquum cedat commodo ecclesiae. Amostazo *De caus. piis l. 1 c. 4 n. 24.* Pasqualigo *De sacris. mis. l. 2 q. 968.* S. C. C. in *Fanen. Reduct. Mis. die 6 Decem. 1768.* Unde in themate cum ecclesia Gonimbicensis haeres legati scripta fuerit, sequitur ipsi adscribendum esse totum id quod ex legati reditu superest, soluta pro anniversario assueta contributione.

Imo sub hoc respectu nupera Archiepiscopi ordinatio, quae ut rigida et parochi iuribus laesiva impugnatur, nedum

talis, sed potius nimium benigna et parocho excessive favorabilis apparet.

Nec refert ad consuetudinem provocare; quia in his adiunctis consuetudo non potest admitti nisi interpretativa aut praescriptiva. At interpretativa, nempe de mente et voluntate testatricis, invocari non potest; nam interpretatio locum habet in obscuris et dubiis; « quia alioquin in verbis claris interpretationem desiderare idem foret ac nodum in scirpo quaerere. » Glossa in *c. Cum Dilectus 8 De consuet. v. Iure com.* Barbosa *Axiomat. 222 n. 32.* In themate autem perspicuum est, legatum ecclesiae relictum esse, et ideo in ecclesiae beneficium, non vero in pinguis parochialis praebendae augmentum cedere debere. Sed neque ad consuetudinem praescriptivam recurri meliori omine potest; utpote quia praescriptio contra voluntatem defuncti et in damnum ecclesiae non procedit, nisi saltem numeris omnibus absoluta sit, idest nisi probetur possessionem fuisse pacificam, manifestam, idest non clam retentam, bona fide et ex iusto titulo colorato, per tempus a lege praefinitum. *Cap. 5, 8, 10 De praescrip.* Reiffenstuel *ad 4 tit.* Heinecius *ad tit. De usurp. et usucap. n. 215.* Atqui in themate dubitari potest utrum proventuum a legato provenientium perceptio, idest possessio quam parochus sibi vindicat, Ordinario, consilio fabricae aliisque interesse habentibus fuerit manifesta, idest non clam ipsis retenta; dubitari insuper potest, utrum bona fide et ex iusto titulo colorato huiusmodi legati perceptio obtinuerit: quod adeo verum est, ut ipse parochus qui hodie coram S. C. C. dimicat, ab Ordinario flagitaverit aliquam quoad Cordulae legatum provisionem; quod quidem indicat ipsum tuta conscientia ac tranquillo animo hac in re non fuisse. Demum vero ipsa continuitas possessionis, quae in praescriptionum materia essentialis undequaque est, deficere in themate videtur, eique vulnus aliquod inflixisse Episcopalis ordinatio anni 1868.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae

Resolutio. Sacra Cong. Condilii re visa sub die 25 Ianuarii censuit respondere: *Standum ultimo decreto Archiepiscopi.*

NEAPOLITANA

CONCURSUS

Die 22 Februarii 1890.

Sess. 24 cap. 1 De reform.

Compendium Facti. Quoad controversiam a sacerdote Contarini promotam eo quod connumeratus non fuerat inter approbatos in concursu ad paroeciam s. Mariae Gratiarum, propositis dubiis 1. *an iudicium curiae archiepiscopalis sit confirmandum vel infirmandum in casu;* et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam, 2. *an et quomodo providendum sit in casu;* S. C. C. die 4 Maii 1889 respondit: « Non esse locum appellationi, et ad mentem: mens autem est, ut scribatur Emo Archiepiscopo, examinatores non sufficienter servasse constitutionem Benedictinam *Cum illud* quoad concurrentem Contarini. » (1)

Hac resolutione gravatus sacerdos Contarini beneficium novae audientiae postulavit et per suum patronum in primis evincere satagit locum esse appellationi.

Disceptatio Synoptica.

Defensio sac. Contarini. Appellationis duplex est species, ait advocatus, iudicialis et extraiudicialis: prima quae fit a sententia, altera a gravamine a iudice inferiore in electionibus, provisionibus aliisque similibus actis illata. Iamvero provocatio a gravamine fieri potest « per viam legitimae contradictionis seu accusationis » ut ait Engel *lib. 2 tit. 28 § 3 n. 16,* et eo casu « etiam post lapsum decendii est locus impugnationi. » Quod confirmat *cap. 8 De appel.*

(1) Vol. XII, 131 controversia haec relata fuit.

in VI. Unde in themate cum sacerdos Contarini a gravamine provocaverit per viam accusationis, lapsus decendii, qui ex adverso opponitur, revera eidem nocere non potest.

At imo ne dici quidem potest decendium absque appellatione elapsum fuisse. Siquidem ipse in suo supplici libello asseverat se variis modis ob passum gravamen conquestum cum Ordinario fuisse, et nonnisi ad morem eidem gerendum ab appellatione prosequenda diu abstinuisse; quod testatur Sacerdos Basso, aliique.

Atqui ad effectum appellationis non requiritur sacramentalis alicuius formae prolatio; sed, ut habet Huet *l. 2 t. 28 q. 10*, « pars vel voce vel scripto vel facto declarare debet intra decem dies se provocare ad iudicem superiorem; » et, ut docet Engel *cit. l.*, « appellatio a definitiva incontinenti fieri potest viva voce per verbum *appello*, vel aequipollens. » Quapropter dicendum iuxta patronum videtur, sacerdotem Contarini coram inferiore iudice, utili tempore sufficienterque utique appellasse, nam statim de suscepto gravamine est conquestus: et hoc unum dumtaxat distulisse, nempe apostolos petere et appellationem coram superiore iudice prosequi.

Verumtamen ad apostolorum petitionem faciendam et appellationem in superiori foro prosequendam tempus non est a canonico iure praefinitum. En sane legis verba in *cap. Cum sit 5 De appell.*: « Si ante sententiam definitivam appelletur, annus conceditur appellantibus, vel ex necessaria et evidenti causa biennium: potest tamen iudex *a quo* appellatur, considerata locorum distantia et qualitate causae ac personarum brevius tempus assignare. » Cui concinit Trid. *sess. 24 cap. 20 de reform.* cum Engel *cit. l. tit. 28 n. 48* Pirhing *lib. 2 tit. 28 n. 145* aliique passim. Porro in themate iudex a quo tempus non praefixit, imo potius causam ad differendam appellationis prosequutionem praestitit; et eo non obstante biennium non excessit; dilatio igitur haud posse nocere videtur.

Ast etiamsi daretur, sacerdotem Contarini ex legis rigore a iure appellandi decidisse, nihilominus sustinet patronum

eumdem ex ss. Principis benignitate in integrum esse restitutum et ideo legitima prorsus recurrendi facultate hac etiam de causa in praesentiarum frui. Supplicibus namque eius litteris, quibus suam causam coram S. C. C. pertractari poscebat, rescriptum legitur: « *Ex audientia SSmi die 27 Augusti 1888.* - « Ponatur in folio idque notificetur Emo Archiepiscopo ». Atqui in integrum restitutis iustitia deneganda non est, etiamsi lapsi sint centum anni « constito de iustitia iudicati » ut habet *cap. Cum ex litt. De rest. in integ.* et *L. S. expressim 19 ff. De appell.*

Age vero, prosequitur patronus, ad alterum orationis caput enucleandum accedens, in themate dubitari non posse de mala examinatorum relatione et irrationabili eorum iudicio, ac proinde de nullitate concursus. Sane Trid. *sess. 24 cap. 18 de reform.* iubet cumulativum iudicium de scientia et requisitis omnium concurrentium ab examinatoribus ferri. Ait enim: « Peracto examine renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. » Quae clarius explanavit Benedictus XIV in const. *Cum illud:* - ibi - « Porro examinatores, ad assequendam certam et indubiam coniecturam scientiae, postquam expenderint singulorum peritiam in evolvendo explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a ss. Patribus, vel a s. Concilio Tridentino, vel a catechismo romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis, et postquam demum deprehenderint, qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata et textui evangelico vel alteri dato themati accomodata: parem ni forte maiorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae obsquia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda,

hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuncient. »

Imo ut idem Pontifex refert in *Syn. dioec. lib. 4 c. 8 n. 3* « die 2 Augusti 1607 S. C. C. censuit si examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates, prout Concilium requirit, nullum esse concursum. » Concinit Reclusius *De concur. p. 1 t. 5 n. 16* aliique passim.

Porro in controverso casu quoad concurrentem Contarini spretam fuisse formam concursus ipsi examinatores fatentur, dum aiunt eumdem fuisse « *approvato per i soli meriti.* »

Nec ad culpam examinatorum minuendam ob omissum de scientia iudicium potest proferri, eumdem sacerdotem propositis moralibus quaestionibus nihil aut male respondisse. Quin imo observat patronus, sacerdotem Contarini bene sufficienterque in omnibus, in pluribus autem optime respondisse, melius certe quam sacerdos Oriente, qui inter approbatos recensetur et paroeciam obtinuit. Quapropter causa non apparet, ex qua omissio iudicii excusetur; cum iudicium ne omitti quidem possit de inabilibus et indignis; et ideo a fortiori de iis qui moribus et scientiâ digni comperiuntur. Qui enim examinatoribus se sistit, ex quasi contractu ius habet ut sententiam de sua scientia obtineat.

Quin possit ad conciunculam appellari. Nam in primis conciuncula non videtur absolute et substantialiter necessaria ad effectum examinis, et ut quis habilis ad paroeciam iudicari possit, prout in voto Consultoris pro congregatione diei 4 Maii 1889 fuse demonstratur. Verum nec satis. Nam concurrens Contarini conciunculam non omisit, sed ad summum a proposito themate aliquantulum deflexit, licet nec undique, nec absolute, ceu idem patronus ex analytico homeliae examine observat.

Porro cum conciuncula ad hunc effectum potissime exigatur, ut de sermocinandi habilitate constet, quae, etiamsi concurrens a propositis finibus aliquantulum aberret, nihilominus colligi sufficienter potest; grave videtur, ex hoc solo evagationis titulo concurrentem nedum adversis suffragiis

excipi, sed insuper cetera scientiae specimina ab eodem data nihili fieri, eumdemque ex albo candidatorum expungi. Quin imo id gravissimum orator dicit in nostro speciali casu, cum constet penes Neapolitanam Curiam saepenumero conciunculam flocci factam fuisse. Unde addit, ex his omnibus vehementem ingeri suspicionem, examinatores, quibus haud arridebat Contarinium vacanti paroeciae praefici, et nihilominus sciebant eumdem Emo. Archiepiscopo valde tunc esse benevisum, ex animi proposito studuisse ne is inter approbatos recenseretur et Superiori eligendus proferretur. Utcumque vero, et etiamsi ex solo errore examinatores id peregerint, cum violata graviter videatur erga unum ex concurrentibus iustitia ac forma concursus, eumdem concursum legitimum haberi haud posse orator concludit.

Nihilominus pergit in tertio propugnationis capite, cum paroecia S. Mariae Gratiarum in praesentiarum de suo pastore sit provisa quique sine difficultatibus et scandalo inde moveri non potest, ut iustitia salva sit, locum sin minus esse speciali providentiae in sui clientis favorem. Siquidem omnes iustitiae legis exigunt, ut damna iniuste illata reparentur. Imo sicuti canonico a choro prohibito per iniustum interdictum aut exilium, aut non meritam carceris detrusionem, amissas distributiones recuperat, si superioris iudicis sententia absolvatur Antonelli *De iur. cler. c. ult. n. 127* Garcia *De Benef. p. 3 c. 2 n. 363 cum aliis*, ita a simili in themate locus providentiae videtur; nam et ipse Contarini ab examinatoribus iniuste et sine causa impeditus fuit, ne Superiori sistere posset et eligi.

Quod vel magis retinendum videtur, cum constet Archiepiscopum dignum eumdem Contarini duxisse qui regeret parocciam S. Mariae Gratiarum; nam eidem munus oeconomi curati tempore vacationis commisit imo imposuit, ceu cum actore Contarini asseverant sacerdos Bassi, P. Bonaventura de Cicciano et D. Guilelmus Rannone.

Accedunt promissiones, quae, iuxta nonnullos testes, ab Ordinario dicuntur factae sacerdoti Contarini idest « di com-

» pensarlo in altra guisa del danno ricevuto »: ac maxime succurrit vitae honestas ac plura eiusdem sacerdotis merita, quae ab ipsis examinatoribus negari non potuerunt, sed 51 punctis, nempe gradu maximo, aestimari debuerunt. Unde nedum ob passam iniuriam, sed etiam ob promissiones eidem sacerdoti factas eiusdemque merita, locum esse providentiae iuxta prudens EE. PP. arbitrium, patronus concludit.

Ea quae videntur stare contra sac. Contarini. Ex altera vero parte Emus Archiepiscopus in allegatione typis impressa et evulgata examinatorum causam contra Contarini pro viribus tuetur; atque in primis contra quasdam calumniosas voces in vulgus diffusas, absolute firmiterque asseverat tum homiliam tum casuum moralium solutiones, quas Contarini redegerat, diligenter examinatas ac sedulo perpensas fuisse. Idque confirmat eorumdem examinatorum testimonio.

Quod si Contarini scripta punctorum suffragiis aestimata non sunt, id ex hac una causa contigisse quia id peragere prorsus inutile censuerint examinatores, qui pro certo habebant, eumdem ponendum esse extra concursum. Nec levi consilio in hanc sententiam devenisse examinatores videntur: nam idem Praesul refert: quum examinatores homiliam illius perlegissent duo cogitarunt: primo sacerdotem Contarini non satisfecisse assignato themati; secundo sac. Contarini homiliam memoriae mandasse ante concursum; ut eamdem transcriberet in actu concursus, absque ulla cura an textui proposito accomodaretur. Ingenium sacerdotis Contarini haud tale erat quod tempore ita brevi eiusmodi homiliam concinnare valeret.

Qua de re quum decem alii adessent concurrentes, qui themati et casibus theologiae moralis satisfecerant, censuerunt examinatores laedi iura tertii quatenus homilia Contarini punctis donaretur, dum grave adesset dubium utrum ab eodem facta esset: et aliunde homilia sit pars concursus.

Hisce de rationum momentis, maior examinatorum pars quum suffragium daret stetit pro exclusione sac. Contarini, cuius concursus nullus renunciatus fuit.

Age vero in hoc rerum statu et cum specimen a Contarini exhibitum, suum haud esse ex tot gravibus indiciis suaderetur, nil aliud revera supererat faciendum quam id quod factum est, scilicet a quocumque ferendo iudicio abstinere. Quod quidem consilium, dum iuxta dicta iustum ac necessarium erat, ex altera parte honori eiusdem Contarini satis consulere videbatur; siquidem melius est suffragiis non donari, quam adversis suffragiis damnari. Unde putat Eñus Praesul exclusionem sacerdotis Contarini ab examinatoribus factam, legitimam in se prorsus existere.

Sed talem retineri insuper debere, si extrinseca quaedam adiuncta prae oculis habeantur. Etenim qui examinatorum munere in neapolitana Curia defunguntur, viri sunt omni exceptione maiores scientiâ, aetate ac virtute probatissimi: cancellarius vero non alius fuit quam canonicus Peluso, vir octuagenarius quidem, sed mente et corpore virens, qui sub Emo C. Riario secretarium neapolitani cleri diu egit, quique, si hodie munere suo se abdicavit, non in poenam id ei contigit, ut ex adverso insinuatur, sed ob iustam aetatis considerationem, et cum tedio Emi. Praesulis, qui merita praeclara eiusdem, maximi faciebat.

His iungatur omissio appellationis intra utile tempus, quae et ipsa extrinsecam praesumptionem eamque iuridicam maximeque validam inducit de iudicati ac dispositi iustitia.

Notum est enim ex omissa, intra utile tempus, appellatione, rem iudicatam oriri. « Res iudicata autem pro veritate accipitur » *ex reg. 207 ff. De reg. iur.* ac praeterea habet pro se praesumptionem iuris et de iure quod sit iusta, parsque condemnata in eam consenserit » iuxta DD. apud Reiffenstuel *ad lib. 2 tit. 27 § 4 n. 109 et cap. Quod ad consult. 5 De sent. et re iud.*

Quin dicatur sacerdotem Contarini aequipollenter saltem appellasse. Siquidem quaerimoniae quae a virtuosissimis ipsis, si forte in iudicio reiecti aut damnati fuerint, semper moventur, haud accipi possunt ut appellationis formulae, quae

libello exscripto aut sacramentali verbo *appello* aequipolleant. Aliter enim nunquam omissae appellationis casus daretur.

Quae vero adversus orator proponit de provocatione per viam accusationis etiam post decendium, ea quidem in quibusdam adiunctis habere vim possunt; minime tamen in themate, et in materia concursuum; pro quibus expresse lex cavit ut « non admittatur appellatio... nisi intra decem dies a die collationis interponatur. » Quae regula cum data sit a Clemente XI et confirmata a Benedicto XIV ad abusus tollendos, et ad impediendum ne electi in perpetuum vexentur, et parochiarum status incertus diu maneat, hoc ipso quamcumque latiorem contrariam exceptionem excludit. De cetero « verba clara, ut in themate, non admittunt interpretationem, neque voluntatis coniecturam » Barbosa *axiom. 222 num. 32.*

Neque verum est, Emum Archiepiscopum Contarinium detinuisse, ne intra utile tempus appellaret. Sane ita scribit Emus Antistes: ceu legitimam exurgere consequentiam, Ordinarium nihil debere Sacerdoti Contarini ex facto concursus, quoniam securitas aderat actum fuisse ex conscientia. Quod si Archiepiscopus affabiliter alloquutus est Contarini: id factum fuit tantum ad eundem sublevandum, per verba generalia quae nullam continebant promissionem. Et ipse frater Maiella, ad cuius auctoritatem Contarini confugit, ut promissiones sibi factas evincat, peculiaribus litteris fatetur, nunquam de his rebus cum sacerdote Contarini colloquutum esse.

Unde tandem Emus Archiepiscopus contendit sacerdoti Contarini nihil debitum esse, nihilque iuridice exigere posse; non ob expulsionem ex concurrentium albo, quia haec, secundum dicta, iusta videtur; non ex promissionibus post concursum factis, quae non existunt; sed neque ex promissionibus concursui praecedentibus: quod firmatur per litteras Vicarii generalis.

Neque deputatio ad regendam, tempore vacationis, paroeciam sumi potest ut implicita provisionis promissio. Quan-

doquidem, ait Emus vir, vocationem sacerdotis Contarini ad regendam, ad tempus, paroeciam, fuisse prudentiae consilium; quia ille noverat pene cunctum populum, et post mortem parochi, solus curare poterat multa maximi momenti, quae solus ille ex intima consuetudine cum defuncto parocho rescivit. Attamen paroeciam in titulo perpetuo consequeretur post felicem concursus exitum; et verba quae proferre potuit Archiepiscopus eo consilio dicta sunt, ut animum adderent Contarinio pro examine subeundo, verum nullam continebant promissionem, ne libertas concursus violaretur.

Si itaque sacerdoti Contarini nil debitum iuridice sit, exigere nullomodo potest aut paroecias sine concursu, quod prorsus insuetum est in neapolitana ecclesia; et eo minus aucupare valet canonicatum cathedralis ecclesiae, qui nonnisi dignissimis et ut insigne praemium tribui inibi solet. Imo cum huius causae occasione sacerdos Contarini sive calumniis, sive querimoniis, sive iurgiis dioecesanam auctoritatem lacessiverit, etiamsi aliunde dignus foret, a quocumque tamen praemio hac de causa iuxta Ordinarium videretur repellendus.

His itaque aliisque perpensis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.*

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam;

II. *An constet de nullitate concursus, ita ut et quomodo providendum sit in casu.*

Resolutio. Sacra Cong. Concilii re discussa sub die 22 Februarii 1890 censuit respondere: *Ad I. in decisis. Ad II. provisum in primo.*

Ex quibus colliges. I. Tempus utile ad appellandum in materia concursuum esse *decem dies* a die collationis, ad normam Clementis XI, firmatam a Benedicto XIV; ne electi in perpetuum vexarentur et status parochiarum diu incertus maneret.

II. Appellationem fieri debere vel per conscriptum libellum vel per verbum rituale *appello;* neque dici posse aequipollere his duobus modis appellandi quaerimonias simplices, emitti solitas a reiectis quibuslibet.

III. Elapsis proinde decem diebus absque appellatione, enasci *rem iudicatam*, seu praesumptionem iuris de iudicati ac dispositi iustitia; et partem condemnatam in eam consensisse.

IV. In themate videri defuisse formalem appellationem tempore utili emissam; et ideo prima vice *non esse locum appellationi,* secunda vero S. C. C. respondit: *In decisis.*

LIPAREN.

ABSOLUTIONIS

Die 22 Februarii 1890.

Per Summaria precum.

Compendium facti. Sacerdos Petrus Barresi possessor erat cuiusdam capellaniae, quam, ut ipse ait, retinebat ex voluntate ius habentium ceu cappellanus ad celebrandum, dum tamen ipse iure careret, quod parentes habebant, eligendi successorem capellanum. Reditus capellaniae, fundatus super quatuor parvis rusticis praediis, computabatur esse libellarum 229: onera ab initio erant totidem missae ad ratam libel. 0.68; sed nuper numerus missarum reductus fuerat ex elevatione eleemosinae ad lib. 0,85.

Age vero Ianuario mense praeteriti anni contigit, ut hic sacerdos, sive ex conniventia patronorum, sive potius ex abusu potestatis, sibi coram civili lege spectantis, non liquet, in tantam malitiae et iniquitatis deceptionem devenit, ut beneficium, ut ipse ait, divenderet cuidam qui illius bona inhiabat, depactâ sibi vitalitiâ pensione duarum libellarum singulis diebus.

Ob hoc crimen ab Ordinario suspensus ad saniora consilia revertendum sibi esse cognovit; ideoque, facti poenitens, sed

pauper effectus, et inhabilis ad remedium ferendum, expetit a pia matre Ecclesia aliquam provisionem.

Scriptum fuit Ordinario « pro informatione et voto, et ut auditis interesse habentibus referret an posset imponi oratori onus redintegrandi capellaniae dotem vel eius partem, ope solutionis annuae medietatis saltem pensionis, sibi ad vitam pactae loco pretii fundorum divenditorum. »

Respondit Praesul: « Accersitis interesse habentibus, comperi, onus redintegrandi capellaniae dotem aut eius partem, quomodocumque fit, difficulter et forsan nullatenus imponi posse oratori, quia pauper et parsimoniae fataliter nescius ac incapax, et ipsa quotidiana lib. duarum pacta pensio, fatiscentibus annis, vix sit ipsi ad sustentationem sufficiens. »

Disceptatio Synoptica

Perpensum fuit, Episcopum in sua responsione clarius ac fusius non esse loquutum, nec dixisse quinam sit emptor, et utrum spes affulgeat nec ne ab eodem obtinendi ut a contractu recedat. Etenim venditio, quocumque sub aspectu consideretur, est nulla et irrita ipso iure. Sive enim huiusmodi capellania ecclesiasticum beneficium fuerit, sive potius simplex missarum legatum, tamen eodem ferme modo sacra res erat quae sine iusta causa et requisitis solemnitatibus alienari non potest ex *cap. 6 Si presbyter* et *Extr. ambit. De reb. eccl. non alien.* Insuper damnatam venditionem commutationem piae voluntatis importare, quae pariter nonnisi ex iusto titulo et Sedis Apostolicae beneplacito sustinetur iuxta *Clem. 2 De relig. dom.* et *sess. 22 cap. 6 Trid.* Mitto autem quod, cum venditio fuerit aut de bonis beneficialibus aut de re spiritualibus adnexa, simoniae labe probabiliter inficiatur contractus, et simoniacorum poenis vendentes et ementes irretiantur.

Denique quod si de vero patronatu in themate agatur, et si pacto ac conventione inter patronos criminosa alienatio

contigerit, nova etiam poena sequatur amissionis nempe iurispatronatus, ex textu expresso in Conc. Trid. *Sess. 22 cap. 11 De reform.*

Sed haec omnia ob informationum defectum rite determinari haud possunt. Unum tamen est quod ex Episcopi litteris et supplici oratoris libello satis liquet, nempe infelicem sacerdotem haud facile posse commissum malum undequaque revocare et corrigere; et nihilominus eiusdem humiliter eum poenitere.

Quapropter, ceteris missis, hoc unum modo videtur attendendum, utrum et sub quibus conditionibus absolutione dignus orator sit. Ad impossibile enim nemo potest obligari; et aliunde poenitenti ac veniam digne poscenti gratia non debet denegari.

Verumtamen cum ex criminosa venditione orator plus lucri sibi vindicaverit quam antea ex legitima capellaniae possessione obtineret; et cum ex alia parte emolumentum ex iniquitate acquiri, beneficium ex crimine reportari et per iudicem recognosci, absonum undequaque sit, remissum fuit EE. PP. quid hac in re esset decernendnm.

Hisce praemissis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognita sub die 22 Februarii 1890 respondit: *Pro facultate Ordinario absolvendi oratorem a censuris et irregularitatibus, quomodocumque ob narrata contractis; imposita congrua poenitentia salutari et obligatione deponendi in manus Ordinarii bis centum libellas annuas pro redintegratione dotis capellaniae, firmo remanente onere celebrandi missas capellaniae inhaerentes; quin tamen hoc indulto releventur emptores, facto verbo cum SSño.*

MELEVITANA

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 22 Februarii 1890.

Per Summaria Precum

Compendium facti. Vincentia Camilleri pia mulier pluribus abhinc annis vidua ac pauper, unicum filium suum nomine Salvatorem, seminario dioecesano Melevitano primum instituendum tradidit, deinde vero, novissimo eius desiderio obsequuta, ut ipse valeret Domino in religione deservire societatem Iesu ingredi et novitiatus expensas ferre, media quaeritavit et aes alienum contraxit. Petierat autem iam tum ab anno 1886 ad hunc quoque finem converti tria dotalia subsidia.

Ordinarius, de more rogatus, retulit legatorum administratores esse contrarios, atque addebat: pro nihilo tamen facienda esse rationum momenta ab administratoribus adducta. De iuvenis consanguinitate cum legatorum fundatoribus satis constare; et ideo iniuriam fieri ipsis fundatoribus legatorum quatenus supponatur, eos adversari piam voluntatem alicuius ex eorumdem descendentibus, qui statum perfectiorem matrimonio amplecti cupiat. Insuper in casu haud esse parvipendendum quod pia mater nihil posthabuit ut desideria filii explerentur, sese onerando aere alieno, et valedicendo unico filio, a quo solo auxilium pro senectute sua expectare valebat.

His acceptis, a S. Congregatione rescriptum fuit: *per summaria precum et audiatur Procurator generalis S. Iesu.* Qui ita respondit:

« A. r. p. Praeposito Provinciae siculae petivi quid hac in re sentiat; qui ad me rescripsit, vera esse exposita in litteris supplicibus a Vincentia Zarb, matre nominati Salvatoris, ad S. Sedem datis; cumque filius iam per tres fere annos in Societate degat, illam huc usque imparem fuisse, expensas factas, non obstante aliquo debito hunc ad finem contracto, solvendo; ideoque nihil obstare quominus gratia benigne concedatur. »

Quum autem notum sit quod mos non est in Societate Iesu, ut pro novitiorum victu, vestitu et ceteris, quae ad sustentationem pertinent, a genitoribus aliisve pecuniâ solvatur, - ad A. R. P. Generalem litterae datae sunt, ut edoceret quid de supradicto responso cogitandum esset.

Renuntiavit A. R. P., non quidem esse moris Societatis, a Novitiis quiddam gratificationis aut pensionis exigendi; attamen Provinciae siculae, cum tantopere bonis et pecunia orbata sit, ut, unde socios convenienter sustentet, non habeat, et vere gravi indigentia prematur, permissam esse facultatem, sua hac in parte specialia statuta faciendi exequendique; neque igitur se contra petita a Vidua Zarb, neque contra responsum P. Praepositi ullam difficultatem movere.

Disceptatio Synoptica.

Preces accipiendae videntur. His relatis vix aut ne vix quidem aliquid addendum superest. Etenim notissimum cuique est S. C. C. non abhorrere, ex iuxta et rationali causa, a commutandis testatorum voluntatibus, ut alicui fundatorum piarum causarum consanguineo, etiam relativa tantum paupertate laboranti, subveniatur, ceu constat ex *Romana Subsidii 30 Martii* et *3 Augusti 1858 ad 4 dub.*, ex alia *Romana Vimentorum 28 Augusti 1841*, ex *Romana seu Auximana Subsidiorum dotalium 15 Martii 1794* aliisque quamplurimis. Atqui in themate agitur de persona in extrema paupertate versanti, quaeque eo maiori benignitate et misericordia excipienda videtur, quo liberalior in Deum fuit, magisque pia ac religiosa. Siquidem unicum filium suum quem vitae et senectutis suae baculum et levamen habebat, Domino libenter donavit et sacravit, ac passa est ut in dissitas regiones abiret et in bonum religionis et ad proximi salutem inter infideles vitam impenderet. Unde etiam pro oratrice novus haberi videtur titulus ad gratiam.

Nam exploratum est ad divinum cultum augendum, et ad animarum salutem assequendam, quatenus alia media deessent, S. C. C. saepenumero indulsisse, nedum testatorum

voluntates commutari, sed et missarum reductionem fieri, ut apparet ex *Veronen. Unionis et reductionis missarum 1846* cum Pignatelli *cons. 54 n. 6 et 7.*

Accedit autem derogationem voluntatis haud esse perpetuam, sed dumtaxat pro hac vice, ideoque minus odiosam.

Preces respuendae videntur. At vicissim perpendi oportet in materia subsidiorum dotalium, commutationem voluntatis vulnus infligere nedum defunctorum voluntatibus, sed laedere insuper iura tertiis quaesita. Siquidem puellae quae dotes accipiendi spem fovent, imo ad eas ius habent, ab eis prorsus arcerentur. Quod quidem quam odiosum sit et quanta cura vitandum inutile dictu est. At, si semper, maxime hoc odium verificari videtur in themate. Etenim in proposito casu dotalia subsidia revera non vergerent in emolumentum piissimae matris, quae omni commiseratione digna quidem videtur, imo proprie nec eius filii; sed potius Societatis Iesu, seu provinciae eius Siculae, veluti apparet ex Procuratoris generalis epistola.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognita sub die 22 Februarii 1890 respondere censuit: *Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

WLADISLAVIEN.

MATRIMONII

Die 22 Februarii 1890.

Sess. 24 cap. 1 De reform.

Compendium Facti. Die 10-22 Augusti 1869 coram parocho loci Crestochowa puella Felicia Pokrzynicki nupsit Felici Stronczynski; at infelici prorsus exitu. Siquidem concordia sensim sine sensu sponsorum lares deseruit, eo quod vir tum aspera agendi ratione, tum inutilibus copulae cona-

tibus uxorem, sicut ipsa asseverat, in dies magis divexabat. Cum igitur in hisce adiunctis contubernium impossibile evasisset, tandem die 23 Augusti 1882 vir sponsae domum, quam inhabitabat, deseruit et uxori valedixit.

Mulier, licet aegro animo, nihilominus ut ab inviso vinculo se liberaret, Octobri mense anni 1884 iudicem adiit.

Qui primum de more sponsorum conciliationem tentavit. Et vir quidem paratus ad id erat, minime vero uxor. Ita sane acta referunt: « Quo facto cum praeses Iudicii interrogasset reum, num vellet aliquid opponere postulationi uxoris, hic peroravit, atque in sua oratione, quae scripto mandata, et coram iudice perfecta est, minime negavit, uxorem suam esse virginem, sed id factum esse ob uxoris instantissimas preces asseruit. Sub finem orationis huius rogavit reus iudicium Consistorii, ut influxu suo moveret uxorem ad recedendum ab hoc processu, imo ad communem cum eo vitam agendam, quod ex toto corde desiderat, censendo vinculum matrimoniale indissolubile esse. – Actrix nihilominus perseveravit in defendenda sua causa in libello accusatorio exposita, et instanter petiit, ut processus canonicus institueretur. »

Et in interloquutoria Curiae sententia, qua post expletum processum acta ad S. Sedem transmittebantur, haec enarrata leguntur: « Cum, absoluta lectione libelli accusatorii, Praeses interogasset reum, num vellet aliquid opponere postulationi uxoris, hic peroravit, atque in hac sua oratione, quae, scripto mandata, actis causae huius adiuncta est, minime negavit uxorem suam esse virginem; causam tamen virginitatis uxoris suae ipsius esse optatum, cui contradicere nolebat, et suam temperantiam dixit. Ad obiectionem vero factam, uxorem suam in statu virginitatis permansisse eo quod impotens sit ad copulam matrimonialem perficiendam, reposuit, hoc falsum esse; et rogavit iudicium Consistorii, ut influxu suo moveat uxorem ad communem vitam cum eo agendam, quod ex toto corde desiderat, censendo vinculum matrimoniale indissolubile esse. Cum tamen actrix, non ob-

stante exhortatione perseveraret in defendenda sua causa in libello accusatorio exposita, iudicium Consistorii, considerata impossibilitate restituendae concordiae inter dictos coniuges, nullaque alia dari media hunc scopum adipiscendi, decreto suo die 28 Novembris (10 Decembris) 1884 lato, processum in causa hac matrimoniali conficere iussit. »

At in processu vir contumax undequaque fuit: non comparuit, nec testes proposuit, nec corporis inspectionem pati voluit; sed, hanc illamve rationem allegando, se excusavit.

Mulier e contra excussa est, totumque rei maritalis negotium candide enucleavit et inter alia haec enarravit: « Aliquot dies post nuptias vir mihi intimavit se velle carere prole: se nolle in eodem mecum cubiculo dormire, medicum enim sibi prohibuisse omne commercium carnale cum uxore. » Attamen « primo mense post nuptias locum habuit tentamen perficiendae copulae maritalis . . . Huiusmodi tentamina consummandi matrimonium initio saepe repetebantur, quoties tamen nescio: subsequentibus annis rarius fiebant.... Non impedivi virum in conamine consummationis matrimonii, non me excusavi, libenter ei in hoc obedivi in situ ordinario. » Et infra: « Certa sum numquam factam esse consummationem matrimonii meque virginem existere . . . Impotentiam viri ad actum coniugalem perficiendum morbis adscribo: a quo tempore tamen extitit haec impotentia nescio: constat mihi tantum ipsam a primo momento nostri matrimonii extitisse. Scio maritum meum consuluisse medicos et curationi subiectum fuisse: qualis morbus erat, quosque medicos consulebat, ignoro. Frustranea haec tentamina perficiendi copulam multoties causarunt mihi morbum gravem. » Addidit, post triennium cohabitationis primam temporaneam separationem contigisse: post septennium iterum contubernium restitutum fuisse: at malis dissidiisque ingravescentibus tandem fuisse absolute dissolutum. Et conclusit his verbis: « A primis annis vitae coniugalis exponebam confessariis, quae esset nostra vita communis et quae relationes maritales. Omnes fere confessarii mihi consulebant

ob expositas, ut puto, a me rationes ut vinculo huic dissolvendo adlaborarem. » Sed ab initio a processu instituendo detrectavisse ob preces mariti, ad ultimum vero ob horrorem « quo nimis iniucunda ratio agendi processus me percutiebat. »

Post actricem septem eius testes excussi sunt, qui una voce eius dictis subscripserunt, eamque religiosam dignamque fide renunciarunt. Exinde peritiale examen corporis actricis factum ad legis amussim fuit: et omnes sive obstetrices sive medici unanimi sententia virginem adhuc esse Feliciam proclamarunt.

Demum defensor vinculi petiit ut septem alii testes ex officio vocarentur, qui quasi locum septimae viri manus tenerent.

Ex his vero omnes, uno forte excepto medico Wygrzywalski, qui tamen a iuramento ante confessionem edendo abstinere voluit, mulieris intentioni suffragati omnino sunt: eamque dignam fide ac piam, virum vero impotentem se credere edixerunt.

Ex istis actis iudex die 15 Martii 1886 sententiam tulit, in qua nedum actricem « virginem esse declarat, sed exprimit simul suam moralem persuasionem matrimonium inter Felicem Stronczynski et Feliciam Pokrzynicki cum impedimento impotentiae relativae mariti, ac proinde invalide, contractum fuisse »: a matrimonii tamen nullitate decernenda censuit abstinendum, eo quod inspectio viri perfici non potuit. Sed addit, in ipsa sententia, sufficientes et graves adesse causas pro dispensatione a matrimonio rato a S. Sede concedenda.

Exinde Episcopus, actricis nomine, SSñum exoravit, ut dispensationem a matrimonio rato eidem largiri dignaretur, et hac de causa quaestio ad S. C. C. pro voto remissa est.

Disceptatio Synoptica.

Defensio mulieris. Patronus, quem sibi elegit mulier, ad dispensationis gratiam clienti suae obtinendam duo de

more evincere studuit, factum inconsummationis et titulos ad gratiam.

Quoad primum autem, id luculenter comprobari, ait, ex relata superius utriusque coniugis confessione. Siquidem, ut docet C. Cosci *De separat. th. l. 3. c. 2 n. 134* confessio coniugum hac in re maximi fieri semper debet, « praesertim si longe, sit, a quacumque fraude et collusione. » In themate autem collusio inter sponsos ne cogitari quidem potest; nam uxor contra virum dimicat, et hic qui maritale consortium instaurare, et probrosam impotentiae notam a se avertere studebat, ab admittenda inconsummatione undique dimovebatur.

Cui accedit quod omnes inducti testes actricem honestatis et religionis laude maxime persequantur. Sic sane sacerdos Barytkeiwicz: de religione et probitate actricis vel optime mihi constat; et iurare possum quod domina Stronczynska nec mendacium, nec periurium committere vellet. » Sic et ceteri. Unde novum exurgit in favorem actricis credibilitatis argumentum.

Imo iidem testes ferme omnes deponunt se tempore non suspecto audivisse hoc matrimonium esse nullum, actricem virginem, et causam non consummationis, iuxta moralem ipsarum opinionem, ab impotentia mariti esse repetendam. Unde dici potest actricis assumptum ex fama denuo comprobari.

Sed quod maxime est, in eumdem sensum militat corporalis mulieris inspectio. Obstetrix enim Pudtowska ait: « inveni eam virginem esse, et quidem ea ex causa quod hymen habet: ipsam numquam impregnatam fuisse, nec habuisse infantes probant venter et mammae; haec signa sunt omnino certa. Non dantur media quibus simuletur virginitas: et etiamsi haec essent adhibita, id a me detectum fuisset post balneum, in quo media artificiosa dissolvuntur. » Pariterque altera ex obstetricibus, Muszynska testatur: « Certissima sum, dominam Stronczynski esse virginem: id assero ob motiva super exposita. » Item et tertia, Buli-

kowska: certa sum dominam Stronczynski esse virginem, idque assero vi adductarum a me rationum. »

Ex medicis autem, Bondy, in scripta attestatione edixit; « cohaerentia labiorum maiorum..... praecipue autem praesentia membranae virginalis intactae, ostendunt intemeratam virginitatem, atque eo ipso non consummationem matrimonii. »

Alter medicus Voicickiewicz, descriptis fuse virginitatis indiciis in actrice repertis, ita concludit: « Proinde Feliciam Stronczynski virginem esse declaro, quae copulam maritalem numquam perfecit. » Itemque tertius peritus doctor Biesanski: « Domina Stronczynski, inquit, in hoc est virgo intacta: matrimonium non consummavit non ex causa alicuius defectus sui organismi vel partium genitalium. » Et haec quae in scriptis post perpensas obstetricum depositiones medici retulerunt, verbis deinde in iudicio fuse confirmarunt, prout ex actis comperitur, et refert patronus. Qui demum assueta recinit principia, nempe peritos « magis ad iudicandum quam ad testificandum assumi » iuxta communem Card. De Luca *De iudic. disc. 33 num. 20* aliorumque doctrinam. In themate autem peritiales conclusiones de virginitate actricis respui non posse etiam ex eo quod periti, nedum ex sola hymenis existentia, sed et ex omnibus aliis indiciis simul sumptis, de mulieris integritate iudicarunt. Et quia insuper alii tres medici, qui inter septimae manus testes recensentur, quique morbi curandi causa Feliciam post plures matrimonii annos examinarunt, fidem pariter fecerunt se integram eam invenisse.

Ad causas vero dispensationis enucleandas gradum deinde faciens patronus recolit, ad hunc effectum posse in primis proponi probabilem seu potius moraliter certam viri impotentiam. De quo defectu vehementem praesumptionem complura ingerunt, nempe attestatio viri in iudiciali reconciliationis experimento, eius contumacia, depositiones mulieris, eiusque virginalis status post tot annos coniugalis vitae et post tot frustranea coniunctionis conamina integer re-

pertus, ac demum publica fama, de qua plura inducti testes referunt. Porro, prosequitur patronus, quando impotentia probabiliter intercedit, dispensatio proprie et rigorose non est gratia, « sed est potius prudentialis iustitiae administratio » ut tradit Ursaya *l. 3, p. 2, disc. 21 num. 104.*

Huic maximo dispensationis motivo alia minora et subsidiaria non desunt, veluti impossibilitas reconciliationis, periculum incontinentiae et fornicationis, quae quidem sufficientem titulum ad dispensationem subministrare tradunt passim DD. et eos inter Sanchez *De matrim. lib. 12 disp. 15 num. 19,* Cosci *De separ. thori l. 1, c. 16 num. 219.*

Animadversiones s. vinculi adsertoris. Ex adverso vinculi defensor inconsummationis factum non sufficienter probatum proclamat, primum quia ipsa actrix hoc in puncto perentorie non videtur loquuta. Ait enim: « primo mense... locum habuit tentamen perficiendae copulae maritalis, quae tamen ob causas quas exponere clare non possum adimpleri perfecte minime poterat. »

Accedit quod medicus Wygrzywalski, unus ex testibus ex officio vocatis, haec testetur: « Duobus annis ante, cum inspexissem corpus Dñae Stronczynski eo fine, ut postea ei praeberem testimonium ad introducendam causam de invalidando matrimonio, partes genitales videbantur, quasi nullum commercium coniugale adfuisset: quia inveneram membranam virginalem in forma anuli, ostium vaginae uteri cingentem. Opinor etiam, cum partibus genitalibus viri minus explicatis tum debitum, tum conceptionem foetus possibilem esse in eo statu, in quo Dñam Stronczynski inveneram. »

Insuper mendax in sua depositione proditur actrix; nam cum « de impotentia perficiendi copulam » colloquuta esset cum sorore sua Iulia Rogowka, Alexandra Segno, et Iosepha Wowicka; ex his prior professa est « de impotentia domini Stronczynski nihil scire » et a sorore sua dumtaxat audivisse, maritum eius « nolle habere commune dormitorium, non optare liberos, et medicos ipsi vetuisse omnem rem coniugalem. » Altera autem hoc in puncto retulit, quod

actrix « de debito coniugali aperte querimonias non habuit; agnoscebat tantum se prolem non sperare ex causa viri; atque hac de re . . . conquerebatur. » Tertia demum deposuit se actricem saepe audivisse dicentem « se esse infelicem atque maritum suum nolle habere filios. » — « Numquam, prosequitur, Felicia aperte fatebatur : de impotentia domini Stronczynski nihil scio. »

Post haec conqueritur defensor, quia, cum actrix iudici significasset se posse personas marito suo consanguineas, quibus vadimonium indiceretur, nominare, id fuerit nihilominus omissum, contra id quod S. C. C. instructio anni 1840 praecipit. Et ideo inter septem testes ex officio accersitos ad supplendam septimam viri manum, ex proximis viri coniunctis unus dumtaxat pater adstitit,

Nec satis: nam cum actrix in iudicio dixisset viri patrem per litteras sibi olim consuluisse matrimonii dissolutionem, atque addidisset has litteras se adhuc servare ; iudex exhibitionem huius documenti non postulavit. Quae omissio gravis videtur, eo vel magis, quod viri pater hac de re in iudicio interrogatus, ita respondit: « Non reminiscor me aliquando consuluisse rumpere matrimonium, persuasus attamen fuit eos separandos, quia characteres eorum discrepantes fuere; consilium nullum dabam. »

Nec fidendum magis est peritiae. Etenim obstetrices quae Feliciae corpus examinarunt, nil in scriptis retulerunt, sed dumtaxat oretenus ex intervallo temporis in iudicio facta a se inspecta renunciarunt, quod quidem et periculosum valde est, et S. C. C. instructioni contrarium. Labilis enim memoria est, et minutae circumstantiae ex quibus virginitas comprobatur ex intervallo describi eodem modo non possunt ac si incontinenti scripta attestatio daretur. Unde etiam medicorum iudicium, utpote super orali hac obstetricum depositione peractum, minoris faciendum videtur.

Eo vel magis quod tum medici, tum obstetrices haud undequaque expertos se prodant; nam videntur nimium existentiae hymenis confidere, ac retinere, corruptionem arte

velari non posse, simulque comperiuntur consummationem matrimonii accipere et confundere cum praegnatione. Siquidem doctor Biengansli ita loquitur: « iudico dominam Stronczynski esse personam sanam, temperamenti nervosi atque corpulentam, eam numquam gravidam extitisse, neque partum edidisse, atque ideo esse virginem. » Pariter omnes tum obstetrices tum medici uno veluti ore renunciant, non dari media quibus simuletur virginitas, ut ait prima obstetrix; post copulam hymen virgineum non inveniri, et vestigia carnalis commercii manere, ceu pergit altera; etiamsi femina nonnisi semel consummaverit matrimonium veluti tertia explicit: quibus sententiis tres medici ultro subscribunt. Porro haec falsissima esse, defensor contendit auctoritate Zacchiae *Quaest. med. leg. lib. 4 tit. 2,* Budin *Ostetr. et Ginec. Parigi. 1886,* Martineau *Sul. deform. vulvar. Paris 1886, pag. 30,* qui asseverant vasa muliebria astringi medicamentorum ope optime posse, et matrimonium nedum consummari, sed concipi etiam posse integro manente hymene. His itaque causis sacramenti vindex putat matrimonii inconsummationem in casu non posse censeri sufficienter probatam.

Quibus praenotatis propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra Congregatio C. re disceptata sub die 22 Februarii 1890 censuit respondere: *Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta s. Congregatione.*

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

DUBIA quoad missam votivam sanctissimi Cordis Iesu, aliaque.

MONTIS POLITIANI.

Hodiernus redactor Kalendarii pro Clero Dioecesecos Montis Politiani, de consensu sui Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodare humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. Missa votiva SSmi Cordis Iesu per Decretum diei 28 Iunii 1889 pro Ecclesiis, in quibus de mane exercitia pietatis in honorem eiusdem Divini Cordis peraguntur, concessa, celebrari debet sine *Gloria,* sine *Credo* et cum tribus orationibus, an ritu quo celebrantur Missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione?

Dubium II. In eodem Decreto statuitur quod secundae Vesperae diei Octavae Corporis Christi sunt dicendae sine ulla commemoratione. Cum non sint concordes Redactores Kalendariorum in interpretandis his verbis, quaeritur an per eadem verba commemoratio sequentis festi SS. Cordis excludatur, vel etiam commemoratio alicuius Sancti eo die ad modum simplicis redacti, ut accidit hoc anno pro S. Ioanne a S. Facundo?

Dubium III. Capitulum Vesperarum in festis Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. et S. Catharinae Fliscae Adurnae dicendumne est etiam ad Tertiam?

Dubium IV. Quando Episcopus Feria V in Coena Domini bis procedit ab altari ad mensam pro sacris Oleis conficiendis, et ad altare regreditur, debetne uti baculo pastorali?

Dubium V. In benedicendo populo post Communionem extra Missam ministratam, atque in absolvendis fidelibus in Poenitentiae Sacramento debetne Episcopus unam tantum vel tres Cruces efformare?

Dubium VI. Si Sabbato Sancto fiat sacra Ordinatio, dicendae suntne Litaniae in Missali pro tali die assignatae, vel illae consuetae quae habentur in Pontificali Romano?

Dubium VII. Diocceses, quibus concessum est Officium B. M.V. titulo Boni Consilii, tenenturne assumere novum Officium cum

respondenti Missa pro eodem Festo a S.R. Congregatione anno 1884 probatum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad II. Utraque commemoratio est omittenda.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Servandae Rubricae Ritualis Romani.

Ad VI. Dicendae sunt in casu Litaniae in Missali assignatae, additis quae Episcopus proferre debet super Ordinandos post ℣. *ut omnibus fidelibus defunctis* etc.

Ad VII. Affirmative. Atque ita rescripsit, declaravit et servar mandavit die 20 Mai 1890.

† CAI. Card. ALOISI MASELLA *S. R. C. Praef.*

VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius.*

LITTERAE circulares, quibus edicitur regulam esse quod non liceat in una eademque Ecclesia exponere imagines depictas, vel statuas eumdem referentes coelitem; et hanc regulam prae oculis habuisse S. Congr. Rituum quoad nonnulla dubia respicientia imaginem Deiparae quae colitur in Templo Vallis Pompeianorum. (1)

È norma liturgica sempre inculcata da questa S. Congregazione de' Riti, non potersi nella stessa Chiesa, e molto più nello stesso altare esporre alla pubblica venerazione due quadri o statue rappresentanti il medesimo Santo, ed, ove trattisi della SSma Vergine, rappresentanti la Madre di Dio sotto il medesimo titolo. Questo principio, che non ammette eccezione, fu tenuto presente dalla S. Congregazione nel rispondere con Decreto del 24 Febbraio del corrente anno, ad alcuni dubbi proposti dal Procuratore generale dell' Ordine de' Predicatori all' uso di esporre in qualche Chiesa, dove già venerasi l' Effigie della Vergine SSma del Rosario, l' altra che porta lo stesso titolo e

(1) Habes dubia, de quibus agitur, hoc Volumine pag. 501.

che ha special culto nella Chiesa recentemente eretta nella Valle di Pompei.

Infatti, checchè sia del luogo particolare, ove Maria SSma è in tal modo onorata, e delle grazie e favori singolari che il Signore si degna concedere a' Fedeli che ivi accorrono, o che alla Vergine colà venerata si rivolgono, è fuori di ogni dubbio, che quella Effigie rappresenta, anche ne' suoi accessorî, tranne leggiere varietà, la Madre di Dio intitolata sempre dal SSmo Rosario. Non può dunque esporsi nelle Chiese e pubblici Oratorî, dove un' altra sacra Immagine dello stesso titolo riceva venerazione e culto da' Fedeli.

Ond' è che quantunque dopo la pubblicazione del detto Decreto molte petizioni sieno state dirette al S. Padre per implorare che si lasciasse in qualche Chiesa, insieme con l' antica Effigie della Vergine SSma del Rosario, l' altra cui si aggiunge la denominazione da Pompei, non si è potuto derogare all' enunciato principio, che informa le risposte date su tale argomento dalla S. Congregazione. Le quali risposte, per ciò che riguarda il dubbio sulle Indulgenze, confermano il fin qui detto, cioè che le due sacre Immagini sono una stessa cosa; quindi, senza escludere nuove Indulgenze che potranno accordarsi dalla S. Sede, si riportano, per le già concesse, alle condizioni a tal uopo prescritte.

Intanto a porre un termine a tali domande, ed anche a ricordare sempre più le norme liturgiche da eseguirsi in simili casi, questa S. Congregazione, presi gli ordini di Sua Santità, ha creduto opportuno di dirigere la presente Lettera a Vostra Eminenza, nella piena fiducia che Ella se ne varrà per contenere ne' giusti limiti la divozione d' altronde così commendevole e salutare verso la Vergine SSma del Rosario.

Il sottoscritto Cardinale Prefetto baciando all' E. V. umilissimamente le mani, ha l' onore di riconfermarsi con profondo ossequio.

Di Vostra Eminenza Rma

Roma 20 Maggio 1890.

(Versio latina)

Firma ecclesiastica Liturgiae Regula est, ab hac SS. RR. Congregationis continenter inculcata, in una eademque Ecclesia, eoque magis in uno eodemque Altari, duas pluresve depictas tabulas, aut statuas unum eumdemque Coelitem referentes, vel si agatur de SSma Virgine, Deiparam referentes sub uno eodem titulo invocatam, publicae venerationi exponi non posse.

Eiusmodi regulam, quae exceptionem nequaquam admittit, eadem Sacra Congregatio prae oculis habuit quum, Decreto die XXIV Februarii huiusce anni edito, quibusdam sibi a Rmo Procuratore generali ordinis Praedicatorum propositis dubiis responderet, quae ad morem referebantur in quopiam templo, ubi iam exposita SSmae Virginis a Rosario nuncupatae colebatur effigies, alteram, cui idem titulus inerat, exponendi, quaeque in templo ibidem in Valle Pompeianorum recens extructo cultum obtinet.

Enim vero quidquid sit de illo peculiari loco ubi SSma Virgo Maria huiusmodi cultu honestatur, et de beneficiis gratiisque singularibus, quas Deus Fidelibus quibulisbet, eo accurrentibus vel ad Virginem ibi veneratam confugientibus, concedere dignatur, extra omne dubium est, effigiem illam in iis quae minus praecipua sunt, si leves quasdam varietates excipias, Dei Matrem a Rosario pariter nuncupatam referre.

Nequit igitur in Ecclesiis, publicisque quibuslibet sacris Aedibus illa exponi ubi alia eiusdem nominis imago venerationem a fidelibus populis cultumque obtinet. Quapropter etsi post illius decreti publicationem pleraque postulata ad Rom. Pontificem pervenerint implorandi gratiâ, ut aliqua in Ecclesia, una cum vetusta effigie SSmae Virginis a Rosario, altera consistere sineretur, cui a Pompeiis nomen adiicitur, enuntiatae normae derogare non libuit, quod quidem responsiones ab hac S. Congregatione identidem datas mirifice fulcit et explicat.

Haec vero responsa, quae pertinent ad sacras Indulgentias, ea quae hactenus dicta sunt apprime confirmant; videlicet duas illas B. V. Imagines unum idemque esse. Proinde quin novae Indulgentiae, quae a S. Sede concedi poterunt, excludantur, quoad iam concessas, S. Congregatio conditiones, quas alias ad id opus praescripsit, servandas edicit.

Interim ut huiusmodi petitionibus finis imponatur, utque in omnium memoriam s. Liturgiae Regulae similibus in casibus observandae, etiam atque etiam revocentur; haec S. Congregatio, a Rom. Pontifice susceptis mandatis, opportunum iudicavit hasce Eminentiae Vestrae Literas dare, affatim confidens fore, ut iisdem ad hanc, quamvis alioqui adeo salutarem ac laude dignam erga SSmam Virginem a Rosario religionem aequis limitibus continendam sapienter utatur.

Subscriptus card. Praefectus Eminentiae Vestrae manus humillime exosculans, honori sibi ducit se iterum reverenti obsequio declarare.

Eminentiae Vestrae

Die XX Maii anno MDCCCXC

Obedientissimum famulum

DUBIUM quoad ritum utendum in benedictione aquae in vigilia vel in festo Epiphaniae.

PLURIUM DIOECESIUM.

Quum in nonnullis Dioecesibus usus vigeat perficiendi in Vigilia, vel in Festo Epiphaniae Domini solemnem aquae benedictionem peculiari adhibito ritu; a Sacra Rituum Congregatione iampridem quaesitum fuerat, an eiusmodi ritus licite servari valeat. Sacra vero eadem Congregatio, antequam eiusmodi quaestionem definiret, voluit ut ea sub omni respectu expenderetur, simul exquisitis virorum in rebus liturgicis apprime peritorum votis, praesertim quoad huiusce ritus varietatem, quae in supradictis Ecclesiis obtinet, propter Sacrae Liturgiae latinae a graeca, unde ritus ipse desumptus est, discrepantiam; quae vota una cum ceteris omnibus documentis, rem ipsam respicientibus a R. P. D. Promotore S. Fidei collecta, additoque novo praefati ritus schemate ab ipsomet exarato, Sacri Coetus discussioni subiicerentur.

His itaque rite comparatis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in ordinariis Comitiis subsignata die coadunatis, accuratum examen instituerunt super natura enunciati ritus, eiusque ab Orientali Ecclesia derivatione, nec non super causis quae illius usum in aliquibus Ecclesiis latini ritus consuluerunt, inspectis insuper variis ipsius formulis hinc inde usitatis; ac demum perpensis rationibus, quibus permitti posset, vel tolerari eiusmodi ritus, saltem in locis ubi inductus fuit, prohibendo tamen ne alibi unquam adhibeatur, utpote omnino proprius Graecae Ecclesiae, atque ab indole latini ritus plane alienus. Hinc per me infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum proposito Dubio: « *An in aquae benedictione, quae in Vigilia, vel in Festo Epiphaniae in aliquibus locis cum aliqua solemnitate fieri consuevit, permittendus sit ritus quam qui praescribitur a Rituali Romano ad faciendam aquam benedictam?* »

Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus in re mature expensis, rescribendum censuerunt: *Negative.* Die 17 Maii 1890. Quibus per infrascriptum Secretarium SS. D. N.

Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua rescriptum S. Congreg. ratum habuit et confirmavit. Die 11 Iunii anno eodem.

L. † S.

C. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

Vincentius Nussi, S. R. C. *Secretarius.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

ORATIO ad Iesum crucifixum in suffragium Fidelium defunctorum.

Beatissime Pater,

Quum Orationes heic subiectae frequentari coeperint apud Christifideles; ex iisdem quam plures S. V. humiliter exorant ut eas ditare dignetur aliquibus Indulgentiis, quae in suffragium animarum in igne Purgatorii detentarum applicari valeant.

ORAZIONE

a Gesù Crocifisso in suffragio delle Anime del Purgatorio.

Gesù mio, per quel copioso sudore di sangue, che spargeste nell'Orto, abbiate misericordia delle anime dei miei più stretti parenti che penano nel Purgatorio. *Pater, Ave* e *Requiem.*

Gesù mio per quella crudele flagellazione che soffriste legato alla Colonna abbiate misericordia delle anime de' miei congiunti, ed amici che penano nel Purgatorio. *Pater, Ave* e *Requiem.*

Gesù mio, per quella corona di acutissime spine che trapassarono le vostre santissime Tempia, abbiate misericordia dell'anima la più abbandonata, priva di suffragi, e di quella che è più lontana ad essere liberata dalle pene del Purgatorio. *Pater, Ave* e *Requiem.*

Gesù mio per quei dolorosi passi, che faceste colla Croce in spalla, abbiate misericordia dell'anima la più vicina ad uscire dal Purgatorio, e per le pene che provaste insieme alla vostra SSma Madre Maria nell'incontrarvi per le vie del Calvario, liberate le anime, che furono divote di questa cara Madre, dalle pene del Purgatorio. *Pater, Ave* e *Requiem.*

Gesù mio per il vostro santissimo Corpo, steso sulla Croce, per i vostri santissimi Piedi e Mani, confitte con duri chiodi, per la vostra morte crudele e per il vostro SSmo Costato aperto dalla lancia, usate pietà e misericordia a quelle povere anime, liberatele dalle atroci pene che soffrono, chiamatele ed ammet-

tetele fra i vostri dolcissimi amplessi in Paradiso. *Pater, Ave* e *Requiem.*

Anime tormentate fra mille pene le più atroci, io perchè vero vostro divoto vi prometto di non dimenticarmi mai di voi e di pregare continuamente l'Altissimo per la vostra liberazione; a questa offerta che io vi faccio corrispondete, vi supplico, con impetrarmi da Dio, presso cui tanto potete a solo prò dei mortali, di liberarmi da tutti i pericoli dell'anima e del corpo; vi chiedo per me e per tutti i miei parenti, amici, benefattori e nemici il perdono dei peccati, la salvazione dell'anima e perciò la perseveranza nel bene. Liberateci da tutte le disgrazie, miserie, malattie, angustie e travagli. Impetrateci la pace dello spirito, assisteteci in tutte le azioni, soccorreteci prontamente nei nostri bisogni spirituali e temporali, consolateci difendeteci nei nostri pericoli. Pregate per il sommo Pontefice, per la esaltazione di Santa Chiesa, per la pace delle Nazioni, per i Principi cristiani, per la tranquillità dei Popoli, e fate che un giorno possiamo insieme godere in Paradiso. Così sia.

Gesù mio misericordia.

SSmus Dñus Noster Leo Papa XIII, in aud. hab. die 14 Decembris 1889 ab infrascripto Secretario S. C. I. SSq. RR. praepositae, universis Christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus propositam precem Indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congreg. die 14 Decembris 1889.

C. Card. CRISTOFORI *Praefectus*

A. Archiepiscopus Nicopolitanus *Secret.*

(*Versio latina*)

ORATIO

ad Iesum Crucifixum in suffragium fidelium defunctorum.

1. O Iesu, per copiosum illum sanguineum sudorem, quo in horto diffluxisti, miserere animarum arctiori cognationis vinculo mecum coniunctarum, quae purgatorio cruciantur igne.

2. O Iesu, qui alligatus ad columnam tam crudeliter flagris caesus es, miserere animarum propinquorum amicorumque meorum, quae purgatorio cruciantur igne.

3. O Iesu, per eam coronam acutissimarum spinarum, quibus tua sacratissima tempora transfixa sunt, miserere animae, quam minus recreant suffragia fidelium, quamve longius piacularis ignis torquebit.

4. O Iesu, per dolorosum illud iter, quod cruce superimposita ad Calvariam confecisti, miserere animae citius ab illo igne evolaturae, et per eum moerorem, quem in occursu Matris tuae perdolentis suscepisti, erue animas fidelium defunctorum, qui pie Eam coluerunt.

5. O Iesu, per Sacratissimum Corpus, Cruci affixum, per pedes, perque manus duris clavis transfixas, per crudelem mortem, per Sanctissimum Latus lanceâ perfossum, miserere animarum earum, libera eas et ad amplexus tuos in Paradisum admitte.

O fideles animae, tantis poenarum fluctibus iactatae, addictissimus ego vobis, semper memor vestri divinam vobis misericordiam non desinam implorare: hoc promitto. At vos, quaeso, precamini Deum, ut a cunctis animae et corporis me periculis eripiat, ut mihi, cognatis, amicis, benefactoribus, inimicis meis veniam peccatorum, salutem sempiternam atque adeo perseverantiam in bono concedat; ut calamitates avertat a nobis, aerumnas, morbos, angustias et labores, utque animi tribuat pacem: vos suffragiis apud Deum vestris, adeste agentibus nobis: afferte opem egentibus, solamen laborantibus, praesidium periclitantibus. Orate Deum pro Pontifice Maximo, pro exaltatione Sanctae Ecclesiae, pro nationum concordia, pro Principibus christianis, pro tranquillitate populorum, ut omnes una aeternis gaudiis tandem perfruamur. Amen.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad privilegium in favorem fidei concessum.

I. Quaeritur utrum dispensatio a vinculo Matrimonii, quae dari solet ab Ecclesia, positis ponendis, post baptismum unius partis, potest applicari in casu, in quo, post baptismum unius, duae partes non cessarunt habere connexionem, et consummarunt Matrimonium sicut ante baptismum?

II. Matrimonium valide contractum ante baptismum inter duos infideles potestne dissolvi, quando, post baptismum unius, pars infidelis promittit quidem se non inquietare mulierem baptizatam in professione Christianitatis, sed ille recusat dimittere alias uxores illegitimas, vel non vult promittere se servaturum leges Evangelii circa monogamiam?

III. In casu praecedenti, si Matrimonium dissolvi potest, mulier baptizata tenenturne recurrere ad dispensationem pro dissolutione Matrimonii?

IV. Mulier baptizata potestne recurrere ad dispensationem, quando praenoscit, quod, facta dissolutione Matrimonii, educatio prolis susceptae penitus erit in potestate viri eius infidelis?

V. Si dispensatio dari non potest, mulier legitima, quae fit

christiana, post conversionem, potestne cohabitare cum marito infideli, qui simul in eadem domo retinet uxores alias illegitimas?

VI. Puella christiana, obtenta dispensatione disparitatis cultus, potestne legitime contrahere Matrimonium cum infideli, qui non promittit se a polygamia abstinere in futurum?

VII. Bertha, adhuc infidelis, contrahit Matrimonium cum infideli statim ac pervenit ad annos pubertatis; et post duos annos relinquit virum suum, nulla suscepta prole, et ambo currunt ad alias nuptias, imo vir accipit plurimas uxores, et fit polygamus. Sed nunc mulier aetate provecta, audito Missionario, vult baptizari: potestne illa mulier dispensari a vinculo Matrimonii, contracti cum primo marito, non postulato consensu ejus, et sic remanere cum secundo marito, ex quo illa suscepit prolem?

VIII. Apud quosdam infideles detestabilis viget consuetudo, iuxta quam vir, post commissum adulterium cum uxore alterius, administrat remedium uxori adulterae, cuius effectus erit inferre mortem super legitimum maritum, eo ipso quod postea habebit connexionem cum uxore sua. Unde postulatur, utrum vir legitimus, qui nolit cohabitare cum uxore sua post adulterium commissum, si convertitur ad fidem, poterit dispensari a vinculo Matrimonii sui contracti in infidelitate, et ducere alteram uxorem, etiamsi infidelis uxor adultera vellet et ipsa baptizari?

S. Officii, 11 Julii 1886, ad Vicarium Apostol. Natal.

EE. et RR. PP. ad singula postulata responderunt iuxta sequentem modum, hisce tamen praenotatis:

1. Supra scripta postulata intelligi de privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso et per Apostolum Paulum I ad Cor. VIII, 12, seq. promulgato.

2. Hoc privilegium divinum in eo consistere, quod, stante Matrimonio legitime in infidelitate contracto, et consummato, si coniugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis coniugis fidelis, vel non sine execratione Sanctissimi nominis Christi, et christianae religionis despicientia, tunc integrum sit converso transire ad alia vota, postquam infidelis interpellatus aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitare, sed non sine Creatoris contumelia.

3. Juxta idem divinum privilegium, coniugem conversum ad fidem, in ipso conversionis puncto non intelligi solutum a vinculo Matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc, si coniux infidelis renuat, acquirere ius transeundi ad alias nuptias cum tamen coniuge fideli. Ceterum tunc solum coniugii vinculum dissolvi, quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias.

Hinc:

Ad I. Si quando evenerit, ut stante duorum infidelium Matrimonio, alter coniugum ad fidem conversus baptismum susceperit, atque cum infideli coniuge pacifice, et sine contumelia Creatoris cohabitaverit, si postmodum infidelis, quin tamen pars fidelis rationabile motivum dederit discedendi, nedum converti recusaverit, sed insuper fracta fide de pacifica cohabitatione, aut odio religionis discesserit, aut sine contumelia Creatoris cohabitare noluerit, vel fidelem ad peccatum mortale, aut ad infidelitatem trahere tentaverit, integrum erit coniugi fideli ad alia vota transire.

Ad II. Si agatur de uxore pagana alicuius pagani concubinarii, quae convertitur, tunc, facta interpellatione, si renuat converti, aut cohabitare absque iniuria Creatoris ac proinde desinere a concubinatu, qui sine iniuria Creatoris certe haberi nequit, poterit uti privilegio in favorem fidei concesso.

Ad III. Quando coniux infidelis rite interpellatus, aut absolute recusaverit cum coniuge ad fidem converso cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, vel absque eo quod se a concubinatu abstinere perpetuo velit, tunc coniux conversus, praehabito Superioris ecclesiastici iudicio, separari debet ab infideli, et poterit, si velit, uti privilegio seu divina dispensatione in favorem fidei concessa, et sic ad alia vota transire cum persona fideli.

Ad IV. Si coniugi converso impossibile prorsus sit filios e potestate alterius coniugis in infidelitate obdurati, subducere, nec fac sit, praemissa iuridica et formali interpellatione, cum eo cohabitare, vel quia ille non vult, vel non sine contumelia Creatoris vult cohabitare, prǽhabito iudicio Superioris ecclesiastici, integrum erit ad alia vota transire, firma tamen manente obligatione, qua semper tenetur, curandi, si quo modo poterit, catholicam filiorum educationem.

Ad V. Provisum in praecedentibus.

Ad VI. Negative et in similibus casibus Missionarii, qui ex concessione apostolica pollent facultate dispensandi super disparitate cultus, caveant ne dispensationem concedant, nisi remoto polygamiae periculo.

Ad VII. Quum agatur, uti supponitur, de Matrimonio legitimo in infidelitate contracto, mulier separetur a secundo viro omnino et cum effectu; et si ob gravissimas causas et realem impotentiam separari nequeat quoad habitationem, separetur saltem quoad torum et consuetudinem; nullum amplius habens cum eodem viro tractum, aut carnale commercium. Deinde de more instruatur, ei prǽcipue notificando, quod suscepto baptismo non dispensetur ab obligatione, quam habet redeundi ad primum maritum; et quatenus post debitam instructionem constet, eam moveri ad accipiendum baptismum ex vero religionis motivo, admittatur statim ad baptismum, eoque collato, interpelletur omnino primus vir, et interrogetur utrum converti velit, aut

sine contumelia Creatoris cum ea vitam traducturus sit, et de omnibus resultantibus R. P. D.Vicarius Apostolicus Sacram Congregationen certiorem faciat. Quod si vero summarie saltem, et extraiudicialiter constet coniugem in infidelitate relictum adeo esse absentem ut moneri legitime non possit, aut monitum intra tempus in monitione praefixum, suam voluntatem non significavisse vel, si adiri quidem possit coniux infidelis, sed de comparte iam facta Christiana interpellari nequeat sine evidenti gravis damni ei vel christianis inferendi periculo, quin huiusmodi damna cum necessaria circumspectione et cautela removeri possint, haec omnia Apostolicae Sedi renuntiabit Vicarius Apostolicus, expressis nominibus et expositis gravissimis causis pro obtinenda dispensatione super impedimento dirimenti disparitatis cultus, si practensus secundus vir adhuc in infidelitate persistat, et narratis omnibus rerum, personarum, et facti adiunctis, ut in re tam gravis momenti procedi tuto possit.

Ad VIII. Matrimonium etiam in infidelitate contractum naturâ suâ est indissolubile, et tunc solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii in favorem fidei, a Christo Domino concessi, et per Apostolum Paulum promulgati, quando coniugum alter Christianam fidem amplectitur, et alter nedum a fide amplectenda omnino renuit, sed nec vult pacifice cum coniuge converso cohabitare, absque iniuria Creatoris, ideoque non esse locum dissolutioni quoad vinculum Matrimonii legitime contracti in infidelitate, quando ambo Coniuges baptismum susceperunt vel suscipere intendunt.

EPISTOLA ad Archiepiscopum Cameracensem in qua edicitur, illicitam esse quamcumque operationem chirurgicam, quae directe occidat foetum vel matrem gestantem.

Anno 1886, Amplitudinis tuae Praedecessor dubia nonnulla huic supremae Congregationi proposuit circa liceitatem quarumdam operationum chirurgicarum craniotomiae adfinium. Quibus sedulo perpensis, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Cardinales una mecum Inquisitores Generales, feria IV. die 14 currentis mensis respondendum mandaverunt:

« In scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgicam quam *craniotomiam* appellant, sicut declaratum fuit die 28 Maii 1884, (1) et quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis. »

Idque notum facio Amplitudini Tuæ, ut significes professoribus facultatis medicae Universitatis catholicae Insulensis.

Interim fausta quaeque ac felicia tibi a Domino precor.

Romae, die 19 Augusti 1889.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus in Domino
R. CARD. MONACO

(1) Declaratio haec relata fuit hoc Vol. XVI, 556.

LITTERAE ad omnes locorum Ordinarios; per quas eisdem facultas indulgetur solvendi a lege ieiunii et abstinentiae fideles, quibus praesunt donec grassetur morbus, qui Europam aliasque regiones Orbis pervasit.

Apostolicae potestatis et benignitatis curas ad se vocavit conditio et genus morbi, qui hoc tempore non Europam modo, sed alias Orbis regiones late pervasit. Hoc enim grassante malo permotus Sanctissimus Dominus Leo XIII, pro summo studio quod gerit, ut non solum in iis quae animi sunt, sed in iis etiam quae sunt corporis bono Fidelium consulat, Suae sollicitudinis esse putavit, ea praesidia quae in sua potestate sunt conferre Fidelibus, quae corporis vitaeque incolumitati adversus morbi vim dominantis prodesse posse visa sunt.

Quamobrem ministerio Sacri Consilii Supremae Romanae Universalis Inquisitionis utens, omnibus Archiepiscopis, Episcopis et locorum Ordinariis catholici Orbis, cunctis in regionibus quibus morbus, de quo supra dictum est, incubuit, Apostolica auctoritate facultatem impertit, ut Fideles, queis praesunt a lege solvant qua abstinentiam et ieiunium servare tenentur, donec iisdem in locis ipsorum iudicio, hanc Appstolicam indulgentiam publicae valetudinis ratio et conditio requirat. Optat autem Sanctitas Sua, ut dum Fideles Apostolica hac benignitate utuntur, studeant impensius piis vacare operibus, quae ad divinam clementiam demerendam valent.

Quapropter eos hortatur, ut sublevandis caritate egenis, celebrandis ad preces et sacra officia templis, frequentique Sacramentorum usui ad Deum exorandum placandumque studiose dent operam, cum aperte pateat crebra, quibus affligimur mala, ad divinam iustitiam esse referenda, quae ob corruptos mores et late exundantem flagitiorum colluviem iustas poenas ab hominibus expetit.

Romae, die 30 Ianuarii anno 1890.

R. CARD. MONACO.

DUBIUM quoad prohibitionem de non miscendis cibis vetitis.

Utrum per Indultum Apostolicum ministerio S. R. U. Inquisitionis die 30 Ianuarii anni currentis latum, quo Ordinariis facultas committitur solvendi fideles a lege abstinentiae et ieiunii, sublata sit etiam prohibitio de non miscendis cibis?

Feria IV, die 26 Februarii 1890.

Emi et Rmi PP. Inq. responderunt: *Negative, sed tempore Quadragesimae et ieiuniorum infra annum, prohibitam esse promiscuitatem ciborum vetitorum simul et permissorum in eadem comestione.*

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXII. CONTINENTUR

LITTERAE ET ACTA ROM. PONTIFICIS

Epistola Enciclyca SS̃mi D. N. Leonis XIII; de patrocinio s. Iosephi una cum Virginis Deiparae pro temporum difficultate implorando . . . . . *pag.* 65

Breve SSmi D. N. Leonis XIII, quo Collegium Octavae augetur dignitate et iuribus catholicae Universitatis . . . . . » 201

Litterae Apostolicae in forma brevis, quibus permittitur ut Petrus Aloisius Maria Chanel nuncupetur nomine beati, eiusque reliquiae publicae venerationi proponantur . . . . . » 257

Litterae SS̃mi D. N. Leonis XIII ad Em̃um Cardinalem in Urbe Vicarium de spirituali recessu peragendo a cuncto romano clero, nemine excepto . . . » 337

Litterae encyclicae SS̃mi D. N. Leonis XIII de praecipuis civium christianorum officiis . . » 385

Litterae apostolicae in forma brevis, quibus permittitur ut Ioannes Gabriel Perboyre nuncupetur nomine beati, eiusque reliquiae publicae fidelium venerationi exponantur . . . . . » 405

Bulla Sanctissimi D. N. Leonis XIII qua fundatur Dioecesis Luganensis . . . . . » 449

Litterae Apostolicae SSmi. D. N. Leonis XIII de collegio clericorum Bohemorum in Urbe condendo . . . . . » 458

Litterae in forma Brevis, quibus constituitur, ut dies 19 Martii, b. Iosepho sacra, accenseatur diebus festis per totam Hispaniam et in regionibus eidem subiectis . . . . . » 462

Epistola SS. Patris Leonis XIII ad Episcopum Viglevanensem, qua dolet de contumelia huic illata, ex quo vocatus sit coram laico magistratu, perfunctionis sacri muneris gratiâ . . . . . » 705

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 30 Decembris 1889 . . . . . » 321

EX S. CONG. CONCILII

Foroiulien. et Nicien. seu Aquen. Legati; res est de delegato cuinam adscribendum sit . » 3

Interamnen. quartae funerariae; agitur an Ecclesia tumulans debeat Ecclesiae paroeciali quarta de intorticiis, quae circa feretrum ardent tempore medio inter delationem et exequias . . . » 15

S. Agathae Gothorum iurium parochialium; resolvitur tribuen-

dum esse vicariis curatis exercitium omnium iurium parochialium, quod studebant sibi vindicare canonici . . . . . » 22

Panormitana institutionis; denegatur institutio in praebenda canonicali, quam presbyter obtinuerat a gubernio civili, inconsulto Ordinario . . . . . » 34

Barchinonen. commutationis voluntatis; indulgetur, pro parte, expetita gratia commutandi testatoris voluntatem . . . . » 43

Concordien. divisionis paroeciae et erectionis; indulgetur divisio paroeciae et erectio novarum paroeciarum; dummodo caveatur de convenienti congrua pro singulis paroeciis erigendis . » 69

Tarentina commutationis voluntatis; gratia expetita concessa fuit, ita tamen ut Episcopus curet legati implementum quoad fieri potest . . . . . » 81

Nullius Montis Cassini, translationis; indulgetur parocho expetita translatio ad aliam paroeciam, praevio examine coram tribus examinatoribus pro-synodalibus . . . . . » 82

Veneten. matrimonii; confirmatur sententia Curiae parisiensis, quae declaravit nullum matrimonium ex capite *vis* et *metus* . . » 85

Balneoregien. commutationis voluntatis et absolutionis; indulgetur expetita gratia commutationis voluntatis et absolutionis . . . 128

Neapolitana concursus; quaestio est an confirmandum vel infirmandum sit iudicium curiae quoad concursum, in quo reiectus fuit ab examinandorum albo concurrens, qui homiliam non peregit ad normam textus evangelii propositi . . . . . » 131

Montisalti compositionis; denegatur expetita gratia compositionis . . . . . » 137

Melevitana fatalium appellationis prosequendae; declaratio porrigitur a s. Congregatione quoad appellat. prosequendam . » 152

Salernitana facultatis binandi; indulgetur facultas binandi, perdurantibus expositis circumstantiis . . . . . » 154

Anagnina repartitionis redituum massae capitularis; agitur quaestio de ratione peragendi fructuum repartitionem inter canonicos et beneficiatos, quum lex civilis ad tredecim redegerit praebendas canonicales, ad sex praebendas beneficiatorum » 156

Fulginaten. indulti iubilationis; conceditur indultum iubilationis canonico, qui, praestito assiduo servitio per 40 annos, nunc senectute et incommodis variis urgetur . . . . . » 204

Granaten. onerum; Ordinarius excipere renuit nonnulla onera adnexa Villae, quam accipit rusticandi causâ . . . . . » 207

Apuana matrimonii; nullum renuntiatur matrimonium, ob detectum impedimentum consanguineitatis in tertio gradu inter sponsos . . . . . » 220

Theatina adiudicationis redituum; agitur inter canonicos quomodo peragenda sit diribitio redituum, quos demanium perceperat et deinde restituit . . . . » 237

Wladislavien. matrimonii; indulgetur dispensatio super matrimonio rato, et non consummato . . . . . » 263

Montis Regalis distributionum; quaestio agitur an addendus sit novis statutis Capituli articulus, quo canonicus curatus habetur pro praesente, quando abest a choro, ministerii sui causa » 279

Agrigentina matrimonii; denegatur dispensatio a matrimonio rato et non consummato . » 286

Theanen. distributionum; canonicus poenitentiarius absens a choro, sui muneris gratia, lucratur fallentias, distributiones ordinarias et extraordinarias, sive fixas, sive fortuitas . . . . . » 288

Cassanen. processionum, resolvitur, parochum posse ingredi fines alterius paroeciae, in processiones ducendas, de licentia Episcopi . . . . . » 341

Brixinen. synodi dioecesanae; indulgetur gratia non advocandi ad Synodum celebrandam omnes, qui ius haberent, sed excluduntur procuratores . . . . » 350

Marsorum electionis canonicorum; denegatur gratia eligendi canonicos honorarios ad supplendam deficientiam titularium . » 355

Parisien. matrimonii; confirmatur sententia curiae parisiensis, quae nulliter initum declaraverat matrimonium . . . . . » 358

Colonien. translationis et dismembrationis beneficii; expetita translatio et dismembratio conceditur . . . . . » 361

Parisien. matrimonii; dispensatur matrimonium ratum et non consummatum, iustis de causis. » 366

Monopolitana reductionis onerum et absolutionis . . . . . » 412

Tarentina hypothecariae cautionis; indulgetur ut hypothecae subiici valeant bona commendae Ordinis Constantiniani a S. Georgio» 414

Praten. nominationis; disceptatur de ratione faciendi provisionem praebendae poenitentiariae. 416

Montisfalici quoad interventum ad capitula; disceptatur de iure Achipresbyteri quoad interventionem ad coetus capitulares. 428

Regien. Missae conventualis; de consuetudine inolita quoad missam conventualem . . . » 432

Mantuana commutationis voluntatis; indulgetur gratia distribuendi fallentias inter praesentes etc. . . . . » 464

S. Agathae Gothorum confraternitatis: agitur quaestio quoad sacras functiones et supplicationes et in nota iterum exhibitur Decretum Urbis et Orbis, utpote continens ius commune quoad quaestiones inter Parochos et Sodalitia . . . . . » 465

Parisien. matrimonii; nullum declaratur matrimonium ex defectu formae tridentinae . . . » 477

Senogallien. binationis; denegatur gratia applicandi secundam missam in satisfactionem oneris canonicalis . . . . . » 499

Sancti Pauli in Brasilia; dubium quoad formam concursus; quaeritur an uti substantialia habenda sint ea omnia, quae praescribuntur in constitutione *Cum illud* quoad concursum beneficiorum . . . . . » 513

Asculana matrimonii; non constare censuit s. Congregat. Concilii de existentia matrimonii, quod ioci causâ initum fuit coram Parocho et duobus testibus. » 529

Wratislavien. dubium matrimonii; resolvitur quod probatio status liberi in casu incertae mortis coniugis, non sit moderanda ad formam benedictinae Constitutionis quoad formam processus 546

Aurelianen. indulti; indulgetur Ordinario aurelianensi facultas, pro una vice, consulendi statui, haud aequo, legatorum piarumque fundationum suae Dioecesis. . » 554

Cantonis Ticini legati; permittitur ut pars legati addatur doti Cappellaniae, in commodum fidelium, qui in festis diebus hanc adeunt, loco paroecialis Ecclesiae, quae maxime distat. » 559

Feretrana iuris patronatus; moderatoribus reipublicae s. Marini privilegium tribuitur praesentandi pro nova ecclesia parochiali . . . . . » 561

Spalaten. confraternitatis; infirmatur sententia curiae archiepiscopalis Iadrensis, quae habuit ceu existentem, sodalitatem a proprio Ordinario spalatensi rite formiterque suppressam . » 585

Salernitana electionis deputati pro seminario; invalidatur electio deputati pro seminario, facienda a clero civitatis, eo quod inter suffragia ferentes astiterint nonnulli canonici . . . . . » 597

S. Iacobi de Cuba quoad aetatem poenitentiarii; decernitur sufficere esse incoeptum annum quadragesimum pro obtinenda poenitentiarii praebenda . . » 603

Parisien. matrimonii; dispensatio indulgetur super matrimonio rato et non consummato ex impotentia viri . . . . . » 610

Scepusien. matrimonii; indulgetur dispensatio super matrimonio rato et non consummato . » 618

Drepanen. iurispatronatus; agitur de iurepatronatus activo inter plures compatronos . . . » 641

Ferrarien. matrimonii; quaeritur an concedi debeat dispensatio super matrimonio rato tantum. 656

Concordien. divisionis paroeciae et erectionis; agitur quomodo intelligendum sit responsum S. C. Concilii diei 1889 quoad divisionem paroeciarum . . . » 660

Magno-Varadinen. matrimonii; indulgetur gratia dispensationis super matrimonio rato et non consummato . . . . . » 665

Aversana commutationis voluntatis; gratia expetita conceditur, sub nonnullis conditionibus. 682

Elnen. canonicalis; dubia quoad indolem, iura, privilegia et onera canonicorum ab Episcopo electorum, sine praebenda. » 684

Posnanien. legati pii; quaestio agitur de interpretatione legati pii inter Ordinarium et Parochum . . . . . » 706

Neapolitana concursus; iterum proponitur quaestio, sed confirmatur sententia, alias data . . . » 715

Liparen. absolutionis; absolutio, sub nonnullis conditionibus beneficiato indulgetur, qui bona beneficii divenderat. . . » 724

Melevitana commutationis voluntatis; indulgetur ut tria subsidia dotalia convertantur arbitrio Episcopi . . . . . » 727

Wladislavien. matrimonii; dispensatio indulgetur super matrimonio rato et non consummato» 729

EX S. CONGREG. EP. ET REG.

Asculana Piceni seu Firmana iurium confraternitatum; confirmatur sententia Curiae firmanae quoad nonnullas quaestiones inter confratres . . . . . » 104

Meliten. taxa Seminarii; coguntur Moniales augere taxam favore Seminarii, auctis earundem reditibus . . . . . » 250

Senen. exemptionis a iurisdictione parochiali; quaeritur an exempti sint a iurisdictione parochiali alumni et famuli laici degentes in surdorum instituto, a clericis scholarum piarum recto . » 298

Hildesheimen. seu Southwarcen. restitutionis vel compensationis; agitur de iure quod competit religiosis Ursulinis Greenwich degentibus etc. . . . . » 688

EX S. RITUUM CONGREG.

Decretum beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei Ioannis Iuvenalis Ancina, e primis s. Philippi Nerii discipulis, ac postea Episcopi salutiensis . . . » 45

Decretum beatificationis seu declarationis martyrii ven. servi Dei Ioannis Gabrielis Perboyre, sacerdotis e Congregatione Missionis s. Vincentii a Paulo . » 48

Conchinchinen. decretum beatificationis, seu declarationis martyrii Petri Luu sacerdotis, in odium fidei interfecti . . . . . » 170

Namurcen. decretum beatificationis et canonizationis ven. servae Dei Iuliae Billari, fundatricis Congregationis sororum b. Mariae Virginis . . . . . » 171

Dubia quoad expositionem imaginis b. Mariae Virginis, quae colitur in Valle Pompeiorum. 501

Decretum redintegrationis cultus, olim praestiti ven. servo Dei Antonio Mariae Zaccariae, fundatoris Congregationis s. Pauli Barnabitarum et Angelicarum s. Pauli . . . . . » 502

Decretum canonizationis beati Ioannis Baptistae de la Salle, fundatoris Congregationis Fratrum scholarum christianarum . » 563

Decretum canonizationis b. Alphonsi ab Orozco, ordinis Eremitarum s. Augustini, provinciae Hispaniae . . . . . » 564
Decretum beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Francisci Mariae Castelli . . . . . » 694
Decretum beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Andreae Uberti Fournet etc. . . » 695
Decretum beatificationis et canonizationis ven. servae Dei Mariae Margaritae Dufrost de Lajammerais viduae D' Yopville . » 696
Dubia quoad missam votivam sacratissimi Cordis Iesu *etc.*» 738
Litterae circulares, quibus edicitur, regulam esse quod non liceat in una eademque Ecclesia exponere imagines depictas vel statuas eundem referentes coelitem; et hanc regulam prae oculis habuisse S. Congr. Rituum quoad nonnulla dubia respicientia imaginem Deiparae, quae colitur in Templo vallis Pompeianorum . . . . . » 739
Plurium Dioecesium. Dubium quoad ritum utendum in benedictione aquae in vigilia vel in festo Epiphaniae . . . . . » 742

EX S. POENIT. APOSTOLICA

Responsum, quo edicitur non esse dispensatos filios ab abstinentia carnium, quatenus, iustis de causis, paterfamilias hac ditatus fuerit dispensatione . . . » 627

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

Oratio ad s. Iosephum cum indulgentia adnexa . . . . . » 117
Decretum Urbis et Orbis, quo alia additur indulgentia orationi ad s. Ioseph . . . . . » 254
Decretum Urbis et Orbis, quo conceditur Indulgentia Christifidelibus pium exercitium quindecim Sabbathorum in honorem Deiparae sub titulo SSmi Rosarii peragentibus . . . . . » 304
Rescripta, quibus invocationi s. Ignatii *Domine mi...* orationibus a s. Bernardino Senensi, et a s. Aloisio Gonzaga concinnatis aliqua additur indulgentia . » 565
Oratio ad Iesum crucifixum in suffragium Fidelium defunctorum cum adnexa indulgentia centum dierum . . . . . » 743

EX S. C. R. U. INQUISITIONIS

Decretum et Instructio quoad examen testium qui inducuntur pro matrim. contrahendis. 628
Dubia exhibita quoad sensum praeallati decreti . . . . . » 631
Decretum; dubia nonnulorum Episcoporum Galliae circa legem divortii civilis . . . . . » 635
Instructio super matrimoniis mixtis ad Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos rituum orientalium . . . . . » 636
Dubium; resolvitur, Ordinarios posse delegare parochis, tantum pro casibus... facultatem dispensandi

in casu extremae necessitatis, super impedimentis publicis matrimonialibus . . . . . » 640
Dubia quoad privilegium in favorem Fidei concessum . . » 745
Epistola ad Archiepiscopum cameracensem; in qua edicitur, illicitam esse quamcumque operationem chirurgicam, quae directe occidat foetum vel matrem gestantem . . . . . » 748
Litterae ad omnes locorum Ordinarios; per quas eisdem facultas indulgetur solvendi a lege ieiunii et abstinentiae fideles, quibus praesunt, donec grassetur morbus, qui Europam aliasque regiones orbis pervasit . » 749
Dubium quoad prohibitionem de non miscendis cibis vetitis » 749

EX S. CONG. INDICIS

Decreta, quibus varii prohibentur libri . . . . » 255. 305. 567

APPENDICES

Appendix I. in qua plura referuntur decreta s. Rituum Congregationis . . . . . » 50
Appendix II; idem . . . » 119
Appendix III; idem . . . » 173
Appendix IV; idem . . . » 307
Appendix V; idem . . . » 375
Appendix VI; idem . . . » 436
Appendix VII; idem . . . » 505
Appendix VIII; idem . . . » 569
Appendix IX; idem . . . » 698

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS, AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Appellatio
Beneficium
Canonicus sine praebenda
Concursus
Deputatus Seminarii
Distributiones
Episcopus
Exemptio
Iuspatronatus
Matrimonium
Parochus proprius
Parochus quoad chorum
Paroecia quoad divisionem
Poenitentiarius quoad aetatem
Portio funeraria
Sodalitium
Taxa pro Seminario

Appellatio

Tempus utile ad appellandum in materia concursuum est *decem dies* a die collationis, ad normam Clementis XI, firmatam a Benedicto XIV; ne electi in perpetuum vexarentur et status parochiarum diu incertus maneret. *pag.* 723.

Appellatio fieri debet vel per conscriptum libellum vel per verbum rituale *appello;* neque dici potest aequipollere his duobus modis appellandi quaerimonias simplices, emitti solitas a reiectis quibuslibet. *pag.* 724.

Elapsis proinde decem diebus absque appellatione, enascitur *res iudicata,* seu praesumptio iuris de iudicati ac dispositi iustitia; et pars condemnata in eam consentit: *ibid.*

Beneficium

In obscuris, ex regula iuris, inspiciendum est quod verisimilius est et quod plerumque fieri consuevit. *pag.* 219.

Notum est, fundatores in limine fundationis, et donatores, donatione non perfecta, adiungere posse beneficio, vel donationi honestas conditiones. *pag.* 220.

Quidquid ad massam Capituli pertinet, si quacumque causa imminuitur aut augetur, id vergere debet in discrimen vel in utilitatem omnium canonicorum de Massa. *pag.* 249.

Civili auctoritati ius immutandi leges piae fundationis omnino deest: quum ipse Pontifex religiose custodire intendat quidquid pii

fundatores constituerunt pro erogatione pecuniarum suarum. *ibid.*

Quamobrem si laici motu proprio aliquid constituerint, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius evadit firmitatis, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. *ibid.*

Ideoque sequitur quod frustra Demanium iuberet disparem fieri distributionem inter canonicos, communem habentes massam; quia id leges Ecclesiae vetant, et quia dominium alicuius fundi communis penes universitatem permanet, non apud singulos de universitate qui omnes teneantur stare communi sorti. *ibid.*

In massae communis regimine implicitus habetur societatis contractus; quo fit ut lucrum et detrimentum singulos in solidum aeque afficiat; nam societas leonina seu iniusta evaderet, si alter damnum, alter lucrum persentiret. *ibid.*

Canonicus sine praebenda

Canonici legitime electi, etiamsi praebendâ et stipendio careant, uti vere canonici sunt habendi; ita ut fruantur omnibus tum iuribus, tum privilegiis, quae sede plena aut vacua, ad canonicatum pertinent, et graventur omnibus oneribus eidem canonicatui inhaerentibus. *pag.* 688.

Concursus

Ad mentem Concilii Tridentini examinatores debent renunciare quotquot idoneos repererint, praevio iudicio cumulativo super aetatem, mores, scientiam, prudentiam aliosque requisitos ad determinatam paroeciam proficue regendam. *pag.* 146.

Conciunculam non pertinere ad substantiam concursus eruitur ex S. C. Concilii resolutionibus; per quas patet non esse imponendum per viam praecepti, sed per *modum instructionis,* ut quilibet ex concurrentibus sermonem scribat super textum evangelii. *ibid.*

Siquidem patet ex Benedicto XIV mentem esse S. Congregationis, hortari Episcopos eisque methodum proponere, quae servaretur ex mero consilio et suasione, non absolute, quoad conciunculam concinandam ad evagelicum textum *ib.*

Quamobrem si conciuncula non iubetur, sed tantum suadetur, ad formam pertinet, minime ad substantiam; ast quae ad formam pertinent, substantiam non destruunt si deficiant. *pag.* 147.

Ex Constit. *Cum illud* Benedicti XIV examinatores, expensis coniunctim doctrina aliisque requisitis, inhabiles per suffragia eiiciant atque idoneos Episcopo renuncient. *ibid.*

Seu, ut habet eadem Constitutio, examinatores debent *arcto foedere doctrinae consociare honestatem morum, gravitatem, prudentiam, praestita Ecclesiae servitia, omniumque virtutum ornamenta. ibid.*

Potest, quatenus velit, Apostolica sedes parcere defectui formae quoad appellationem quae interponi debet infra decem dies, si iustitia laesa fuerit. *ibid.*

Deputatus Seminarii

In electione deputati pro seminario facienda a Clero civitatis adesse non possunt canonici, quia iidem ex consecutione canonicatus in cathedrali cessant esse pars de clero civitatis quoad hoc ius. *pag.* 603.

Tridentinum enim privilegium eligendi deputatum unum dedit canonicis seorsim a clero civitatis, qui alterum e suo gremio eligere valet. *ibid.*

Ideoque ceu invalidaretur electio peragenda a canonicis quatenus clerus civitatis interesset eidem electioni, sic censendum contra ius esse quod canonici suffragia ferant in electione deputati Seminarii a clero explenda. *ibid.*

Distributiones

Distributiones quotidianas, tempori absentiae respondentes, lucrantur canonici, tamquam si essent praesentes. *pag.* 285.

Iis tantum distributionibus et emolumentis exceptis, quae, ex voluntate testatorum, debentur *actu tantum praesentibus*. *ibid.*

Distributiones quotidianae, quae dantur ratione servitii et interessentiae choro, in congruam canonici curati imputari debent. *ibid.*

Consuetudo, ut legis vim obtineat, debet esse pacifica et legitime praescripta. *ibid.*

Conventio, ad normam iuris communis interpretanda est, quoties eius verba adeo ambigua sunt, ut interpretatione egeant. *pag.* 286.

Praesentibus tantum in choro obvenire distributiones ex iure certum est; attamen fictione iuris habentur ceu praesentes, quos excusat infirmitas seu iuxta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas. *pag.* 297.

Poenitentiarius excusatur a praesentia in choro per Ecclesiae utilitatem, fictaque illius praesentia in casu ficto, idem operatur ac veritas in casu vero. *ibid.*

Hinc nulla excipitur distributio favore illius eidemque debentur, praeter ordinarias distributiones, etiam extraordinariae, et eleemosynae, quae distribuuntur pro associatione defunctorum, et processionibus, quae fiunt per urbem, nisi obstet liquida et expressa voluntas dantis vel testatoris. *ibid.*

Poenitentiarius merito aequiparatur canonico Theologo explananti sacram scripturam, et Parocho curam animarum exercenti; atqui utrique munera proprii officii exercenti omnes tribuuntur distributiones. *ibid.*

Poenitentiarius tenetur congruis horis facere copiam sui in confessionali, et confessiones omnium

audire, quasi loco Episcopi; quum vero ex iure haud ligetur iste arctiori residentia quam ceteri canonici; hinc dum confessiones audit, merito ceu praesens habetur in choro, et ius habet ad omnes distributiones ordinarias et extraordinarias, certas aut incertas. *ibid.*

Episcopus

Nemo excipere potest sacramentales confessiones, nisi per parochiale beneficium aut per approbationem, quam obtineat ab Episcopo, praevio examine, si illi videbitur esse necessarium. *pag.* 34.

Episcopi possunt, quatenus velint, novo subiicere examini etiam parochos, quamvis probatos et in Ecclesiae paroecialis exercitio existentes, si superveniant indicia de eorumdem imperitia. *ibid.*

Extensio iurisdictionis quam Episcopus super sodalitiis suae Dioecesis exercet, ex decreto institutionis seu erectionis dimetienda est. *pag.* 116.

Nihilominus ex iure facultas ipsi competit eadem sodalitia visitandi, non solum in propriis oratoriis, sed etiam in regularium ecclesiis, in his quae respiciunt administrationem et adimplementum onerum, vel relationem habent ad Confratres. *ibid.*

Ipsi ius quoque inest removendi Officiales et Ministros a Confratribus electos, quatenus non sint idonei et graves exceptiones patiantur. *pag.* 117.

Huiusmodi vero iura consistunt in facultate statuta in melius mutandi, reformandi, ampliandi et ipsam Archiconfraternitatem suae ordinariae visitationi ac iurisdictioni et suorum successorum in perpetuum subiiciendi. *ibid.*

Salva iuris communis dispositione, qua appellanti conceduntur triginta dies ad petendos apostolos; est in facultate Episcopi determinare tempus, quo nisi apostoli petantur, appellatio uti deserta habetur. *pag.* 153.

Proinde Episcopus melitensis pro nihilo habet consuetudinem inolitam in sua Dioecesi et tempus sibi benevisum determinare valet, non brevius tamen triginta diebus, infra quod evanida appellatio fiat, nisi a sua Curia apostoli et documenta expetita fuerint ad iudicem superiorem deferenda. *ibid.*

Ad Episcopos privative spectat ius indicendi, dirigendi et ordinandi publicas processiones; nec iurisdictio parochorum valet in hac materia limitare Episcoporum potestatem per totam Dioecesim. *pag.* 349.

Maxime inter se differt ius simplicis parochi et Ordinarii; ius enim parochi est stricte territoriale et quoad paroeciam; ius vero Episcopi est iurisdictionale et quoad totam Dioecesim; et ita Episcopus valet, ceu parochus parochorum, seu superior et iudex agnoscere quando alicuius parochi oppositio sit irrationabilis vel indiscreta. *ibid.*

Etsi ex Decretalium titulo 10 *lib.* 3 obligentur Episcopi rogare capitulum de consilio aut de consensu quoad processionem; tamen obligatio haec non est ita absoluta, ut semper et ubique procedat; ceu eruitur etiam ex nuperrimis resolutionibus S. C. Rituum. *ibid.*

Exemptio

In monasteriis ac etiam in Collegiis, ubi iuxta instituta regularia vivitur, possunt tam Praelati Regulares quam confessores Regularium eorumdem Monasteriorum seu Collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui sunt de familia et continui commensales, non tamen illorum qui tantum ipsis deserviunt. *pag.* 303.

Iuvenes et convictores alumni, viventes pro studiis in Regularium Collegiis, haberi possunt veluti spectantes ad Coenobii et Monasterii familiam, adeo ut, irrequisito parocho, communionem Paschalem, Viaticum et Extremam unctionem a superiore Regulari recipere possint. *ibid.*

Iuspatronatus

Quilibet clericus vel laicus, etiam imperiali dignitate fulgens anathemati subiacet quatenus alicuius ecclesiae bona ... usurpare praesumpserit; atque, ultra excommunicationem, iure patronatus privatur, si fuerit illius ecclesiae patronus. *pag.* 42.

Amisso ex poena iure patronatus, frustra patronus praesumit nominationes ad vacantia beneficia prosequi; quum hoc privilegio frui tantum possint benefactores ex gratia pontificia. *ibid.*

Episcopus institutionem dare debet praesentato a patrono legitimo, quoties nihil in praesentato obstet, cuius causa ille a beneficio repellendus sit ceu indignus. *p.* 43.

Compertissimi iuris est, quod si copulative plures conditiones adiectae sint in fundatione, omnes sint adimplendae. *pag.* 655.

Iudex laicus de iurispatronatus causis cognoscere haud potest, licet iudicium directe et immediate rem temporalem afficeret, quia cum res temporalis spirituali sit adnexa, magis dignum trahit ad se minus dignum et res temporalis desinit esse talis, quamprimum spirituali adnexa sit. *ibid.*

Potest tamen iudex laicus de huiusmodi causis cognoscere, quando iuspatronatus *incidenter et accessorie* tractatur, *principaliter* vero de feudis et legatis ac successionibus haereditatum agitur, quibus iuspatronatus inseparabiliter adhaeret. *ibid.*

In vim conventionis inter Benedictum XIV et Carolum II utriusque Siciliae regem initae, ecclesiasticae iurisdictioni causae beneficiales reservatae fuerunt, exceptis iurispatronatus regii vel feudalis et illis causis, quarum sententia dependet ab examine utrum pa-

tronatus sit adnexus feudo, aut de universitate bonorum in aliis laicalibus patronatibus. *ibid.*

Ex lege 22 ff. de verb. significatione filii appellatione saepe nepotes accipiuntur et omnes qui descendunt, continentur. *ibid.*

Tacita haereditatis aditio, quae habetur cum quis se gerit pro haerede, a lege permittitur ac valida habetur. *ibid.*

Clericus a fundatore vocatus ab ipso Ordinario eligendus et instituendus est, etsi a patrono in praesentatione fuerit omissus, dummodo aliunde de ipsius idoneitate constet. *ibid.*

Sacri Canones quemadmodum ad alliciendos fideles largiti sunt fundatoribus iuspatronatus in parte activa nominandi, ita multum inclinant ad praeferendum sanguinem et descendentes ab eisdem fundatoribus in altera parte passiva. *ibid.*

Fundator cum consensu Ordinarii potest extra limen fundationis addere patronatum passivum in favorem familiae domusve suae, vel concivium vel collegialium ecclesiae, quia talem conditionem non iuri contrariam sed consonam pronunciavit. *ibid.*

Cessante alterius praeiudicio, suis fere legibus, sive ante sive post episcopalem assensum, fundator haud adstringitur; qui valet ob id praesentare clericum, qualitates in fundatione praescriptas non habentem, aliaque onera et requisita abrogare aut patronatum haereditarium convertere in familiarem et gentilitium vel ei superaddere patronatum passivum. *pag.* 656.

Matrimonium

Quod metus causa gestum est ratum haberi non potest; quia magis pati, quam agere convincitur qui sub vi, aut sub metu aliquid promittit. *pag.* 102.

Ideo Ecclesiae aequitas consulit vim aut metum patientibus in nuptiis ineundis, nullum declarando ab initio consensum praestitum in contractu matrimonii; quia matrimonium semel validum amplius dissolvi non posset, et individui libertas laederetur, et iniuriam passus nullum remedium haberet *pag.* 103.

Hinc provida vere dicitur lex, quae haud respicit an vim passus *ore* aut *corde* consenserit, sed nullum et inanem declarat ab initio eiusmodi consensum in tutelam humanae libertatis. *ibid.*

Verum non omnis metus inficit consensum contrahentium; sed tantum quando malum, quod timetur, sit grave in se et certo immineat, non laevi aestimatione, sed certitudine morali. *ibid.*

Reverentialis metus minis, saevitiis aut importunis parentum precibus iunctus, nullum reddit consensum in matrimonio; quia velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini. *ibid.*

Gravitas timoris oritur ex na-

tura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum, qui eas passi dicuntur. *ibid.*

Quando agitur de quaestione facti non iuris, nempe an matrimonium irritum renunciari debeat ob impedimentum dirimens, nihil aliud faciendum est quam inquirere ac formiter probare dictum impedimentum existere, neque per dispensationem apostolicam sublatum fuisse. *pag.* 236.

Impedimentum consanguinitatis, seu prohibitio coniugalis copulae ad quartum gradum cohibetur ; ita ut qui infra eiusmodi gradum copulari praesumpserit, nulla annorum longaevitate defendatur et nulliter agat. *ibid.*

Duo a iure requiruntur ad formiter evincendam consanguineitatem; nempe instrumentorum fides, et attestatio consanguinoreum, vel duorum testium, omni exceptione maiorum. *ibid.*

Fides instrumentorum ad dignoscendam consanguineitatem colligitur ex libris parochialibus; qui in causis matrimonialibus, aequiparantur publicis instrumentis ex Tridentino *sess. 24 cap. 1 de reform. matrim.* plenamque efficiunt probationem. *ibid.*

Ad probandam consanguinitatem vel affinitatem maximae sunt auctoritatis libri parochiales; nam etsi liber parochialis non sit publicus, idest manu publici notarii conscriptus, tamen quum ex Tridentino industria et fides parochi electa sit ad conscribendum talem librum, indubitanter est tali libro fides adhibenda. *ibid.*

Aliud argumentum ad evincendam consanguinitatem est testium depositio ; ex iure enim statuitur non esse differendam sententiae divortii promulgationem , si reperiatur per testes circumspectos, omni exceptione superiores, quod primus vir attingit superstitem quarto gradu consanguineitatatis. *ibid.*

Impedimentum respectivum et particulare dirimit peculiarem contractum matrimonii, ceu omne matrimonium dirimit impedimentum absolutum et totale. *pag.* 278.

Tolerabilius et honestius videtur matrimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii occasionem incontinentiae praebere et continuum fovere peccatum: etenim infertur praeiudicium et iniuria eidem sacramento. *ibid.*

Fama consentiens demonstrat violentam praesumptionem , praecipue si agatur de impedimento quod a pluribus praedicetur manifestum. *ibid.*

Septem tantum requiruntur testes ex parte affirmantis quando unus affirmat, alter vero ex coniugibus impotentiam negat. *ibid.*

Certitudo demonstrativa haberi non potest in actibus humanis, super quibus instituitur iudicium ; et ideo retinendum est sufficere probabilem certitudinem. *p.* 546.

Probabilius est dictum aut relatum a pluribus continere veritatem, quam quod dictum aut relatum fuit ab uno tantum. *ibid.*

Si desit voluntas et cognitio consentiendi nil agitur; eo quod nihil sit volitum quin praecognitum, et consensus, proprie loquendo, non est nisi de his quae fiunt ad finem. *ibid.*

Intentio in sacramentis pervertitur quatenus sacramentum fiat derisorie, et sacramentum fieri non intelligatur; quae perversitas tollit veritatem sacramenti. *ibid.*

Defensor s. vinculi requiritur quando res est de causis, quae aguntur super matrimoniorum validitate, seu nullitate; seu quando aliquis ex coniugibus instantiam porrigit super nullitate matrimonii; non autem quando agitur de eorumdem existentia. *pag.* 553.

Probatio status liberi facienda est sine strepitu iudicii a iudice ecclesiastico, prudenti iudicio, attentis omnibus circumstantiis locorum, temporum et personarum. *pag.* 554.

Parochus proprius

Ad constituendum parochum proprium, causâ ineundi matrimonii, requiritur domicilium, quod est locus perpetuae habitationis; vel quasi domicilium quod est locus, in quo quis transire constituit maiorem anni partem. *pag.* 498.

Ideo Parochus ruralis non est proprius et verus parochus, quando rus itur causâ recreationis vel pro rusticanis negotiis: et ideo nulliter apud eundem matrimonium contrahitur. *ibid.*

Intentio pro constituendo quasi domicilio, colligi potest ex fine commorationis; et ideo si finis est precarius, et importans moram indeterminatam, et prorsus a voluntate commorantis dependentem, quasi domicilium non acquiritur. *ibid.*

Unanimis est omnium doctrina, perpetuâ sacrorum tribunalium praxi firmata, matrimonia coram Parocho eius loci, ubi quis rusticari solet contracta, esse nulla. *ib.*

Aliquis potest duplex habere domicilium et duplicem habitationis parochiam, quando aequaliter in utraque habitet; et potest coram parocho utriusque inire matrimonium. *ibid.*

Parochus quoad chorum

Ex Tridentino parochus qui curam habet actualem animarum eximitur a punctaturis in choro, et consideratur ceu praesens, quoties tempore horarum canonicarum sacramenta, aut alia sacra administret Christifidelibus sibi commissis; non eximuntur tamen canonici, penes quos sit tantum cura habitualis. *pag.* 34.

Ex Conc. Trid. *Sess. 22, cap. 3 De reform.* dignitates vel canonici, quibus cura animarum imminet,

pro tempore quo in curata ecclesia resederint ac ministraverint, tamquam praesentes ac divinis interesse in ecclesiis cathedralibus ac collegiatis habentur. *pag.* 285.

Paroecia quoad divisionem

Salus animarum suprema lex in Ecclesia est, et iuxta hanc legem, nedum Paroeciarum, sed etiam Dioeceseon fines regendi aut moderandi sunt. *pag.* 79.

Ad parochiarum vel unionem, vel dismembrationem, vel divisionem evidens necessitas aut utilitas requiritur. *ibid.*

Hoc praeprimis verificatur, quoties ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda, accedere non possunt. *ibid.*

Existentibus locorum distantia et viarum difficultate, novae parochiae erigendae sunt; dummodo praesto sint sufficientes reditus, quibus novis parochialibus ecclesiis prospici queat. *ibid.*

Iuxta Conc. Trid. *cap. 1, sess. 23,* Parochi ex praecepto divino tenentur oves suas cognoscere, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium opere et exemplo pascere. *ibid.*

Antipathia, simultates vel odia inter eiusdem parochiae regiones vel oppida, sunt causa sufficiens dismembrationis vel divisionis parochiae novarumque parochiarum erectionis, et haec fuit constans S. C. C. praxis. *ibid.*

Ad Ecclesiarum quarumcumque etiam parochialium unionem, vel ad divisionem seu suppressionem procedi potest, quoties vel Ecclesiae parochiales ob ipsarum paupertatem, pastore provideri non possunt, et earum status ex dignitate conservari haud valet. *ibid.*

Ad ipsarum unionem vel divisionem seu suppressionem procedi etiam potest, quoties sunt adeo fatiscentes et dirutae, ut instaurari aut refici nequeant. *pag.* 80.

Ex Conc. Trid. *cap. 13, sess. 24 de Ref.* pro tutiori animarum salute, singulis paroeciis suus perpetuus peculiarisque parochus assignandus est, qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant. *ibid.*

Qua de re parochus, non per cooperatores sive Vicarios, sed per seipsum Ecclesiae parochiali deservire debet; tum quia non omnia in capellis fiunt, ad quae parochi ex iure communi et Tridentino tenentur, tum quia praesertim in parochis censetur electa industria personae. *ibid.*

Idque eo vel magis tenendum, cum de Capellanis amovibilibus ad nutum sermo sit, ex eo quod a iure ceu mercenarii et imperiti habentur, ac male regulariter pascunt oves in proprietate non suas. *ibid.*

Olim apud S. C. C. invaluit,

ut per Vicariorum constitutionem, magis quam per dismembrationem parochianorum necessitatibus occurreretur; sed hoc lapsu temporis ab aula recessit, et ipsammet S. C. C. in diversam abiit sententiam. *ibid.*

Poenitentiarius quoad aetatem

Sufficit ut quadragesimus annus sit incoeptus ad consequendam Poenitentiarii praebendam; et non requiritur quod concurrens ad dictam praebendam exegerit aut omnino expleverit quadraginta annos. *pag.* 610.

Praxis Ecclesiae romanae taliter interpretavit Tridentinum *Sess. 23 cap. 12* quoad aetatem promovendorum ad sacros ordines; ita ut satis sit ut anni requisiti pro quolibet ordine recipiendo sint tantum inchoati etiam per mediam diem aut unicam horam. *ibid.*

Portio Funeraria

Ex iure debetur Parochis defunctorum, qui in aliis ecclesiis tumulantur, quarta pars omnium intorticiorum, et candèlarum quae accenduntur in die funeris circa cadaver vel etiam in altaribus. *pag.* 22.

Ex rationabili et legitima consuetudine locorum induci potest, ut portio funeraria quae parocho defuncti proprio debetur ab Ecclesia tumulante, sit tertia pars, aut etiam dimidium eorum omnium quae a defuncti haeredibus offeruntur, occasione funeris, dum ab initio fuit realiter quarta pars. *ibid.*

Sodalitium

Non immerito ab Episcopo e medio tollitur aut supprimitur Sodalitium, cuius finis, qui, ut plurimum, est mutua charitas et pietas in Deum, defecisse videtur. *pag.* 596.

Sodalitia quae vitâ legitimâ frui volunt inhaerere stricte debent propriis statutis, ceu normae directivae et Episcopo subiici; cui spectat approbatio statutorum, confirmatio aut reprobatio officialium a sodalibus electorum. *ibid.*

Taxa pro Seminario

Iuxta Constit. Benedict. XIII quae incipit *Creditae Nobis,* taxa favore seminarii tam super omnia beneficia quam super Regularium bona imponenda est; iis tantum beneficiis vel bonis exceptis, quae a S. Sede expressis verbis exempta fuerunt. *pag.* 254.

Huiusmodi taxa neque minor tribus scutatis, neque maior quinque pro quolibet centenario annui redditus esse debet. *ibid.*

Annuus vero redditus, cui taxa applicetur, ille habetur, qui superest, detractis expensis necessariis

pro fructuum perceptione, et deductis oneribus ante Conc. Tridentinum impositis. *ibid.*

Ad annuum beneficiorum valorem dignoscendum, non est respiciendum fortuitum redditus augmentum unius vel alterius anni, sed calculus ducendus est per decennium. *ibid.*

Taxa favore Seminarii beneficiis vèl aliis bonis imposita verum debitum constituit, quod gravati *tam in foro poli, quam in foro fori* persolvere tenentur. *ibid.*

IMPRIMATUR
Fr. Raphael Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Iulius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.

BX
850
A3
v.22
1889/
90

9842

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709